UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

urn:nbn:de:hbz:466:1-49178

Visual Library

Th. 2873.

g. VII
24.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# DEI IMMORTALIS IN CORPORE MORTALI PATIENTIS HISTORIA,

Moralis Doctrinæ Placitis & commentationibus illustrata

AVCTORE

R. P. GVILIELMO STANIHVRSTO,
SOCIETATIS JESU.

Bibliotheca Theodoriana Paderborna.




Collegii Soc. Jesu Paderbornæ

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM WILHELMUM FRIESSEM,
Anno M. DC. XCIV.

*Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi. Gal. 6. 14.*



*Humiliavit semetipsum Dominus noster IESVS Christus factus obediens usque ad mortem: mortem autem Crucis. Phil. 2. 8.*

# PARÆNESIS
## AD
# JUVENES
# ACADEMICOS.

QUod fuit olim Periclis seu optantis votum, seu cupientis desiderium ad populos dicentis, idem est & meum de hoc luctuosissimo argumento scribentis. Ita de eo Plutarchus: *Pericles quoties tribunal dicendi causa ascenderet, Deos comprecabatur, ne quid sibi præter suam voluntatem excideret, quod ad rem propositam non faceret.* Simile est meum desiderium, nec dissimile propositum. Absit ut mihi scribenti effluat è calamo scriptorio verbum, imò & verbi syllaba, aut syllabæ littera, aut litteræ apex, qui non, & ad eorum, quibus scribo salutem, & ad illius, de quo scribo, gloriam referatur. Assentior enim illi Christiano Tullio (sic Lactantium appellat D. Hieronymus) ita loquenti: *Quod si vita est optanda Sapienti, profectò nullam aliam ob causam vivere optaverim, quam ut aliquid efficiam, quod vita dignum sit, & quod utilitatem legentibus, etsi non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiæ rivus est, ad vivendum tamen adferat, quod est maximè necessarium. Quo profectò, satis me vixisse arbitrabor, & officium hominis impleisse, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cœleste direxerit.* Ad vos porro Juvenes Academici, potissimum dirigitur hic meus labor, pro quibus, cum

*In vita ejus.*

*Lactan. de opif. DEI c. 20.*

cùm hæc ipsa quæ scribo, de pulpito in Lovaniensi Academiâ dicerem, per annos viginti quinque laboravi. Utinam quanto meo conatu, tanto & vestro successu, ut autem hoc quod elaboravi, opus vobis consecrarem, illud præ cæteris me movit, & permovit, ut contra præsentissima, quibus exposita est vestrâ salus, pericula, certissima, quibus ea propulsaretis, suppeditarem præsidia. Pericula vobis creantur, tum à loco in quo degitis, tum ab ætate quam nnnc agitis. Illo degitis loco, ubi vitiis omnibus, Virtuti vix ullus est locus, nisi Timore DEI in gyro honestatis, affectus vestri contineantur. Academia enim est velut fretum quoddam multorum Juvenum naufragiis infame, in quo plures assurgunt scopuli, multæ aperiuntur syrtes, ut nihil difficilius sit quam in cæcis illis tenebris, & procellis turbidorum animi affectuum, oculos mentis ad Deum, velut ad cynosurã referre: nihil rarius quam salva rate ex tam ancipiti pelago enavigare atq; innocentiam sartam tectam conservare. Volitant enim illic discinctorum Juvenum petulantissimi greges, & fusis habenis per circum licentiæ feruntur, qui aut in gynecæis calidi, aut in Sphæristeriis callidi aut in circulis queruli ludum proterviæ ludere non decorum consueverunt Quibus familiarius est ad multam diem obdormisse plumis, quam per adultam noctem impallescere chartis: quibus frequentior est in manu crater Bacchi, quam liber Balbi: quibus unum prope est studium, vitulari, pergræcari, nepotari. Hinc in Academiis raros est numerare Josephos in domicilio Putipharis, Danieles in aula Nabuchodonosoris, Gregorios, aut Thaumaturgos in Alexandriæ scholis: multos

verò passim Ganymedes; Adonides, Narcissulos, Hyacinthulos, Trossulos, verbo, filios prodigos. Quis in tam lubrico loco à periculis sit eximius? Divinæ quoddam est genus constantiæ, atq; virtutis, ut verbis utar S. Paulini, *inter ignes non uri, inter laqueos non capi, picem tangere, & non inquinari.* Tametsi si quæ illic sit morum corruptela, non tam adscribi id debet Academiæ, quam juvenibus Academicis, qui cum ipsi non raro sint corrupti, nihil est pronius, quam ut & aliorum sint corruptores. Quid enim est aliud Academia, quam nobilis ingeniorum, in qua exercentur palæstra, quam Themidis delubrum, Consilii curia, Artium liberalium receptaculum, Scientiarum omnium seminarium, in quo non modo Doctrina, tabernaculum, sed & virtus collocare debet domicilium. Et certe ex Lovanienſi Academia tot, tanquam ex equo Trojano prodiêre Æquitatis Antistites, Legum Interpretes, Religionum Præsides, qui deinde per variarum gentium regiones disseminati, non tam in Belgio civitatem unam, quàm in una civitate universum Belgium, commendârunt suis scientiis, illustrârunt virtutibus. His accedit ætas vestra, vitæ pars periculosæ plena aleæ. Nihil adolescentia mollius, nihil cereum magis in vitium flecti, ac torqueri: ut verissimum sit illud D. Augustini: *Flos ætatis periculum mentis.* A fronte, à tergore, ubiq; nexos habet laqueos, & pedicas, in quæ tam facile sese induit, ut capi velle videatur. Examina innumerabilium vitiorum se agglomerant, & adjungunt Juventuti, ait S. Basilius. *Omnium quidem affectuum sedes homo, sed omnium affectuum fervor, est hominis Adolescentia.* Hinc quidquid in homine est æstivi ardoris, latè

Paulin. ep. 8. ad Sever.

Serm. 246. de Temp.

Basil. in c. 1. Isa.

late se per Juvenes spargit, quidquid vitiorum in aliis remissum, in adolescentia summum est. Expansis velis omnium appetituum sulcatur mare, temerè, & audacter quovis vento, quâvis tempestate infelices naucleri periculis arrogantiores naufragium non timent. Voluntas, & affectus pro ratione sunt. Si lubeat, satis est; licere non ponderatur. Ita effractis modestiæ repagulis, infruniti, ad obvia quæq; scelera, & vitia non cursu tendunt, sed impetu ruunt. Immensum foret, vitiorum à quibus adolescentia male audit, catalogum contexere. D. Ambrosius omnia quasi in unum cumulum eleganter conjecit, *Adolescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis. Unde bene David totius temporis ejus veniam sibi à Deo postulavit, dicens: Delicta Iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine: quod tunc maxime calor corporis fervet, & æstu sanguinis vaporantis igneseit.* Idem alibi: *Iuventus ad amorem liberior, ad lapsum incautior, ad infirmitatem fragilior, ad correctionem durior est.* Interim abest ab oculis parens; nullus est morum, qui illis invigilet, censor; nemo qui corripiat monitor. Quid ergo proclivius, quam inter tot pereundi pericula, perire? Quid igitur ne pereatis cõsilii? quid præsidii? Hoc ipsum quod vobis elaboravi argumentum, est omnium præsidiorum, quibus pericula declinetis, quidam veluti complexus. DEUS homo pro hominibus & ab hominibus cruciatus, quid pro salute vos agere deceat, quid & fugere oporteat, docebit. Ille quò vos ire, ne aberretis, & quas vias ut metam attingatis, declinare debeatis, digito ostendet. Ille præscribet vobis normam, ad quam si mores ve-

*L. de Interpol. cap. 7.*

*In Ps. 118. Serm. 16.*

stros componatis, eritis in Academia quod sol in cœlo, lilium in viridario, gemma in annulo, hoc est, eritis Juvenes omnibus numeris absoluti, partibus perfecti, virtutibus consummati. Quis unius rauci homuli vocula excandescat, si animo suo proponat, & suæ tantillæ injuriæ opponat Regem gloriæ, quasi signum ad sagittam propositum, in quē omnia injuriarum tela contorquentur? Nonne in unius pernicię hominis, omnis ætas, ordo, gens, populus, mente, voluntate, conspiratione, studio, voce, quasi signo dato, conjuravit? Coquitur à Judæis parricidale consilium, conflatur ab Ethnicis, actores subornantur illi, qui atrocissimorum scelerū erant rei, viri Principes, profani, sacriq;, æque tamen sacrilegi, sine jure, sine lege, sine crimine inaudita causa in viri caput, quē insontem esse liquebat, subjicientibus materiam calumniæ ministris, injusta decernunt; ut ambitioni videlicet, atq; avaritiæ, innocentiæ sanguine litaretur. Per varia deinde tribunalia circumducitur, quando unum tantam injustitiam capere non poterat: neq; inveniebat locum ubi consisteret summa iniquitas, nisi forte apud summum Principem Sacerdotum; apud quem justitiæ debuit esse principatus. Sistitur ante Caipham, à quo reus prius conjectus & in vincula, quam adesset ulla errati suspicio, antè condemnatur, quā dicat causam; ubi dum accusator pro crimine adfert mendacium, reus pro pœna subit injuriā: ubi tacere periculum, respondere flagitium est: ubi mortem, non judicium intentant, ideoq; calumniam, non accusationem adornant. Finem hunc putas Injustitiæ; Gradus est. Dimittitur ad Pilatum, apud quem legum inanem ambitionis plenum

num Magistratus Judæorum factus de Judice accusator, de accusatore testis, minore periculo, auctoritate majore, more suo non causæ cognitionem exposcat, sed crucē; de supplicio prius agat, quam de supplicii causa; reum, & reum tacentem non crimine, sed multitudine; nō testimoniis, sed clamoribus opprimit. Si hæc Judices, quid agent carnifices? Ab iis eos pertulit cruciatus, quos nullus ferre posset, nisi qui idem homo esset, & Deus. Quam ob rem ut exemplo ejus simus inter omnes injurias constantes, contra injurias audaces, ut adversus ipsam adversitatem obduremur; ut mala omnia, quibus vita nostra infestatur, & antequam advenerint, expectemus cū desiderio, & ubi advenerint, perferamus cum gaudio, consilium fuit, Christi patientis præcipua capita percurrere, & quasi seducto aulæo simul indicare, in quantam calamitatem pro filiis terræ, Rex cæli in hac funestissima omnium crudelitatum scena, suam verterit felicitatem, quando ejus Constantia formidat; Libertas, ac Majestas captiva constringitur: Sapientia speciem stultitiæ induit, Gloriæ splendor infensis omnium oculis, animisq; conspicitur; denique Vita omnis vitæ, moritur. Vos igitur, dum hæc vel legitis, vel auditis, vel animo volvitis, expendite pensiculatius, quo tandem vos animo, quâ mente, quâ voluntate, quâ religione eum colere, ac venerari par est, qui ut vos morti addictos è mortis ereptos faucibus conservaret, nostram non modo causam ut sponsor, sed personam suscepit ut reus. Quid non ei referamus acceptum, à quo cuncta accepimus? quid non ejus causa perferamus, per quem effectum est, perferre, ut omnia valeamus? Qui ei amoris

fructus

fructus esse non meritis potest, qui, cum omnes nos plus penè quam se ipse, plus planè quam nos ipsi dilexerit, illud præstitit, ut in se amando non officii modo, sed pietatis laudem quærere debeamus. Finio, cum voto, ut DEI hominis sanguis fusus pro vestra salute, sit vobis ad salutem; sic emptos vos fuisse pretio magno, erit pretium operæ, dum illo comparabitis vobis æternitatem gloriæ, & cum illa, lætitiæ.

# AD LECTOREM.

PAucis, benevole Lector, hæc pauca præmoneo. *Frequens mihi est in hoc argumento ad Christum apostrophe, quia quæ scripsi, olim dixi coram Christo in Eucharistia præsente. Deinde quia Christus patiens, impatiens est elaboratæ nimis eloquentiæ, & compti sermonis, contendi magis scribere pie ad utilem motum, quam docte ad futilem plausum: memor aurei illius moniti, quod scripsit aureus Orator Chrysologus*: Populis populariter est loquendum: communio compellanda est sermone communi: naturalis lingua chara simplicibus, doctis dulcis, docens loquatur omnibus profutura; ergo imperito sermoni veniam dent periti. *Hic necesse est infantem esse ipsam Eloquentiam, & tanto suo verborum choragio tanto succumbere mysterio. Quia* (*verba sunt D. Hieronymi uno duntaxat mutato*) ad incredibilis *doloris* magnitudinem & Tulliani fluvius exsiccaretur ingenii, & contortæ Demosthenis vibratæq; sententiæ tardius, languidiusque ferrentur. *Itaque laboravi in hoc mari rubro magis velificari synceræ pietati quam ventosæ loquacitati, adeoq; ut scopulos declinavi artificiosæ orationis exquisitas delicias, sermonumque illecebras illis & quasi Sirenulas, quanatæ sunt magis titillare aures, quam inflammare mentes in hoc cruento Sacramento applaudant potius lacrymantes oculi,*

*Chrysol. Serm. 43.*

*S. Hieron. Epist. 18.*

quam

*quam acclamantes linguæ. Displiceat per me licet humilis dum serpit sermo, modo placeatis de quo instituitur sermo. Quod si quæ scripsi de Christo, minus tibi Christiano placeant, vide an non tibi conveniant illa quæ de quibusdam Christianis scripsit Salvianus.* Non mirum est si eis loquentia de DEO verba non placeant, quibus forsitan ipse DEUS non placet: nec expectandum ut insinuatorem salutis atq; animarum sermonem ament, qui salutem ipsâm, atque animas suas non amant. *Tu interim Lector, sic utere lectis, ut merearis accenseri inter paucos electos.*



Qui

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vi-
tiis & concupiscentiis. Galat. 5, 24.



Mortuus sum, ut Deo vivam, Christo confixus cruci.
Galat, 2, 19.

IN

# INDEX
# CAPITUM
## ET
# PARAGRAPHORVM.
## CAPVT PRIMUM.


Prologus. pagina 1.
§. I. *Iter ad hortum.* 7
§. II. *Pavor Christi.* 10
§. III. *Christi tristitia.* 15
§. IV. *Fons tristitiæ salientis in cor Christi.* 19
§. V. *Avellitur à Discipulis.* 23
§. VI. *Christi ad Patrem Oratio.* 27
§. VII. *Christus Patris voluntati se submittens calicem ab eo oblatum admittit.* 30
§. VIII. *Christus dormientes discipulos excitat.* 33
§. IX. *Tertia Christi ad Patrem Oratio.* 37
§. X. *Angelus eum confortat.* 40
§. XI. *Sudor Sanguineus.* 41
§. XII. *Redit Christus ad Discipulos, dormientes excitat, de adventu Iudæ admonet.* 44
§. XIII. *Iudas hortum ingressus appropinquat.* 47
§. XIV. *Iudas militum cohortem antecedit, & ducit.* 49
§. XV. *Iudas dat signum, quo Christus agnoscatur.* 53
§ XVI. *Christus osculatur Iudam.* 57
§. XVII. *Christus Iudam amici nomine dignatur.* 60
§ XVIII. *IESVS militibus occurrit.* 66
§. XIX. *Christus prosternit hostes.* 69
§. XX. *Petrus educto è vagina gladio Christum satagit defendere, Malchum percutit.* 73
§. XXI. *Reprehendit Christus Petrum.* 77
§. XXII. *Fuga discipulorum.* 78
§. XXIII. *Christus capitur.* 81
§. XXIV. *Ad Annam deducitur.* 85


CAP.

CAPITUM.

## CAPUT II.

## Christus in domo Annæ.

§. I. *Interrogat Annas Christum de Discipulis.* pag. 87
§. II. *Interrogat Annas Christum de doctrina ejus.* 91
§. III. *Respondet Christus Annæ de sua doctrina.* 94
§. IV. *Christus percutitur alapâ.* 98
§. V. *Christi ad servum percutientem mitissima verba.* 103

## CAPUT III.

## Christus in domo Caiphæ.

§. I. *Falsa contra Christum testimonia.* pag. 106
§. II. *IESV coram Caipha, ad falsa testimonia, silentium.* 110
§. III. *Caiphas adjurat Christum ut se manifestet.* 113
§. IV. *Caiphas scindit vestimenta sua, & Christum arguit blasphemiæ.* 115
§. V. *Declaratur à Concilio reus mortis.* 118
§. VI. *Injuriæ Christo illatæ in domo Caipha.* 121
§. VII. *Petrus Christum à longe sequitur.* 126
§. VIII. *Petrus Christum negat.* 129
§. IX. *Iterum negat Petrus.* 133
§. X. *Tertio negat cum juramento.* 135
§. XI. *Petri Pœnitentia.* 141

CA-

# INDEX.

## CAPUT IV.

## Christus in Concilio.


§. I. *Ducitur ad Concilium Seniorum.* pag. 146
§. II. *Interrogatur an sit Christus.* 150
§. III. *Fatetur se Filium DEI.* 152
§. IV. *Ducitur vinctus ad Pilatum.* 155
§. V. *Iudas agnoscit sua scelera.* 158
§. VI. *Iudæ vana pœnitentia.* 162
§. VII. *Sacerdotum ad Iudam responsum.* 165
§. VIII. *Iudæ desperatio.* 169
§. IX. *Iudas se suspendit.* 173


## CAPUT V.

## Christus in Prætorio Pilati.


§. I. *Accusatur coram Pilato.* p. 177
§. II. *Pilatus Christum à Iudæis accusatum excusat.* 181.
§. III. *Pilatus Christum de variis interrogat.* 184
§. IV. *Proponuntur populo Christus & Barabbas.* 188
§. V. *Postponitur Christus Barabbæ.* 192
§. VI. *Petit populus dimitti Barabbam, Christum crucifigi.* 195
§. VII. *Pilati ad populum interrogatio.* 198
§. VIII. *Christus à Iudæis deposcitur ad crucem.* 202
§. IX. *Mittitur ad Herodem.* 205


CA-

# CAPITUM.

## CAPUT VI.

## Christus in aula Herodis.

§. I. *Gaudium Herodis ob visum Christum.* P. 208
§. II. *Christus ab Herode de multis interrogatus nihil respondet.* 212
§. III. *Christus coram Herode accusatus silet.* 216
§. IV. *Spernitur Christus ab Herode.* 220
§. V. *Induitur veste alba & remittitur ad Pilatum.* 222.

## CAPUT VII.

## Christus in atrio Pilati.

§. I. *De Flagellatione Meditatio prima.* p. 225
§. II. *Ligatur ad Columnam.* 229
§. III. *Flagellatur.* 232

### MEDITATIO II.

§. I. *Nudatur Christus.* p. 233
§. II. *Ligatur.* 237
§. III. *Flagellatur.* 240

### MEDITATIO III.

§. I. *De eadem Mysteria.* p. 243

§. II. *Flagellatur.* 247
§. III. *Pia Christi jam flagellati ad homines querimonia.* 250

## MEDITATIO IV.

## De eodem Mysterio.

§. I. *Nudatur.* p. 253
§. II. *Ligatur.* 256
§. III. *Flagellatur.* 258

## CAPUT VIII.

## Coronatio.

§. I. *Exuitur vestibus.* 261
§. II. *Coronatur.* 265
§. III. *Illuditur.* 268
§. IV. *Producitur coram populo.* 271
§. V. *Ecce Homo.* 273
§. VI. *Iudæi rejiciunt Christum.* 276
§. VII. *Conatur Pilatus populum placare, sed frustra.* 279.
§. VIII. *Pilatum cogunt Iudæi minis, ut Christum condemnet.* 283

CAPITUM.

§. IX. *Admonetur ab uxore Pilatus, ut Christi causam excutiat.* 286
§. X. *Pilatus lavat manus.* 289
§. XI. *Condemnatur ad mortem Crucis.* 292
§. XII. *Crux profertur.* 296

## CAPUT IX.

## Christus in plateis Ierusalem.

§. I. *Bajulat Crucem.* p. 299
§. II. *Simon Cyrenæus angariatur.* 303
§. III. *Simone Crucem bajulante, Christus Ierusalem egreditur.* 306
§. IV. *Ascendit Christus in montem Calvariæ.* 310

## CAPUT X.

## Christus in monte Calvariæ.

§. I. *Exuitur vestibus.* 315
§. II. *Potatur felle.* 319
§. III. *Recusat Christus fel bibere.* 320

CAP.

# INDEX

## CAPUT XI.

## Crucifixio.

§. I. *Inclinat se Christus in Crucem.* p. 323
§. II. *Infiguntur clavi.* 326
§. III. *Crux in altum elevatur.* 329

## CAPUT XII.

## Christus in Cruce.

§. I. *Pendet medius inter latrones.* p. 332
§. II. *Titulus Crucis.* 336
§. III. *Primum verbum Christi in Cruce.* 338

## CAPUT XIII.

## De duobus Latronibus.

§. I. *Increpatur malus latro à bono.* p. 242
§. II. *Testatur latro Christum innocentem.* 344
§. III. *Oratio boni latronis ad Christum.* 348
§. IV. *Christus latroni promittit paradisum.* 351
§. V. *Dolor B. Virginis Cruci adstantis.* 354
§. VI. *Christus commendat Matrem Ioanni.* 357
§. VII. *Valedicit Filio Mater.* 362
§. VIII. *Tenebræ super universam terram.* 365
§. IX. *Exclamat Christus circa horam nonam.* 368
§. X. *Clamat se derelictum à Patre.* 372

# CAPITUM.


§. XI. *Sitis Christi.* 376
§. XII. *Penultima Christi verba.* 380
§. XIII. *Vltima Christi verba.* 384
§. XIV. *Inclinat caput.* 387
§. XV. *Valedicit omnibus.* 390
§. XVI. *Mortitur.* 392
§. XVII. *Signa post mortem.* 395
§. XVIII. *Conversio Centurionis & aliorum.* 398
§. XIX. *Epilogus totius operis.* 402


FA-

# FACULTAS

## PROVINCIALIS.

EGo JACOBUS RASSLER, *Societatis IESV*, per superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, juxta Sacræ Cæsareæ Majestatis Privilegium Societati nostræ concessum *Historiam DEI immortalis in corpore mortali patientis*, moralis Doctrinæ placitis & commentationibus illustratam Auctore P. GUILIELMO STANIHURSTO è Societate JESU, nova impressione recudendi facultatem concedo RUDOLPHO DREHER Typographo Campidonensi, postquam decennium in prima editione expressum effluxit. In cujus rei fidem hoc ei testimonium manu meâ, sigilloque officii mei munitum dedi Landishuti 29. Januarii 1670.

IACOBVS RASSLER.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# APPROBATIO.

HÆc Historia de Christo Patiente, *eleganter & erudite, nec non pie & utiliter, juxta sanam Doctrinam, & conformiter bonis moribus, conscripta à* R. P. GUILIELMO STANIHURSTO, *Societatis* IESV, *luce publica dignissima est: utpote efficaciter, de servitute ad intentum Salvatoris, de quo S. Petrus, ait:* Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. Pet. 2. *Actum* 16. *Decemb.* 1659.

GUILL. BOLOGNINO,
*S. Theol. L. Eccles. Cath. Can.*
*& Lib. Censor, Antv.*

Mulier ecce Filius tuus (deinde dicit discipulo:) ecce Mater tua.



SA-

# SACROSANCTÆ DE CHRISTO PATIENTE HISTORIÆ

## PROLOGVS.

PASSIO D. N. JESU CHRISTI terribilium omnium terribilissimum dæmonibus, optabilium omnium optabilissimum Hominibus, mirabilium omnium mirabilissimum Angelis, cum sit mysterium omnium mysteriorum quæ sunt, fuerunt, erunt, dignitate primum, charitate summum, utilitate maximum, stupore & horrore, omni ex parte immensum; seu spectas personam quæ patitur, seu illos, pro quibus patitur, ut tantum hoc argumentum, & ego pro dignitate cum salutis fructu appositè exponam, & vos cum pietatis sensu utiliter expendatis, præmittam hic quoddam totius argumenti tractandi præludium. Quia ante omne opus debet præfigi illius operis finis, qui licet sit ultimus in executione, est tamen primus in intentione, antequàm hoc opus grande aggrediamur, quod (ut loquar cum D. Chrysologo) *stupent Angeli, miratur cœlum, pavet terra, caro non fert, auditus non capit, non attingit mens, non potest sustinere creatura, æstimare nō sufficit, credere pertimescit.* Antequàm, inquam, hoc inæstimabile Sacramentum explicare auspicemur, & mihi dicendi, & vobis audiendi, certus aliquis præfi- *Serm. 71*

Finis aliquis in Meditatione passionis præfigendus

gendus est finis. Quod ad me attinet; hic unus, nec alius mihi erit finis, ad quem velut ad scopum referentur omnia mea, labor, cura, sollicitudo, vox, latera, verba, conatus, studia, contentio omnis, & corporis, & animi; ut primum animum meum, tum omnium, quos habiturus sum, auditorum, reducam ad illum, qui eos suâ potentiâ procreavit, bonitate servavit, charitate redemit, JESUM Christum. Hic finis est meus; vester autem quis erit? nescio quem vobis præfigetis finem, scio tamen quem oporteret vos præfigere, qui & mihi, & vobis omnibus debet esse communis. Quis ille? quem expressit is, qui non prædicabat nisi Jesum, & hunc crucifixum, D. Paulus: hic ad Corinthios scribens: *pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Hic debet esse finis primus, unus, meus, vester omnium qui hoc loco, audituri Christi patientis historiam conveniemus: *ut, qui vivunt, sibi non vivant, &c.* ut quisque possit dicere cum Paulo, *vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*: non amplius in me vivit mundus: quia licet sum in mundo, tamen *ego non sum de mundo*: non amplius vivit in me caro, postquam *verbum caro factum est*: non amplius in me vivunt quæ sunt carnis, & mundi, superbia, invidia, luxuria, avaritia; nulla jam vivunt in me vitia mundi, vivunt verò in me virtutes Christi: castitas, humilitas, mansuetudo, patientia, modestia, temperantia, justitia; vivit Christus in linguâ meâ, vivit in manibus, in oculis, in auribus, in mente, in voluntate, in toto corpore, in totâ animâ; totum spirant præcordia Christum: quia quidquid ago, dico, cogito, volo, video, audio, lego, sentio, est propter Christum, Christus suæ

2. Corinth. 5. 15.

Gal. 2. 20.

Ioan. 14. 10.

Ioan. 1.

gratiæ

gratiæ quasi animæ motibus me agit ad omne bonum, & ad omnes vitales virtutum actiones. Hic finis est cur Christus est passus, hic debet esse & finis omnium, qui audiunt pœnas Christi patientis. Hunc in finem si animum intendamus, & ad eum viribus omnibus contendamus, tum demum quilibet cum Christo dolente dolebit, cum flente flebit, cum timente timebit: tunc animus laxabit habenas omnibus affectibus, amoris, odii, spei, timoris, tristitiæ, gaudii: tunc flebunt oculi, plangent manus, plorabit lingua, suspirabit pectus, conteretur cor, ardebit voluntas, illustrabitur intellectus, turbabitur spiritus, pavescet animus, stupescet mens, contremiscent artus, trepidabunt membra, ebulliet sanguis, totus denique commovebitur homo, dum audiet, quæ, & quanta passus est pro homine, DEUS homo. Deinde ut uberiori cum spiritus quæstu, hoc cruentum arcanum percipiatur, necesse est, ut quisque sibi, quia certum, persuadeat firmiter, & sibi imprimat fortiter, quidquid Christus passus est pro omnibus, id passum pro singulis: adeò ut illud beneficium redemptionis, quod toti humano generi est commune, sit cuilibet singulare: ut quisquis in hâc coronâ est præsens, non vanè, sed verè cũ Paulo possit gloriari: *In fide vivo Filii DEI, qui dilexit me: & tradidit semetipsum pro me*: licet Filius DEI cùm esset in sinu Patris, ab æterno cognovisset, & prævidisset, non futuros plures homines, quàm nos qui hic sumus in hoc templo congregati, eadem fuisset passus pro hoc tam exiguo grege, quæ pro toto hominum genere. Hoc certò credere, est se ad amorem Christi cogere. Imò ut non tantum tibi extorqueas amorem erga Christum, sed & dolorem propter

*Christus passus est ut pro omnibus, sic pro singulis.*

*Gal. 2. 20.*

Christus nō tantum passus est pro nobis, sed à nobis.

Christum, & illud, quia non minus certum, certissimè crede, Christum non modò passum esse propter te, sed per te. Idem qui commisisti culpam, intulisti & pœnam. Quare quidquid criminis commiserunt, vel Judas qui eum prodidit, vel miles qui ligavit, vel Caiphas qui accusavit, vel Pilatus qui condemnavit, vel Herodes qui illusit, vel Romanus qui crucifixit; horum omnium criminum, quia auctor es & reus. Hæ manus, illi manus injecerunt, & vinxerunt, hi lacerti illum flagellârunt, hi digiti spineum sertum illi contexuerunt, hæc lingua condemnavit, hoc os in illum expuit, hi pedes sanguinem ejus conculcaverunt. Postremum quod hic ad majorem meritorum requiritur cumulum, illud est, ut quisque certò credat, & verè, ut oportet, sibi persuadeat, quidquid hic dicturus sum, non tantum dici de Christo, sed coram Christo. Adest hic in arâ, qui ab annis 1600. & qui excurrunt, passus est Jerosolymæ. Itaque omnium ora, atque oculi, sed multò maximè animi convertantur ad Christum in arâ præsentem. Ille & me audit, & vos spectat, & quid ejus causâ acturi sitis, expectat, & quid cogitatis, intelligit, & quid optatis, percipit: ut qui teste D. Chrysologo, *Videt abdita terrarum, qui cordis intuetur occulta, cui omnia sunt nuda, quæ tecta sunt omnibus.* Adsunt ergo illi ipsissimi isti oculi, *quibus lachrymatus est IESVS:* quibus cum respiceret Petrum, flevit amarè: illi oculi, ut oculi nostri deducant exitus aquarum, in nos sunt intenti. Ibi sunt pedes, quibus currendo per vicos & castella, te ovem perditam quæsivit. Ibi sunt manus, trabalibus pro te clavis terebratæ, & cruci affixæ; illæ nunc ad te extenduntur, ut à cæno vitiorum te eripiat, & de

Christus idē qui pro nobis passus Jerosolymæ est in Eucharistia.

Ser. 177.

stercore

stercore erigat. Ibi est lingua illa, quæ eructavit tot *verba vitæ æternæ*. Nunc aperit os suum, ut tibi loquatur ad cor. Totus nobis hic adest Jesus, ut hoc loco, & hâc horâ se totum nobis exhibeat Jesum. Si ambigitis, an hic adsit, audite ipsum loquentem per os Isaiæ, quod ipsum jam loquitur ore suo: *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Ego ipse*, qui ante 1600. annos, & qui supersunt, propter vos homines, & propter vestram salutem descendi de cœlo, & incarnatus sum de Spiritu sancto, & homo factus sum, *Ecce adsum: ego ipse* qui pro vobis Jerosolymæ à Juda proditus, à militibus vinctus, à Judæis accusatus, à Caipha condemnatus, à Pilato flagellatus, à militibus crucifixus fui, *Ecce adsum: ego ipse*, qui post incredibilia in te collata beneficia, post innumerabilia propter te tolerata supplicia, post 33. annorum immensos labores, post trium horarum in cruce immanes pœnas inclinato capite tradidi spiritum, *ecce adsum*. Adsum, ut sim dux erranti, lux caliganti, robur deficienti, panis esurienti, fons sitienti, vita morienti, salus pereunti. *Ecce adsum* ut illustrem intellectum, reficiam memoriam, inflammem voluntatem, corroborem spiritum, expiem conscientiam, innovem animum. *Adsum* raucis præ clamore faucibus invitans, *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Quæ cum ita sint, cum hic adsit inter omnia princeps argumentum fidei, hic vires omnes exere, Fides! tu inquam Fides, nobis in sacrosancto Baptismatis fonte per Spiritum sanctum infusa, quantum potes, tantum aude. Si audes credere, poteris credendo nihil non obtinere; crede non mihi sed Veritati: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*. O si possim hoc à te, quis-

*Ioan. 6. 67.*

*Isa. 9.*

*Matt. 11. 21.*

*Marc. 9. 29.*

quisquis hic ades, impetrare, ut credas Christum hic præsentem eâdem fide, quâ Petrus, cum hæc enuntiaret; *tu es Christus Filius DEI vivi*: hoc si nunc ita credas, *tunc mirabitur, & dilatabitur cor tuum*: tunc sperabis, amabis, dolebis, flebis, irasceris, misereberis, supirabis, ardebis, denique omnibus vel ficaberis affectibus. Quid dubitatis modicæ fidei? credite, adest Veritas: confidite, adest Misericordia: sperate, adest Potentia: audete, adest Fortitudo: timete, adest Justitia: amate, adest Bonitas: adorate, adest Majestas: sed quia tu dixisti: *sine me nihil potestis facere*, unum jam nobis necessarium est, ad te confugere. O Christe, qui dixisti, *ego sum α, & ω, principium & finis*: hodie nobis principium dicendi est de te, finis erit, propter te, ut sine fine vivamus in te. Sed frustrà intendimus nos illum tam arduum finem, videlicet, tibi soli vivere, qui es principium omnis vitæ, nisi mittas è cœlo ad nos, & immittas in nos illum Spiritum, quem tu cum Patre ab æterno spirasti, & per quem in tempore, dum conceptus es, cœpisti ipse spirare; es enim conceptus de Spiritu sancto. Nam teste tuo servo Paulo, *nemo potest dicere, Dominus IESVS, nisi in Spiritu sancto*. Si non possit te os nominare, multo minus poterit te cor amare sine Spiritu sancto. Ad te ergo ô sancte Spiritus, qui à Patre, Filioque procedis, cum fiducia accedimus; & ut excusso spiritu servitutis, accipiamus *Spiritum adoptionis filiorum*, veni sancte Spiritus. Ecce tenebræ sunt super universam terram, sumus omnes filii tenebrarum, ut ergo abjicientes opera tenebrarum, induamur arma lucis, ut fiat in nobis lux, *veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium*. Ecce sine te torpemus, jacemus, frigemus; ut autem

*Matt. 16.* *Isa. 60.*

*Ioan. 15.*

*Apoc. 11.*

*Opus Spiritus S. ope ad omne opus hominum.* *1. Cor. 12. 3.*

*Rom. 8. 15.*

tem simus *Spiritu ferventes, & serviamus in novitate Spiritus*, ut renovemur spiritu mentis nostræ, ut fiamus cum Christo unum corpus, & unus Spiritus: *veni sancte Spiritus. Quia sine tuo numine, nihil est in homine*: nihil est gratiæ in animo unde mereatur, nihil est virium in corpore, unde operetur, nihil est vitæ in toto homine, unde moveatur, sine tuo Numine. Expectat te memoria, ut possit meminisse eorum, quæ passus est JESUS: expectat te intellectus, ut à te illuminatus, cognoscat, quanta passus sit Christus: expectat te voluntas, ut accendatur illo igne, quem venit in terras mittere Christus. Ergo veni sancte Spiritus, ut repleamur omnes Spiritu sancto, ut te veniente ad nos, nos quoque perveniamus ad illum, à quo tu processisti, JESUM Christum Dominum nostrum.

# SCENA CHRISTI PATIENTIS IN HORTO.

## §. I.

### *Iter ad Hortum.*

AUxilio æterni Patris, qui *in principio creavit cœlum & terram*; favore DEI Filii, *cui data est omnis potestas in cœlo & in terra*: gratia Spiritûs S. *qui replevit orbem terrarum*, & qui, ut spero, datus est nobis per illum, qui tradidit semetipsum pro nobis, ordior magnum illud opus; hoc est, DEI immortalis in corpore mortali patientis tragœdiam: & inde incipio de eo loqui, unde & Christus cœpit pro nobis pati. De quo ita Evangelista: *Hymno dicto, egressus est JESUS cum discipulis suis,*

*Gen. 1.*
*Matt. 28.*
*Sap. 1. 4*
*Matt. 26*

*secundùm consuetudinem, trans torrentem Cedron, in*
Marc. 14 *montem Oliveti, & venit in villam cui nomen Gethse-*
Luc. 23. *mani, ubi erat hortus, in quem intravit ipse, & discipuli*
Ioan. 16. *ejus, quibus ait: sedete hic, donec vadam illuc, & orem;*
*& assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit con-*
*tristari.*

Tandem aliquando post 50. prope sæculorum spatium, aderat expectatissimum illud tempus, quo magnus ille bellator, quem pater huc miserat, *ut expoliaret principatus, & potestates, palam tri-*
Colos. 15 *umphans illos in semetipso*, debebat prodire ex umbra in solem, ex latebris in conspectum, ex domesticâ palæstrâ in latè patentem campum, prælia Patris præliaturus. Quapropter Patre classicum ex alto canente, datoque ad pugnam signo, ad iter se accingit. Eja Christe, progredere, una
Cant. 7. tecum congredimur; en patet hortus: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Veniat dilectus meus in hortum suum.* Conflicturus, hortum sibi delegit in campū, quia in horto homo DEO primum indixerat bellum. Sed quot habet nostri dux belli, Princeps pacis, vel comites in itinere, vel testes in certamine? dum *Rex iturus committere bellum adversus alium regem*, regno egreditur, non nisi comitatissimus progreditur. Præcedit densum humeris agmen, peditum cohortes, equitum turmæ: stipant ejus latus viri Principes, primique regni proceres; sequuntur carpenta, currus, quadrigæ, & calonum, ac lixarum greges. Liceat hic Historiæ sacræ profanam intexere. Cum olim M. Tullius Cicero, jussu Clodii, in exilium amandaretur, tanta fuit commotio populi, is luctus civium, ea totius urbis mœstitia, & squallor, ut omnes habitum mutaverint, Româque egredientem viginti millia civium, pullo,

Pauci Christi comites in Passione.
Luc. 13. 41.

nigro-

nigroque in mœroris signum amictu, fuerint comitati. Ecce hic, non pro unius regni, sed totius mundi, non pro aliquot civium, sed omnium hominum, non pro temporaria incolumitate sed æternâ salute, bellum adoritur Rex regum; ubi luctus noster? quis ideò lugubri induitur habitu, aut capillatior solito incedit? quis vel euntem comitatur, vel præeuntem sequitur? tres, nec plures, tantus Dominus recenset in via socios. Quam est solitarius in terris, cui millia millium, & decies centena millia adsistunt, & ministrant in cœlis. Sed si consilium est præcedentem sequi, antequàm pedem inferamus in DEI Patientis cruenta vestigia, duo necesse est nobis ob oculos proponamus, & altè mentibus imprimamus. Alterum est, Patris, Filium sam severè plectentis Justitia; alterum, Filii pro nobis tam benignè patientis Clementia. Illa provocabit nos ob commissa scelera ad dolorem; hæc ob remissa ad amorem incitabit. Atque ita hisce duobus affectibus, dolore, & amore, duo hæc assequemur, quæ David tam impensè nobis commendat, tanquam compendium totius perfectionis: *declina à malo, & fac bonum.* His duobus pedibus, sinistro doloris, dextro amoris, sequemur te ô Christe, qui es via, ut consequamur te, qui es vita. Unaque hæc erit vox singulorum, quæ fuerat Ethai ad Davidem: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus rex, quia in quocunque loco fueris, sive in vita, sive in morte, ibi erit servus tuus.* Stat animo, quod Ethai ad Davidem, & mihi ad te, ô fili David, idem ut dicere, sic & facere; ubicunque fueris, sive in horto Gethsemani sudans, sive in domo Caiphæ tacens, sive in aulâ Herodis contumelias sustinens; sive in prætorio Pilati flagella susci-

*Ps. 36. 27.*

*2. Reg. 15. 21.*

piens, sive in monte Calvariæ moriens, denique in *quocunque loco fueris, ibi erit & servus tuus*; ut sim eorum, quæ patieris, non tantum otiosus spectator, sed studiosus imitator: non nescius, *si sustinemus, & conregnabimus.*

2. Tim. 2. 12.

## §. II.

### *Pavor Christi.*

Matt. 6. 6. Cœpit pavere: pavor est referre, & horror audire, *cœpit pavere.* Tu Adam, cum olim audires in horto DEUM intonantem auribus tuis hanc vocem; Adam, *ubi es?* respondebas timens, ac tremens: *Vocem tuam audivi in Paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.* Malè absconderis ab eo, qui novit *abscondita cordis*; non est aliquid absconditum, quod non manifestetur ei, qui *videt in abscondito.* Prodi ô Adam è latebris, & accurre, quia ut tibi DEUS succurrat, te quærit. Non hic ambulat in Paradiso, *ad auram post meridiem* judex, crimen tuum puniturus, sed ambulat in horto Gethsemani noctu, frater tuus pro crimine tuo puniendus. Ne amplius dicas, *timui.* Quid times timentem? timet ipse, ut securus sis tu. Adsis hic illius timoris testis, qui fuisti auctor. Quis nostrûm non paveat, & timeat; si timet ille, quem timent omnes, & omnia, quæ timentur; si ille qui est mors mortis, & morsus inferni, morte imminente pertimescit, & pavet, quis nõ semper sit pavidus, cum semper mortis periculo sit obnoxius? Age Domine, nonne ad hoc venisti, ut mortem moriendo destrueres? nonne & hoc futurum prædixeras, si sponte factus es obediens Patri. & non te, ut morereris, cœgit necessitas, sed sola persuasit charitas, quid, cum jam mori oportet, quereris? quid paves? nonne tu docue-

Ps. 43. 22. Gen. 3. 10. Marc. 14. 33.

Timor Christi & ejus causa.

docueras, & instruxeras servos tuos', ut'non *timerent eos, qui occidunt corpus*, quia usque ad animam non pertingit occidentium crudelitas? sed causam hujus pavoris investigat his verbis D. Laurentius Justinianus, *Quid est hoc Domine? contristarisne, & vere paves? nunquid contristatur, per quem contristati recreantur? nunquid contristatur gaudium? pavet fortitudo? timet virtus? gloria tadium patitur? beatitudo denigratur? confunditur Majestas? claritas obscuratur? infirmatur sanitas? & latitudo coarctatur? armatorum neminem video, nullum cum gladiis, & fustibus venientem cerno: & times Domine? Christianæ militiæ dux esse cognosceris, certantibus adversus aereas potestates præes, & paves? Dominus exercituum diceris, & es; gladium non pacem venisti mittere in terram, & præliari formidas? si bellorum princeps trepidat, si certamen ille, qui præsidet, inire veretur, quid cæteri agent milites? vellem utique pavoris hujus scire causam; vellem tædii tui nosse mysterium. Non enim militibus tuis inferiorem te judico. Illos quidem agnosco, vicisse regna, imperia curvasse, toleravisse supplicia, extinxisse ignem, feras domasse, & mortem ipsam nullatenus formidasse, &c. in martyribus miraculum, in te verò fuisse dicimus documentum. Erexit planè cœlestis virtus supra naturæ limites, fidei confessores. Ipse autem mediator relictus, pavere voluit, & tadere. Agnosce igitur, ô homo, Salvatoris tui dignationem, Se curvavit ad te, ut elevaret ad te, humiliavit se propter te, ut te exaltaret in se.* Sic ipse. Alias nos hujus pavoris causas investigemus. Omnia quæcunq; Christi seu animo, seu corpori occurrebant, immensum quendam pavorem ei incutiebant. Primò, nox erat, peccati, mæroris, timoris, & tædii symbolum; quia obscuritas, mala immanè accumulat. Nox ergo præsens horrificis suis umbris, tribulationem imminentem

*Matth. 18. 38. De agone Christi. Cap. 1.*

nentem atris coloribus graphice adumbrabat: inprimis sui à discipulis separationem, juxta verba
Ps. 21. 12 sacri metri: *Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet.* Nox tenebrarum horrore circumfusa, quæ jam umbrâ magnâ involverat cœlum, & terram. Nox struendis insidiis, conficiendis proditionibus, cõscisscendis sceleribus peropportuna. Ipse autem in horto, hoc est loco à turbis secreto, arbitris remoto, & solitario, & ut silentii, ita & formidinis pleniſſimo consistens, omni pavorum genere cœpit foris agitari, intus percelli, & quidem usque ad convulsionem, compressionem, & propemodum suffocationem cordis, viriumque, ac animi defectionem; ea vi, impetu, vehementia, ut non uni ipsi, sed omnibus hominibus mortẽ adferre potuissent, tot in unum congesta acervum timoris argumenta, nisi divina virtute fultus fuisset. Ita ut
Iob. 37. tunc illud Jobi appositè usurpare potuerit: *super hæc expavit cor meum, & motum est de loco suo.* Ut porrò mortem, sibi paucas post horas oppetendam, atrocius reformidaret, sivit animæ suæ, ut vitam tam impensè diligeret, tantoque studio eandem conservare, ne morte extingueretur, satageret, quanto alius nullus ab omni hominum memoria. Quanto autem fortiori amoris vinculo anima, & corpus Christi erant inter sese copulata, tantò & acerbior, & violentior erat eorũ separatio. Ad hæc, cum Christi seu anima, seu vita, & pretio major, & dignitate præstantior, & æstimatione præcellentior fuerit, quàm omnes omnium mortalium in unum cumulatæ animæ & vitæ; Inde conficitur, plus horroris, pavoris, vel doloris, ejus jacturã Christo peperisse, quam omnes mortales simul conflati unquam percepe-

rint.

rint. Ex hoc pavore animi cœperant & contremiscere omnia membra corporis, & exhorrescere omnes vires animi. Collidebantur ad se invicem genua, concutiebantur omnes artus, trepidabant omnia ossa, ipsomet hoc attestante; *contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea* Imò quod Eliphas Ehemanites apud Job, sensisse se profitetur, modò, potiori jure Christus dicere potuisset, cum ita paveret: *in horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt.* Sic ergo Filius DEI *cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu* ferè *medium iter haberet*, ex tot feralibus quæ menti ingerebantur, spectaculis tremefactus, oculis attonitis, nunc suspicit cœlũ, nunc despicit terrã, nunc aspicit discipulos, nunc circumspicit per gyrum adjacentia loca : caput, manus, adeoque totum corpus, partes in varias hinc, inde versat, pedibus inquietis, motus animi paventis, & variis fluctibus agitati prodit : tremunt membra, trepediant artus, expalescit vultus, anhelat pectus, palpitat cor, horret animus, pavet spiritus, silet lingua : undeà cænaculo, usque ad hortum, nec verbum protulisse commemoratur. Proh Deus immortalis! ubi trepidat Fortitudo, nutat Constantia, timet Potentia, homo sine metu est securus? pavet hominum Salvator, & ridet homo peccator? Tu, qui tot commisisti timenda, non times, ô si quis hic ades, quem conscientia ut nocentem accusat. Ratio ut reum condemnat, nisi sis sine vitâ truncus, sine sensu stipes, toto & contremisces corpore, & exhorresces animo, si hæc pauca, quæ ex me audies, pensiculatius expẽdas. Si sis expers divinæ gratiæ, es hæres æternæ pœnæ; jam verò, ut ad locum illum

Ierm. 23. 9. Iob. 14. 13. Sap. 18. 14.

Timendũ nobis ob periculæ interitus.

illum pervenias, ubi æternus æternum ardeas, scis quantum requiratur spatium temporis? quo nihil nec est, nec esse potest contractius, unum momentum. Scis quantum te inter, & tartarum sit spatium loci? quo nec est, nec esse potest angustius, unum punctum. Si ergo tibi in hoc statu in quo vivis, si hoc loco, quo consistis, si hoc ipso momento quo spiras, spirare desinas, in puncto ad inferna descendes? ita ut illud ipsum momentum, quo extremum exhalas spiritum, sit tibi futurum infaustæ æternitatis exordium. A quo autem dependet, ne tantum tibi, quantum majus timeri non potest, malum accidat? ab illo quem Pater constituit Judicem vivorum & mortuorum. Ille autem Judex tuus, est hic in conspectu tuo. Ille est de quo Paulus: *Horrendum est incidere in manus DEI viventis.* Si ille semel manū, quà te comprehendit, subtrahat, jam in ictu oculi, patieris omnia quæ timeri possunt, timenda, & necdum times? ille, qui cum propter te voluit pati, cœpit pavere in horto, vult ut & tu hac hora paveas in hoc templo; & sic paveas, ut toto corde doleas; & sic doleas, ut confitendo peccata tua etiā hodie deleas, & sic deleas, ut in gratiam ejus redeas. Quæ omnia nisi facias hodierna die, fortè hac nocte animam tuam repetet à te: fors priusquam pedem intuleris in domum, invenies te detrusum ad tartarum. Jam nunc, hac hora, hoc loco, ex ore Ezechielis, velut ex atra nube detonat Judex tuus. *Afflictio ecce venit; finis venit, venit finis, &c. venit contritio super te, venit tempus, prope est dies occisionis: nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te, &c.* Et *scietis quia ego sum* DOMINUS *percutiens.* Cavete, pavete, horrete: quis scit si DEUS voluerit aliquem ex hac corona, hac

Heb. 10. 31.

Ezech. 7. 5. 6.

hac hora, hoc loco, ex hoc pulpito, voce mea admoneri, & terreri, ut hodie à DEO aversus, ad eum se convertat? imminet vobis mors, incumbit vertici nostro immensum illud pondus æternitatis, ut morientes conterat: sub pedibus vestris *dilatavit infernus animam suam.* ut absorbeat animas vestras: adest in ara Judex, clamat, hortatur, invitat; *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Minatur divinæ justitiæ præco: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum tetendit.* O Domine, satis est ad metum, audire vocem metuendi, *Timor, & tremor venerunt super me.* Ego ergò propter iram tuam, & iniquitatem meam, toto & corpore tremens, & animo pavens, fugio ad te, qui cœpisti in horto pavere pro me. Immensum timeo, immanè doleo: timeo quem offendi: doleo quia offendi. Timeo quia te provocavi ad iracundiam, doleo, quia non placavi iratum. O Pietas parce impio! ô Misericordia, aspice miserum! ô Clementia, admitte detestantem sua flagitia. Noli avertì à me, dum ego convertor ad te. Fateor, filius sum mortis: sed tamen quantum timeo mortem, tantum spero & vitam. Quia tu vita vitæ meæ protestatus es per Prophetam: *Nolo mortem morientis, revertimini, & vivite.* Si nolis mortem, si cupis me vivere, nunc sine metu concinam, *non moriar, sed vivam.*

*Ierm. 5. 14.*
*Ioël. 2. 12.*
*Ps. 7. 13.*
*Ps. 54. 5.*
*Ezech. 18. 32.*
*Ps. 117. 16.*

## §. III.

### *Christi tristitia.*

*Cæpit contristari, & mœstus esse.* Sollicito Christi, quo in intinere percussus fuerat, pavori, successit immodica tristitia: sic ut finis unius mali, initium esset alterius. Ingressus itaque hortum, sola dolorum segete fertilem, implevit eum suspiriis,

*Matt. 26. 37.*

suspiriis, & perfudit lachrymis, mœstoque vultu, ac dilectis præ mœrore oculis, nunc Petrum, nunc Jacobum, nunc dilectum sibi discipulum Joannem intuens, volebat loqui, sed loquendi facultatem adimebat intemperans dolor. Vastus enim dolor vult silentio honorari. Iterum, iterumque, timore pavidus, dolore attonitus, tristitia obrutus, discipulos aspicit, & nunc sursum ad cœlum, nunc deorsum ad terram, nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum oculos circumferens, manibus plangens, corde ingemiscens, oculis plorans, tandem magno cum singultu, hiulcâ voce, ac crebris gemitibus interrupta lugubriter exclamat: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* O Petre, ô Jacobe, ô Joannes viscera mea, deliciæ meæ, olim in monte Thaboræo, spectatores gloriæ meæ, nunc in horto testes meæ tristitiæ. *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me.* Audit hæc Petrus, & horret; audit Jacobus, & stupet; audit hæc Joannes, & præ dolore deficit. Ad hæc verba stant singuli attoniti: uti amici Job, qui septem diebus, luctuosissimam ejus sortem solis lachrymis, suspiriis, stupore, silentio deplorârunt. *Videbant enim dolorem esse vehementem.* Ita & hic, nemo unus è discipulis vel verbum profert, quilibet silet, singuli stupēt. *Videbant enim dolorem esse vehementem.* Erat quippe tristis usque ad mortem. Hoc est, ex viva, & vehementi omnium quæ mihi imminent, & mente circumspicio, malorū apprehensione, sic angor, adeò tristor, ac si jam nunc morerer: sustineo agoniā, & dolores mortis, patior angustias morientis. Spiritus, & vires me penitus deficiunt: pavore tantum non exanimor; angoris violentia, & mœroris vehementia vitam pene eripiunt, & spiritum intercludunt.

Ps. 54. 5.

Iob. 2. 12

O ani-

O anima mea! vide ut tristis est anima Christi usque ad mortem, quia tu declinas à viâ arctâ quæ ducit ad vitam, & ambulas per viam latam, quæ ducit ad mortem. Arescit fons ille, ex quo quidquid est lætitiæ in hominibus, vel gaudii in Angelis, vel exultationis in cœlo, & terra, plenis rivis exundat. Nunc ergò vale ô lætitia, & gaudium; claudere ô *domus convivii*, ibo ad hortum Gethsemani, hoc est, ad *domum luctus*. Valete ô strata eburnea, *Lacrymis stratum meum rigabo* : marcescite rosæ, crescite spinæ, silete ô tympana, & cytharæ, & organa, non amplius personent illa verba: *Relinquamus ubique signa lætitiæ*, non est conveniens luctibus ille sonus. Accede tristitia, tu esto mihi conviva in mensa, comes in itinere, dux in via; aperi oculos fletibus, cor gemitibus, fauces singultibus, pectus suspiriis, manus planctui, linguam ejulatui. Doles mi Jesu, & tristaris coram tribus discipulis ; sed an tantum propter illos doles? Nunquid & ego, mi Jesu, unus eram ex illis, propter quem, & super quem dolebas? nonne ideo tristis fuit anima tua, quia peccabat anima mea? & cùm peccasset, non erat tristis usque ad mortem, sed illos imitabatur, *qui lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis?* ô mala de malis, & pessima de rebus pessimis lætitia! Post tantam illam Christi tristitiam, ob hominum peccata conceptam, deberent omnes per totum orbem diffusi homines, propter unicum tantum, & illud minimũ ab homine uno commissum peccatum, adeò dolere, tantumque tristari, ut præ tristitiæ magnitudine oporteret eos tundere pectus, evellere capillos, laniare genas, indui sacco, conspergi pulvere, jacere in cinere, rugire à gemitu cordis sui, implere totum aërem querulis la-

*Eccl.* 7 3

*Ps.* 6. 7.

*Sap.* 5.

*Prov.* 2. 44.

*Tristitia maxima concipiẽda ob peccatũ minimũ.*

mentis, clamari flebili voce, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lachrymarum, & plorabo noctes & dies?* & cum Michæa, *Super hoc plangam, ululabo vadam spoliatus & nudus; faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* Hunc in modum par esset, quotquot in orbe sunt mortales, tristari, & lugere, propter unicum, & minimum quod potest concipi, commissum peccatum. Ubi jam tua tristitia, post scelera numero plurima, gravitate maxima? tristis est anima Christi usque ad mortem, qui tamen *peccatum non fecit: in peccatis concepit* te *mater* tua; *in peccatis natus es totus.* Peccasti super numerum arenæ maris; peccata tua ascenderunt usque ad cœlum coram Deo. Quænam est lex Dei quam non violasti? quod mandatum quod non spreviſti? quod consilium, quod non rejeciſti? quodnam in toto corpore membrum, quod non fuit tibi peccandi instrumentum? denique à planta pedis, usque ad verticem capitis non est in te sanitas, quia non est nisi iniquitas; ubi nunc post pœnitenda, pœnitentia? pœnitentia? imò totus effunderis in lætitiam, salis pedibus, plaudis manibus, studes exhauriendis calicibus, per diem helluaris, per noctem debaccharis, ducis in bonis dies tuos. Quid est quod exspectes post tot bona in vita nisi illud triste divitis Epulonis, *Recordare, quia recepisti bona in vita tua, &c.* ideo *tu cruciaris.* Audite, delicatuli, quorum Deus venter est, qui per noctem volutamini inter plumas, per diem ambulatis inter rosas, qui vitam totam traducitis inter delicias, quibus post infinita flagitia, non tantum horror est agere pœnitentiam, sed timor vel audire loquentem de pœnitentia. Audite, horrete, contremiscite, quia qui loquitur est Veritas, qui minatur

Ierem. 9. 1.
Mich. 1. 1
1. Pet. 2. 22.
Ps. 50. 6
Io. 9. 34.
Luc. 16. 25.

natur est justitia, qui, quod minatur, exequetur, est Potentia; hic dicit filiis mortis, Filius Dei, qui tristis est usque ad mortem: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Post tale tonitru adhuc dormis? necdum evigilas? O tristissime Jesu, ego, ego ille sum, qui ex corde tuo extorsi tot gemitus: ego qui expressi ex ore lamenta, ego qui elicui ex oculis tuis lachrymas. Sed & idem abstergam omnem lachrymam ab oculis tuis. Scio, quia *gaudium* tibi *est super uno peccatore pœnitentiam agente.* Peccator sum, fateor, *peccavi in cœlum, & coram te.* Pœnitet, me odisse Patrem, deseruisse Dominum, offendisse DEUM. Non ergo sit amplius tristis anima tua usque ad mortem, sed tristitia tua vertatur in gaudium; quia gaudium tibi est super uno peccatore pœnitentiam agente, & gaudium illud nunquam tollam à te, quia nunquam offenderis à me.

Luc. 13.

Luc. 15. 6

Ibid.

## §. IV.

### *Fons tristitiæ salientis in cor Christi.*

HÆc Christi tristitia fuit vehementior, & ferocior, quam fuerat, vel esse poterat, secundùm communem DEI potentiam. Primùm ex parte objecti materialis: quia Christus doluit de peccatis omnibus hominum omnium simul sibi repræsentatis, & velut in unum acervum conflatis; & modo intelligendi absolutissimo, & perfectissimo perceptis, ac expensis. 2. Ex parte objecti formalis; quia nemo unquam sic cognovit, sive Majestatem DEI offensi; sive, qua offenditur, malitiam peccati. 3. Ex modo cognitionis; quia nemo tam perspicuè, distinctè, tantaque animi seu attentione, seu contentione, singula quæ ad testandum peccatum possunt permovere, consi-

deravit. 4. Ex parte principii; quia nemo tanta charitate DEUM dilexit, aut etiam colere, divinumque jus inviolatum servare studuit. Quanto autem impensius aliquem diligimus, tantò acerbius de ejus malo tristamur. Unus Christus, homo DEUS, amore condigno, hoc est infinito, DEUM prosequebatur. Igitur necesse fuit, ut ipse de peccatis hominum, per quæ infinita, certo modo, DEO irrogatur injuria, infinite quasi & ad mortem usque tristaretur. Quapropter permittebat sibi proponi, & velut in patentissimo theatro palam menti suæ exponi mala omnia sive præterita, sive præsentia, sive futura. 1. Præterita; quia respiciebat immensam illam hominum multitudinem, qui à mundo condito, usque ad illam horam, ô dolor! æternum perierant, & in illo fumoso tartarorum barathro intolerabilibus cruciatibus torquebantur. Itaque vastissima illa inferorum vorago, quasi sub pedibus ejus patefacta, hiabat, ibique percipiebat horrendos illorum è mediis tormentis ululatus, blasphemas in DEUM querelas, ac plena desperationis lamenta. O quanta & quàm ferox erat hæc tristitia Christo, singulas animas sic amanti, ut pro qualibet promptissimus fuerit pati ea omnia, quæ passus est pro omnibus; ac simul consideranti, ones illas animas potuisse beneficio sui sanguinis pœnis exemptas, æterna gloria donari! nonne post interitum, æternamq; tot animarum mortem, meritò erat Christi anima tristis usque ad mortem? A præteritis oculos contorquebat ad præsentia; hic iterum tragica, funestaque proponebatur scena. Percipiebat mundi statum præsentem in præsentissimo æterni exitii periculo; utpote quē cognoverat, tam fœda, ac tetra ignorantiæ

Mundi status miserrimus cũ Christo pateretur.

rantiæ nocte circumfusum, tam abominanda scelerum colluvie, tam deploranda errorum caligine involutum, ut pauciſſimi, hoc eſt, ſoli Judæi, DEUM agnoſcerent, & inter illos vix ulli cognoſcerent, aut ſaltem cognitũ, ut par erat, colerent: ſic ut verè dici potuerit de illo tunc nunquam ſatis deplorando ſtatu mundi, illud regii Vatis, *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Nec minus vere illud Innocentii Pontificis, *Tota vita mortalium, plena eſt peccatis mortalibus.* Jeroſolyma *urbs* illa *perfecti decoris*, quæ verè ut domina gentium, omnibus præcellebat nationibus, omnium nationum ſcatebat erroribus. Teterrimam ejus faciem vide quibus exprimat lineamentis D. Chryſologus: *Ieroſolyma varia ſe contaminatione perfuderat; ſacerdotes profanaverant ſancta, & peccata vendentes, in quæſtum, veniam, pietatemq; converterant: Scribæ doctrinam cœleſtem, ſcientiam ſalutarem, vitale magiſterium, in ſævum ſenſum, in perfidiæ lapſum, in letale vaniloquium commutarant. Hinc eſt quod Chriſtum nolunt naſci, vivere timent: quia noverant ſe mox ignominiæ dandos, tradendos opprobriis, ejiciendos templo, privandos ſacerdotio, oblationum munere vacuandos.* Hinc Chriſtus præſagus omniũ, quæ mox paſſurus eſſet à populo ſibi tam dilecto, & præ omnibus electo: videns ſe à cœlo, à terra, ab Angelis, ab hominibus, à Patre, à Matre, à diſcipulis, ab omnibus deſertũ, mœſtiſſimo ad diſcipulos vultu converſo, *triſtis eſt*, ait, *anima mea uſq; ad mortem.* Omnes nunc cõſpirantibus ſtudiis in perniciem meam conjurabunt, concurrent ad me affligendum reges, judices, gubernatores, ſummi Pontifices, Scribæ, Phariſæi, Aulici, milites, gentiles, Judæi: hinc *triſtis eſt anima mea.* Rex Herodes, & curia ejus ſubſannabunt me, Judex Pilatus condemnabit,

*Pſ. 13. 2. De contemptu mundi. Ier. Thr. 1. Ser. 158.*

nabit, Annas, & Caiphas, Summi Sacerdotes, reprobabunt, Scribæ, & Phariſæi accuſabunt, milites comprehendent, carnifices flagellabunt, & cruci affigent, unus Apoſtolorum me tradet, alter negabit, omnes me deſerent. *Triſtis eſt anima mea.* Hoc caput configetur ſpinis, evellentur capilli, genæ alapis percutientur, brachia luxabuntur, manus & pedes terebrabuntur clavis, dorsũ, totumq; corpus vulneribus conficietur. *Triſtis eſt anima mea.* O qui tum dolores animi! at ſaltem qui poſt ejus mortem futuri ſunt homines, ſi ſalutem conſequantur. Sed illud multò maximè dolorem ejus accumulabat, quod præſagiret tot, ac tam enormia patranda olim ſcelera, & quod ſequitur, tot perituros, perinde ac ſi non fuiſſet paſſus: quin etiam vel ideò peccaturos omnes gravius, quò ipſe tuliſſet graviora. Hæc omnia ſimul conglobata, præterita, præſentia, futura, ſic animam ejus triſtiſſimam omnibus machinis, totis viribus tantoq; impetu adoriebantur, ut præ vaſtiſſimi doloris vehementia, ac mole, quæ toto pondere in eũ incumbebat, vivere nequiviſſet, niſi virtus aliqua, humanâ major, vitam ſuſtentâſſet. Et tu auctor tantæ triſtitiæ illi, qui eſt gaudium univerſæ terræ, & lætitia totius cœli, non tantum non es triſtis uſque ad mortem, ſed nec uſq; ad fletum. Quid dico; es lætus uſque ad riſum; imò audes gloriari in malitia, & jactare illa verba, quæ impius ille, *Peccavi; & quid accidit mihi triſte?* itane verò? an ergo quidquam fingi poteſt triſtius peccatori, quàm peccaſſe? exutus es DEI gratiâ; quod cum dico jam tibi accidiſſe omnia, quæ timeri poſſunt triſtia. Audi, quid tibi acciderit triſte; & ad audita tinnient tibi binæ aures, ſi quæ in te ſuperſit fides. Peccâſti, ergò jam amiſiſti jus ad cœlum,

Eccl. 5. 4.

Peccati damna.

lum, spoliatus es omnibus præsidiis ad regnum cæli, virtutibus, meritis, suffragiis Ecclesiæ, communione Sanctorum, tutela Angelorum, protectione DEI. Peccasti, ergo jam accidit tibi tantum mali, ut licet omnes, quotquot unquam fuerunt, vel erunt tyranni, omnia, quæ ingeniosa in pœnas crudelitas posset excogitare tormenta, tibi infligerent: licet omnes omnium sæculorum homines in tuam perniciem conjurarent; licet apertis inferorum repagulis omnes egrederentur dæmones, ut te conjunctis viribus invaderent, discerperent, dilaniarent: licet tu unus deberes in corpore, & anima sustinere omnes eorum, qui tartari addicti sunt pœnis, cruciatus: omnia hæc mala jam recensita, & innumera alia, quæ fingi possent, non sunt comparanda cum malo illo quod tibi accidit, dū vel unicum mortale commisisti delictum: audes dicere; *Peccavi, quid mihi accidit triste?* Peccasti? ergo festina, curre ad illos qui habent potestatem remittendi peccata. Peccasti? *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Peccasti? ecce illum qui *venit vocare peccatores.* O Domine, propter animam meam tristis est anima tua. Ego illius tristitiæ auctor, quia legis tuæ prævaricator: ego igitur servus peccati, reus mortis, filius iræ, hæres gehennæ, opprobrium terræ, odium cœli, plenus amaritudine, perfusus lachrymis, suspirans corde, percutio pectus meum ejulans, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, quia anima mea appropinquavit usque ad portas mortis.

*Io. 1. 29. Matth. 9 13.*

## §. V.

### *Avellitur à Discipulis.*

ET *ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis.* Luc. 22. 41. Ecce hic novam novi doloris ma-

teriam. *Ipse avulsus est ab eis*, quis? à quibus? ipse, ab eis. Christus ab Apostolis. Nemo facilè verbis exprimet, tum Christi, tum Apostolorum in hac avulsione dolorem, nisi mente assequatur, mutuum inter eos amorem. Nunquam sic pater primogenitum, mater unigenitum filium, sponsus sponsam, frater sororem, amicus amicorum primum: nunquam sic Jacob Josephũ, Joseph Benjaminum, mater suum Tobiam, Jonathas Davidem dilexit, sicut Christus diligebat Apostolos. Sed hanc dilectionem vox ipsa Dilecti nervosius explicabit, *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Plusne Pater aliquem diligit, vel potest diligere quàm filiũ: *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus.* Plusne potest Pater sibi in aliquo complacere, quàm in filio? *in quo mihi bene complacui.* Tamen, *sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Sed & vicissim discipuli diligebant Christum. *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.* Quantâ ergo violentiâ *avulsus est ab eis!* sicut enim annosa quercus, quæ altissimas in terris egit radices, à terra, cui inhæret, & cui quasi unita est, non avellitur sine vi magna, & radicum contusione, ac fibrarum confractione: sic Christi, ac discipulorum, cùm non esset nisi cor unũ, & anima una, non potuit sine summo dolore ac violentia hæc fuisse avulsio. Solent Medici, ac Philosophi definire, *Dolorem divisionem continui*: nihil porro tam continuum, & unum, quàm amici, quorum anima dicitur magis esse ubi amat, quàm ubi animat. O quantus ergo in hac avulsione utrimque mœror! Christus deserturus Apostolos, tacito alloquebatur aspectu, quia dolor intercluserat vocem: discipuli, solis respondebant lachrymis, quia stupor eripuerat mentem. Abibat post mutuos amplexus pedetentim Christus:

*Amor Christi in Apostolos.*

*Io. 15. 9.*

*Matt. 17. 5.*

*Ioan. 16.*

stus: vix passibus aliquot fuerat progressus, cùm ad dilectos sua lumina torsit. Jam propè fugiebat optatissimum illorum conspectum, iterum respexit. Resonat mons totus mutuis suspiriis: plangunt discipuli, plangentibus assonat Echo. Tandem aberat jam tantum, *quantum jactus est lapidis*. Hic amor, & dolor, cùm uterque esset summus, fixis illic quasi Herculeis columnis, Non ultra, eum sistebat. Interim, *ipse avulsus est ab eis*. Pastor ab ovibus, dux à militibus, patronus à clientibus, magister à discipulis, Pater à filiis, Christus ab Apostolis. Miseræ oviculæ, quid agetis, si veniat lupus rapax? quæretis pastorem? *avulsus est*. Heu imbelles milites, quo fugietis, si hostes apprehendant arma, & scutum, & vos adoriantur? fugietis ad Ducem? *avulsus est*. Heu afflictissimi pupilli! ecce *adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus* vos: *tradent vos in concilius, & Synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides, & ad reges ducemini*; & quo miseri fugietis? ad magistrum? ad Patrem? ad Jesum? *avulsus est*. Sed nolite timere vos. Non procul est ab unoquoque vestrum; tantum abest, *quantum jactus est lapidis*. Si periculum vos terret, clamate, exaudiet. Si bellum imminet, quærite eum, invenietis: tantum abest, *quantum jactus est lapidis*. Longius à peccatoribus abest Deus: non *quantum est jactus lapidis*; sed *sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris*. Chaos magnum firmatum est inter Deum, & peccatorem; nam *longè à peccatoribus salus*: ergo longissimè à peccatoribus Jesus, hoc est Salvator. Pulli si longè recedant à matre, advolat milvus, & devorat. Sol si longè recedat à terra, tota obscuratur tenebris. Ita *qui se elongant à te, peribunt*. Prodigus elongavit se à Patre, *& peregre profectus*

*Ps. 2. 2. Matt. 10. 18.*

*Isa. 55. 9*

*Luc. 16. Ps. 118. 115.*

Peccator longe est à Deo.

Psal. 12. Luc. 15. 16. fectus est in regionem longinquam, & ecce à Patre avulsus, *cœpit egere, & cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Ecce, quæ calamitas, dum filius avellitur à Patre, dum elongatur à domo patris. Appositè de prodigo D. Ambrosius: Nil mirum si cœpit egere, In Luc. 15. *quia qui recedit à fonte, sitit: qui recedit à thesauro eget: qui recedit à sapientia, hebetatur; qui recedit à virtute, dissolvitur. Vere infelix egestas, cui & panis defuit, & porcorum cibus nil profuit.* Si ita est, profectò non expedit avelli à te. ô Christe, nequidem *quantum jactus est lapidis.* Terret enim me vox illa tua fulminatrix, quam Oseæ ore edidisti minitans: *Va* Ose. 9. *eis, cùm recessero ab eis.* Meritò væ, quia sicut recedente anima, moritur corpus; sic recedente tua gratia moritur anima. Quod ne fiat, supplex te Psal. 34. 22. rogo cum Propheta: *Domine ne discedas à me.* Est tibi nomen *Emanuel*, id est, *nobiscum Deus.* Ergo *mane* Matt. 1. 24. *nobiscum* ô Sol! quoniam si tu discedas, *advesperascit: mane nobiscum* ô Fons, quia sine te sitimus; *mane nobiscum* ô vita, quia sine te morimur; *mane* Luc. 24. 9. *nobiscum* ô salus, quia sine te perimus. Nolite desperare ô peccatores, quasi is, qui *venit vocare peccatores*, procul sit, ut non possit vos audire. Non est avulsus ab iis, qui habent *cor lapideum*, ne quiActor. 17. 27. dem *quantum est jactus lapidis.* Audite Apostolum, *Non longe est ab unoquoque nostrum.* Emitte duntaxat è corde dolenti tacitum suspirium, audiet; *quia non longe est.* Stillet ex uno oculorum lachrymula, videbit, quia *non longe est.* Extende ad illum manũ tuam, apprehendet, quia *non longe est.* Tange fimbriam vestimenti ejus, sentiet, quia *non longe est.* Accurre cum Prodigo ad Patrem, occurret, quia *non longe est ab unoquoque nostrum.* Ecce homo, ecce Deus, ecce Deus homo, clamat ad justos, clamat

ad

ad peccatores. Clamat ad justos, *Venite:* ad peccatores, *Redite*: ad illos, *Venite ad me omnes qui laboratis*: ad hos, *Redite prævaricatores ad cor.* Redite per viam arctam & angustam, qui recessistis per viam latam & spatiosam. Redite per pœnitentiam, qui recessistis per malitiam. Redite per pudicitiam, qui recessistis per luxuriam. Redite per temperantiam, qui recessistis per ebrietatem. Redite prævaricatores, ut ex ore Judicis aliquando audiatis illud, *Venite Benedicti.* Matt. 11. 28. Isa. 48. 8. Matt. 26

## §. VI.

### *Christi ad Patrem Oratio.*

*PRogressus pusillum, procidit in faciem suam, super terram.* Filius DEI, jam vix filius hominis, mœstus usque ad tædium, pavidus usque ad tremorem, tristis usque ad mortem, tot altercantibus inter se affectibus obrutus, cùm nusquam videret in terris quo fugeret, asylum; nullum speraret ab hominibus, quo respiraret, præsidium: cum nullum perciperet à discipulis, quo recrearetur, solatium: secum, ut prodigus ille dicebat: *Surgam, & ibo ad Patrem. Positis ergo genibus, & procidens in faciem suam super terram orabat.* Ecce hic omnipotens DEI filius totius mundi in maligno positi molem sustinens, gravissimo peccatorum omnium pondere oppressus, quasi sub onere immenso fatiscens, submississimâ reverentiâ inclinat corpus, inflectit humeros, incurvat genua, & (*obstupescite cœli super hoc*) qui *in principio creavit cœlum & terram, procidit in faciem suam super terram.* O superbe qui erecto collo, elatis superciliis, pingui cervice, summis per terram plantis, ventosissimo fastu, ambulas per vias Babylonias, vide hic Altitudinẽ depressam, Majestatem in solum pro- Matt. 26. 39. Luc. 15. Ier. 2. 12. Gen. 1. 1.

prostratam: vide ô fili terræ, Filium DEI affixum terræ; vide ô pulvis, & cinis, totum DEUM pulveri involutum. O prodigium! illic figit DEUS suam faciem, ubi solent homines figere pedes. Audiant hic illi, quibus grave est oraturis DEUM in domo orationis, flectere bina genua, loquentem Cæsarium. *Orat Misericordia, & non orat miseria; orat Charitas, & non humiliatur iniquitas: prostratus in terra orat Medicus, & non inclinatur agrotus: orat Innocentia, & non orat nequitia: orat qui peccatum non fecit, & non se prosternit multis peccatis obnoxius. Orat Iudex, & desiderat parcere, & non orat Reus, ut indulgentiam mereatur accipere: orat iudicaturus, & orare dissimulat judicandus.* Sed percipiamus verba orantis, ut ab eo accipiamus exemplum orandi. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Imò, Frater mi, si possibile est, transeat non à te, sed per te calix iste. Si enim vis à te transire calicem, necesse est perire hominem. *Dilatavit infernus animam suam absque ullo termino*: insidiantur nobis Principes tenebrarum, minantur exitium dæmones, Pater tuus vibrat gladium bis acutum, Angeli destituunt nos omni auxilio; trepidat homo reus inter apertos inferos, & clausos cœlos, nudus, pavidus, solicitus, omnium furori expositus; & ecce si tu unus vivas, omnes morimur. Miserere Fratrum tuorum: *frater enim, & caro nostra es.* JESUS es, hoc est Salvator, salva nos, perimus, nisi tu biberis calicem pro pereuntibus. Adhuc tamen clamat, *si possibile est, transeat à me calix iste.* Per me licet, ô Christe, transeat à te calix iste: sed interim ecce *quem amas infirmatur.* Transeat à te calix iste, si possibile est, ut quem amas, non perire sinas. Transeat à te calix iste, si possibile est, ut videas hominem, propter quem factus es homo, morien-

Cæsar. Arelat. hom. 29.

Ps. 5. 14.

Gen. 37. 14.

Ioan. 11.

motientem. Scio non est hoc possibile. Videbas Jerusalem,& prævidebas ejus perniciem,& mox flebas super civitatem. Lazarus mortuus erat, & cum stares ad monumentum, lachrymatus es. Una erat perdita ovicula, & demissis 99. venisti ad illam quæ perierat. Videbas olim turbam, & cum non haberent quod manducarent, misericordia motus,dicebas: *Misereor super turbam*,Ecce turbam,quam dinumerare nemo potest,omnes, inquam,filii Adæ, quia pater illorum *tulit de fructu ligni*, quod est in medio Paradisi. *& comedit* : jam non habent quod manducent, & ideò necesse est ut pereant. Et eritne possibile, ut non miserearis super tantam turbam? Scio quia non est possibile,ideò impossibile est ut transeat calix iste à te. Mater illa coram Salomone, cum videret filium suum occidendum, diceretque Salomon: *Afferte mihi gladium,& dividite infantem vivum in duas partes*,statim ad hoc funestum spectaculum *commota sunt viscera ejus super filio suo*; & dixit: *Obsecro* Domine,*date illi infantem vivum, & nolite interficere eum*. Ecce Pater tuus plus quàm Salomon, *gladium suum vibravit*, ut tollat hominem, quem creasti ad imaginem & similitudinem tuã: quòd si transeat calix iste à te,ipsius animam pertransibit gladius Patris tui. Nolite timere; video;commoventur viscera ejus (habet enim viscera misericordiæ) super homine, & ecce, extendit manum ut apprehendat calicem,& ebibat: prius tamen ad vos conversus, à vobis quærit: *Potestis bibere calicem,quem ego bibiturus sum*? alium vobis calicem proponit meretrix illa Babylonica, *mater fornicationum, & abominationum terræ, poculum aureum, quod habet in manu sua plenum abominatione*. Ex hoc poculo bibitur *vinum in quo est luxuria*. Et tamen

*Marc. 8. 8.*
*Gen. 3. 6*
*3. Reg. 3. 24.*
*Ps. 7. 13.*
*Matt. 10. 22.*
*Apoc. 17. 4.*
*Ephes. 5. 18.*

tamen hic quilibet exclamat, Sitio: *da mihi bibere*: vix primariis labris gustavit: cum ecce, ut Jonathas, exclamat: *Gustans gustavi paululum* vini, ex calice mundi, *& ecce morior.* Contrà calix tuus inebrians, ô Christe, quàm præclarus est, quia tu labiis tuis, sub quibus *est mel & lac*, omnem amaritudinem sustulisti: ideò gustans gustabo paululum vini, ex calice, quem tu bibisti, & ecce vivam, quia qui bibit ex calice isto, *non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Ioan. 4. 7. 1. Reg. 14. 43. Cant. 4. 11. Ioan. 4. 14.

## §. VII.

### *Christus Patris voluntati se submittens, calicem ab eo oblatum admittit.*

*PAter mi, si possibile est transeat à me calix iste, verum non sicut ego volo, sed sicut tu.* Pater mi, scio, scio, decretum tuum, cui in foro Justitiæ subscripsi, admisi mandatum tuum: tenes chirographum meum: novi, quia *in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, DEUS meus volui.* Itaque non mea, sed tua voluntas fiat. Sed tamen Pater, & Pater mi, non tantum favore gratiæ, sed jure naturæ, tu scis, quia diligo te, & scio quia diligis me, te attestante, *Hic est Filius meus dilectus.* Si ergò diligis me, si unquam tibi bene complacui, placeat tibi, ut transeat calix iste à me. Sufficiat tibi, Pater, me natum in stabulo, pannis involutum, reclinatum in præsepio. Si lachrymas quæris? flevi super Jerusalem. Si sanguinem? hunc fudi circumcisus. Si labores; *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute.* Si fatigationem? fatigatus sedi supra fontem: tristitiam? *Tristis est anima mea usque ad mortem. Transeat ergo calix iste.* Tuone Filio dilecto, & sic dilecto conveniunt vincula, sputa, alapæ, flagella, spinæ, clavi, crux? poterisne Pater mi videre

Matt. 26 Pf. 39. 9 Matt. 3. 17. Pf. 87. 16.

videre Filium tuum in Golgothæo monte, summa cum ignominia medio in aëre, probroso in stipite, nudum, lacerum, cruentum tanquàm opprobrium omnium hominum, & novissimum virorum pendere, ac mori? *Nunc anima mea turbata est. Pater salvifica me ex hac hora.* Et nunc dicam: *veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Hæc vox dilecti est.* Hæc vox capitis, salus est totius corporis. Agnosco in unâ personâ duas voces sensu discrepantes: altera est vox Timoris, altera est vox Amoris. *Transeat à me calix*, vox est Timoris; *veruntamen non sicut ego volo*, vox est Amoris. *Transeat à me calix*, vox est quasi infirmi; *non sicut ego volo*, vox est Medici. Timor calicem rejicit, Amor admittit. Timor vult calicem transire à se, Amor vult transire per se. Timor calicem vult effundere, Amor vult ebibere. Clamat timor, *non bibam de hoc genimine vitis* Amor clamat: *Da mihi bibere.* Bibam donec exhausto calice dicam: *Consummatum est.* Dum proponitur Christo feralis ille cruentæ tragœdiæ apparatus, funes, vincula, columnæ, flagella, spinæ, fel, acetum, crux, clavi, lancea. Timor dicit: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* At contra, dum illi proponuntur decretum SS. Trinitatis, corporis ejus resurrecturi gloria, Angelorum desiderium, SS Patrum è lymbo suspiria, hominum universorum salus, denique Patris æterni voluntas, Amor dicit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Dum auditur vox Timoris, *transeat à me calix iste.* Exultant inimici hominis, lætantur Inferi, triumphant dæmones, & consilium faciunt in unum, ut perdant hominem dicentes, *Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat*; calicem, quem dedit ei Pater, non vult bibere. At verò dum personat vox illa amo-

Ioan. 12. 27. Cant. 2. 8. Gal. 5. 17 Marc. 14. 25. Ioan. 14. 10. Ps. 70. 11.

ris, *non sicut ego volo, sed sicut tu,* fugiunt dæmones, confunduntur hostes, ululat tartarum, gaudent cœli, lætantur Angeli, applaudunt homines. Quemadmodum Christus hic expertus est luctam inter Timorem & Amorem; sic & ego fateor, me audire vocem in membris meis reclamantem voci mentis meæ. Toties clamat corrupta natura: *Transeat à me calix iste.* Si proponatur mihi injuria oblivione sepelienda, inimicitia deponenda; cùm silentio audiendæ contumeliæ: hîc clamatur: *Transeat à me calix iste.* Maceranda est caro inedia, pungendum hispido amictu corpus, frænanda luxuria, cohibenda iracundia; iterum obloquitur caro, & clamat: *Transeat à me calix iste, Transeat à me* omnis adversitas: *transeat à me* paupertas, ignominia, fames, sitis, morbus, denique *transeat à me* quidquid mihi incommodum, molestum, malum est. Vox hæc vox Esau est, non Jacob: est vox naturæ, non gratiæ; est vox carnis, non spiritus. Alia nunc est vox mea: *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Profiteor, tua voluntas est quidem prima regula omnium voluntatum, ad cujus normam oportet nos quidlibet velle, & nolle: sed tamen quia toties voluntas mea declinat à voluntate tua, agnosco me esse similem illi pigro, de quo Sapiens: *Vult & non vult piger.* Urges me tuis verbis; *Adolescens tibi dico surge,* jam volo surgere, jam nolo. Spiritus jam me erigit, caro iterũ deprimit. Clamat Spiritus: Quæ sursum sunt, quære, quæ sursum sunt, sape; Reclamat caro, & dicit: *Mitte te deorsum*; sic ego miser, dum unum, idemque volo, & nolo, inter luctantem spiritũ, & reluctantem carnem, *factus sum mihimetipsi gravis.* Et quid dicam? *Spiritus quidem promptus est,* hic dicit: *Fiat voluntas tua? Caro autem infirma:* hic

Caro concupiscit contra spiritũ.

Sap. 13. 4
Luc. 7. 14.
Matt. 4.
Iob. 7. 20.
Matt. 26. 41.

con-

contradicit. Fiat voluntas mea. Sed quia perverſa eſt omnis voluntas, niſi ad tuam converſa, eam, ut Heliotropium ſolem, ſemper aſpiciat, nos tuam faciemus, ſed hac conditione, ut & tu facias voluntatem Patris tui. Multum peto, dum peto, ut facias voluntatem Patris, peto, quo nihil poſſum præſtabilius, utilius, felicius, conſequi. *Domine, tu omnia noſti: tu ſcis* quid petam, tuis te verbis urgeo: dixiſti: *deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Præclarè; ſed perſequere ſermonem, dic nobis, quæ eſt voluntas ejus qui miſit te? *Hæc autem eſt voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* O plena ſolatii, pleniſſima gaudii verba! videmus te filium, licet tantum *per ſpeculum in ænigmate*; videmus te, licet duntaxat ſtantem poſt parietem, perſpicientem *per cancellos*, & vel ſic videndo credimus, *quia tu es Chriſtus Filius DEI vivi.* Credimus, quia omnia per te facta ſunt, & ſine te factum eſt nihil; & ideò credimus, quia tu *unigenitus filius*, qui es *in ſinu Patris*: *ipſe* enarrâſti, ipſe qui es veritas, dixiſti: ſi ergò omnis qui videt filium, & credit in eum, debet habere vitam æternam, quid ſupereſt niſi ut illam, per te ſperemus, & propter te eam expectemus? Hæc eſt enim voluntas Patris, & quia eadem eſt voluntas tua, quæ Patris, hæc eſt & voluntas tua: fiat ergo voluntas tua, fiat & Patris voluntas, tunc nos certò manet æterna felicitas.

*Io. 21. 17*

*Io. 6. 38.*

*1. Cor. 3. 12.*

*Cant. 2. 9.*

*Matth. 6. 16.*

*Ioan. 1. 16.*

## §. VIII.

### *Chriſtus dormientes diſcipulos excitat.*

MAgnus ille totius mundi apud Patrem advocatus, poſtquàm coram Patre pro negotio omnium negotiorum maximo, hoc eſt hominum

num salute, perorâsset, afflictum terræ caput erigens, absterſis lachrymis, ad discipulos se contulit. Sed & illi novam Christo suppeditaverunt doloris materiam. *Invenit eos dormientes.* Quò hic se vertat tristissimus JESUS? De matre cogitat? abest. Oculos in discipulos conjicit? dormiunt. Judam respicit? videt venientem ut prodat, Aspicit cælum? horrescit tenebris. Circumspicit hortum? invenit se in solitudine: convertit se ad Patrem? non exaudit. Se introspicit? tristis est usque ad mortem, non est qui eum consoletur, non est usque ad unum O Christe, *nondum est finis*, in ò *hæc omnia initia sunt dolorum.* Nunc ergo *DEVS totius consolationis*, destitutus omni consolatione, rectè dixeris, quod de te pridem vates tuus prædixerit: *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni.* Cœlum, terra, Angeli, dæmones, homines, amici, inimici, Mater, Pater, DEUS omnia, videntur deseruisse eum, per quem facta sunt omnia. Christus ergo misertus dormientium discipulorum, blandè eos excitans, dixit Petro præ cæteris, quia inter cæteros in promittendo multa, fuerat audacior: *Simon dormis?* ac deinde aliis: *Sic? non potuistis unâ horâ vigilare mecum? vigilate & orate, ut non intretis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Quid hic exclamem; ô pudor! an ô dolor! pudor pro discipulis, dolor pro Magistro! pudor pro Petro, dolor pro Christo. Amici Christi dormiunt, inimici vigilant. Tota in perniciem Christi vigilat Jerosolyma: Vigilat Judas, ut Christum prodat: Vigilat Annas, ut cum interrogationibus circumveniat; Caiphas, ut reum capitis agat; Seniores, ut accusent; Pilatus, ut condemnet, carnifices ut flagellent, Pharisæi ut irrideant; vigilant omnes

Matt. 26. 49.

Matt. 24.

2. Cor. 2. 3.

Ps. 68. 22.

omnes ut eum divexent, agitent, convellant, dilanient: soli erant discipuli, à quibus in tantis angustiis, solatium; in tot periculis, præsidium Christus expectabat: & ipsi dormiunt. Quid aliud agunt jam passim mortales; quam ut obtineant mortalia, vigilare; ut immortalia, dormire? plures vigilant ut salutem amittant, quàm ut acquirant. Vigilat Philosophus, ut scientiâ, quæ inflat, polleat: vigilat Advocatus, ut lites non tam citò dirimat, quam diu foveat. Vigilat miles, ut hosti insidias vel struat, vel structas declinet: Mercator, ut rem familiarem augeat: nauta ut Syrtes, & scopulos fugiat: Fur, ut aliena rapiat. Pro rebus perituris concubiâ nocte omnes vigilant; aperti sunt oculi, stant velut in acie, excubant in specula, solertissimè in omnem partem circumspiciunt. Pro æternis, omnes dormiunt, stertunt, oscitant, & desides jacent. *Sic?* cernitis vos ab innumeris ambiri hostibus, & callidis ad insidiandum, & crudelibus ad nocendum, & validis ad pugnandum, & non *potestis unâ horâ vigilare? sic?* nostis vos peccasse toties, tam graviter; nescitis autem an amore, an odio digni sitis? non nescitis terribile vobis imminere judicium, & ignoratis quâ horâ venturus sit Judex, & non potestis *unâ horâ vigilare? Sic?* Peccator, si quisquis hic ades, inimicus es Dei, scis, & certò scis, quia non incertè credis posse te hoc isto quo loquor momento, ex hac vita repentè tolli; posse omne tempus pœnitentiæ tibi subitò eripi: posse te hoc templo, in altissimum inferorum baratrum ejici; hac hora potes ardere in gehenna, & adhuc dormis, necdum evigilas? quæ hæc, ô mortales! est supina socordia? quæ mentis cæcitas? quis animi stupor? ut alienæ insidiemini pudicitiæ, ut alienam traducatis

Vigilant plures in perniciem, quam salutē.

Dormiendi nō est locus nec tēpus.

catis famam, ut innocentes opprimatis, ut corpu esca, & potu immaniter saginetis, ut dæmon obtemperetis, ut animam perdatis, ut æternum pereatis; denique ut his omnibus graviùs dicam ut Deum summum illud bonum offendatis, to nocte laborantes vigilatis. O quàm appositè h exclamat contra dormiturientes, in negotio sal tis, Salvianus; *O cæcitas! ô insania! quanto studio felicissimi homines id efficitis, ut miseri in æternitate tis? quanto minore cura, minore ambitu id vobis præs re potuistis, ut semper beati esse positis?* Rectè, *min cura*, scilicet unâ horâ vigilando. Hic profect dormiendi neque locus est, neque tempus: s mus hic in stadio, currendum est; sumus in cam po, pugnandum est, sumus in mari, navigandu est; in solitudine, ambulandum est; in vinea, l borandum est; in agro, seminandum est; non e go hic oscitandum neque dormiendum est. No tantum non est hic dormiendi locus, sed nec tem pus. Excitat dormientes dum animæ statum c lamitosissimum nobis exprimit aurea illa tub Chrysologus: *Inter DEI præcepta, & cordis passion inter virtutes & vitia, inter adversa & prospera, in pœnas & præmia, inter vitam & mortem, stans in a bella sustinens, suscipiens vulnera, raro stans, occumb sensu, stat anima.* Hocce in loco tam lubrico quo oportet quotidie pugnare, & pugnando v vincere, vel perire: hocce in statu in quo semp periculum est ne salute excidat, si dormire inc piat, anima constituta, negliget unâ horâ vigilar scio Jesu, qui vult tecum æternum conregnar debet tecum unâ horâ vigilare. Vigilabo ergo cum, quia veniet brevi hora una, nota tibi, ign ta mihi, & ideò vigilandum: veniet hora, q claudentur oculi corporis nunquam amplius

*Ad Eccl. lib. 3.*

*Serm. 25*

perie

periendi, quâ migrandum in domum æternitatis: tum dicet spiritus, ut requiescam à laboribus: tunc, ubi hic tecum vigilavero; *in pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Ps. 4. 9.

## §. IX.

### *Tertia Christi ad Patrem oratio.*

SEmel oraverat magnus ille Orator, & illo orante dormiverant discipuli: iterum orat ille, iterum & dorminnt ipsi: tandem *iterum abiit & oravit tertiò, eundem sermonem dicens.* Calix ille amaritudinis, quem petebat à se Christus transferri, debebat necessariò usque ad ultimam guttam ab eo ebibi; illum enim transferri, repugnabat divino decreto. Enimverò ab omni retro æternitate in arcano SS. Trinitatis concilio factum est decretum, & factum fere tale: *Visum est Spiritui sancto, & nobis congregatis ad reficiendum hominem, qui olim ad imaginem nostram factus, jam collapsus est, ut Filius DEI, fiat homo, filius hominis, & pro hominibus anno ætatis suæ 33. sub Pontio Pilato crucifigatur. Ita testamur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Sic Prophetæ nuntiarunt.* Inde impossibile erat ut calix iste transiret à Christo. Nec hoc fugiebat Christum, ideò non refugit bibere illum, & ebibere. Quare ad Patrem conversus dicit, *Non mea voluntas fiat, sed tua.* Scio Jesu, fiet voluntas ejus, & qui veniens in mundum obediviſti Patri usque ad uterum matris, abiens è mundo obediens usque ad mortem crucis. Quod dixit Christus in horto Patri, idem dicit & homini, videlicet, *Non mea voluntas fiat, sed tua.* Tu homo vis me pati, vis me mori; fiat voluntas tua. Nunc ergo tu homo, pro quo moritur DEus homo, audi quibus verbis se totum tradat voluntati tuæ. Sic tibi loquitur, qui pro te patitur. Matt. 26. 45.

Voluntati hominum se tradit Christus.

Quandoquidem cruciatibus meis ita delectaris, ô amatum mihi hominum genus, exere in me quidquid cruciatuum potes. Magis quàm Pilatus tradiderit, ego me trado voluntati tuæ; neque enim potestatem in me haberes, nisi darem eam tibi desuper. Offero me, quia volo, quia amo. Quod si cum quantavis tua rabie, parum tibi videris excogitare, & coacervare dolorem posse, advoca Tartareas potestates, inferorum vires, omnesque dæmones evoca, qui tecum quidquid possunt, funestum, dirum, horridum, atrox, comminiscantur, atque exaggerent. Neque cupio ut animam mihi, ut Jobo facere coacti sunt, servent: sed ut eam cruciatuum immanitate, à corpore separent; si libet, per me licet, potestate, quam habeo ponendi animam, uti. Sit hæc hora vestra, sit & potestas tenebrarum à me sponte permissa. Insuper si nec sic furori tuo factum est satis, & ut ego amori magis indulgeam meo; en ego ipse, ipse ego, in tantos me immergam dolores, iis amaritudinum fluctibus me immergam, ut totum internorum dolorum mare, & aquæ omnes intrent usque ad animam meam; deviamque in hac altitudine maris, in hac spontanea dolorum tempestate, usque ad limum profundi, in quo non est substantia. Ea denique per me, & à me ipso atrocia, diraque perferam, quæ nec tu, nec potestas tenebrarum inferre, & vix fingere potestis. Quid ergo timetis mori? *quare moriemini?* quia Pater meus declaravit vos reos mortis? nequaquam moriemini. Moriar ego, ut vivatis vos. *Quare moriemini?* quia prævaricati estis mandatum Patris? sed ut ego Patrem iratum placem, quidquid sudoris abditur in poris, quidquid lachrymarum latet in oculis, quidquid sanguinis fluit

*Ezech.* 18. 31.

Spes evadēdi exitium meritis Christi.

fluit in venis, totum effundam, ne moriamini vos. *Quare morteminì?* Dicetis : Hominem non habemus qui nos absolvat. Ecce homo : ecce manus, vincite funibus ; ecce genas, percutite alapis ; ecce faciem, cedite colaphis, ecce oculos, obnubite velo ; ecce caput, configite spinis ; ecce pedes, perfodite clavis : ecce totum corpus, concidite, dilacerate, discerpite flagellis. Fiat voluntas tua ô homo. Saltem nunc sic amantem redamate me ô homines, ut cum exsaturatus fuerit vester in me furor, vel hâc nimiâ saturitate disrumpatur, locumque tandem cedat amori. Mene verò etiam hominem DEUM, homines, mene, inquam, DEUM pro vobis hominem factum, fratrem vestrum, os de ossibus vestris, & carnem de carne vestra, me DEUM incarnatum excarnatis, & totum excarnificatis? mene in frusta discerptum, dissipare, disperdere, destruere nitimini? menè, qui descendi de cœlis in terras, jam terris excludere, in altum, unde veni, rejicere, exterminare penitus vultis ? & quid naturæ humanæ in me est, exscindere, atque extinguere? atqui nec sic sistetis amorem meum : sed in amando vos, perseverabo usque in finem, nec prius ego quiescam, quàm mecum fruamini illo regno meo, cujus non est finis. Ah JESU ! hæc audio, & necdum præ dolore deficio ? hæc intelligo, & necdum præ amore ardeo ? hæc credo, & necdum præ horrore concido ? quid ad testandum tuum in me amorem potuisti dicere, & non dixisti ? quid potuisti facere, & nō fecisti? quid potuisti perferre, & non pertulisti ? sic necdum amem amantem, & sic amantem, dignus sum qui sim odium cœli, terræ, inferorum, dæmonum, hominum, omnium.

## §. X.

### *Angelus eum confortat.*

JAm tertiùm oraverat tristis usque ad mortem, humilis usque ad terram, Dominus cœli, & terræ, & ecce, *apparuit illi Angelus confortans eum.*
Luc. 22. 43. Nil mirum, voluisse eum confortari ab Angelo bono, qui permisit se tentari ab Angelo malo. Hic Angelus verosimiliter Gabriel, spectabili indutus corpore, vultuque commiserationis plenissimo, submissa proni corporis, ac animi reverentiâ, eum adorans, quem adorant omnes Angeli, Patris voluntatem exposuit, his aut similibus verbis: Adsum supremi concilii nuntius, & paternæ voluntatis interpres. Statutum est in illo sacrosancto Senatu, Patre mandatum suum tibi proponente, Te acceptante, Spiritu sancto approbante, ut calicem hunc, tibi quidem amarum, sed fratribus tuis præclarum, ante 15. horas ebibas. Surge ergo, bibe; grandis enim tibi restat via. Si hunc calicem non bibis, actum est de totius mundi salute. Patris enim furor justissimus, tui solius sanguine extinguetur. Miserere tot fratrum tuorum. Aspice infrà pedes tuos tot captivos, magis invidiâ alienâ; quàm malitiâ propriâ, æternæ servituti addictos. Aspice sursum tot sedes vacuas, quæ nisi à te, cujus misericordiâ plena est terra, possunt impleri. Ergone sines Luciferũ gloriari de ruina tot fratrum tuorum? videbis illos hostium tuorum, ac Patris tui conculcari pedibus? trahi à dæmonibus in triumphum? privabis Patrem tantâ gloriâ, Angelos tanto gaudio, homines tanto bono, cœlum tanto ornamento? consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Post tres dies tantâ resurges gloriâ, quantâ

cecideras ignominiâ. Mors & vita omnium in manu est tua. Moriare unus, ne moriantur omnes. Hoc tibi expedit hoc Pater præcipit His ab Angelo auditis, Christus ut intellexit obfirmatam esse Patris voluntatem, & jam instare sibi tempus illud ferale, quo fractis inferorum repagulis, omnium quotquot essent dæmonum rabies, Judæorum furiæ, paternæ justitiæ iracundiæ toto impetu in se unum essent effundenda, repentè velut signo dato, bella, horrida bella in Christi pectore arsere. Hic inter se præliari repugnantes timoris & Amoris affectus, & acerrimè digladiari. De quo sequenti puncto.

## §. XI.

### *Sudor Sanguineus.*

CHristi tristitia, quæ fuerat magna usque ad mortem corporis, crevit, & evasit maxima usque ad effusionem sanguinis. *Et factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Sicut à timore anxietas, sic ab anxietate processit agonia; quæ hunc in modum orta est. Permisit Christus imaginationi suæ, sibi modo perfectissimo proponere omnium, quos paulò post perpessurus erat, cruciatuum ferocitatem, & simul concessit appetitui sensitivo inde concipere immensum quendam mortis tam diræ, mox oppetendæ formidinem, atque horrorem; & quidem tantum, quantum poterat concipere: cum verò ratio tota ad illos cruciatus, sibi propositos raperetur, & voluntas liberrimè, juxtà ac libentissimè eandem admitteret, & consentiret in mortis genus tam ferox, vis imaginativa vehementi cruciatuum apprehensione effectus timoris, tædii, tristitiæ ciere: con-

*Luc.* 22. 44.

Sanguinis in horto effusi causæ.

tra ratio superior mortis necessitatem, & Patris voluntatem æstimans, zeli, amorisque affectus excitans, acerrime reluctari: hinc incredibilis, & intolerabilis orta est in ejus animo anxietas. Quid nempe potius ageret, ex duobus sibi propositis? an mortem admitteret, an rejiceret: admittere suadebat amor, rejicere timor. Quid a-
Ps. 141. gat hos inter præliantes affectus? *Anxiatus est super eum spiritus ejus, turbatum est in eo cor ejus*: ut posset dicere cum Saule moriente: *Ex omni parte me*
2. Reg. *angustiæ premunt: coarctor nimis*. Sed interim tem-
24. pus urget, hora instat, Judas appropinquat, hostes adsunt, accelerant milites: non licet diu hærere, nefas lentè deliberare, concludendum est: hinc agonia, id est extremum certamen, & quasi duellum in Christi pectore, inter Timorem & Amorem: pugnat uterque totis viribus, uter potiatur victoria? neuter vult cedere, uterque vincere: & quia uterque est validissimus, arduum uterque præliatur prælium: sed tandem prævaluit Amor: succubuit Timor: hinc cum timor cesserit amori, factum est, ut sanguis, qui ex timore circa cor, ad illud corroborandum, se effuderat, retractus fuerit ab Amore, & ad exteriores corporis partes, tanta vehementia repulsus, ut patefactis quaqua poris, vivia facta, ipsam carnem penetrarit: & totis ostiis, ex oculis, facie, pectore, manibus, pedibus, collo, brachiis, totoque corpore sese effuderit. En Deus totus cruentus: vere vir dolorum, imò & timorum. Hoc est bellare bella Domini, resistere usque ad sanguinem pro gloria Domini. Madere sudore, non olere unguento: fluere sanguine, non fulgere murice: cruentum, etiam ante conflictum, è bellico pulvere egredi, non cincinnatum & mollitie muliebriter diffluentem,

tem, per rosas & violas, per lilia & calathos ambulare. Indigni milites, qui sub cruentis Christi signis faciant stipendia ; quorum stipendium mors. Nondum ô peccator, usque ad, non dicam sanguinem, sed sudorem restitisti, ne peccares. Non sic horruit Christus mortem corporis, ut tu horreres mortem animæ , hoc est peccatum mortale si clarè perciperes Dei, qui peccato offenditur, Majestatem. Unde bene quidam Ascetа, verus Theophilus: *Si omnium hominum, qui fuerunt, sunt, & erunt, corda simul jungerentur , & ex illis cor unum conflaretur, quod omnium virtutem ac capacitatem complecteretur, & illud unam aliquam divinarum perfectionum cognosceret, fieri non posset quin rumperetur præ violentia amoris , nisi singulari Dei auxilio conservaretur* Hinc concludo , si quis peccati minimi gravitatem perfectè cognosceret, & Dei simul offensi Majestatem, & bonitatem, non esset vena in toto corpore , quæ non aperiretur præ vehementia doloris , toto corpore sudaret sanguinem , erigerentur ei præ horrore omnes in vertice capilli, deficerent eum vires, fideretur ei cor, rumperetur pectus, frangerentur costæ ; denique impatiens doloris , præ ejus immensitate, repentè corrueret in terram exanimis & moreretur. Tu interim plus doles tuum , una raucæ plebeculæ vocula, læsum honorem, quàm pro te fusum Christi sanguinem. Tibi sanguis per venas jam micat, & salit ex lætitiæ intemperantia, jam ad cor contrahitur ex invidia, jam ad vultum retrahitur ex iracundia; ô quantum passim per totum orbem sanguinis effunditur à militibus pro umbratili gloria , vel pecunia, ubi pro Christi gloria nec guttula sanguinis stillat ? ô verè vir sanguinum ! sanguis tuus sit super nos, & animas nostras:

*Granaten, opusc. 751.*

Tristitia concipienda ob peccatum.

nostras: sanguis tuus, qui est pignus salutis, arrha gloriæ, lytrum redemptionis, non cadat super terram, sed super nos. Ille sanguis quo tu sudas, quo perfusum est totum corpus, qui erumpit ex omnibus poris: ille sanguis, quem expressit è sacratissimis venis, partim propter nos Timor, partim erga nos Amor, sit super nos, ut possimus modulari illud cum electis carmen: *Redemisti nos*
Apoc. 9. *DEVS in sanguine tuo.*
5.

## §. XII.

*Redit Christus ad Discipulos, dormientes excitat, de adventu Iudæ admonet.*

JESUS absterso sudore sanguineo, quo fuerat perfusus, erigens se de loco, quo fuerat prostratus, finiens orationem cui fuerat intentus, jam noverat hostes hortum ingressos; cernebat eminus fulgurantes hastarum cuspides, percipiebat armorum strepitus, armatorũ tumultus, & (quod Christo erat sudes in oculis) videbat illius impiæ cohortis signiferum, suum olim Apostolum, nunc apostatam, Judam.

Matt. 26.45. *Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite jam, & requiescite: ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.*

Tandem aliquando irrequieto multorum lustrorum motu, ac complurium sæculorum pondere, devolutum est tempus ad illam horam, qua Dominus Angelorum, tradendus est in manus peccatorum. *Ecce appropinquavit hora.* O Pater! in hac hora exultat spiritus meus, quia venit hora qua Filius tuus unigenitus, quem dedisti mundo, ne pereat mundus, sed habeat vitam æternam, in manus tuas, pro mundi vita, tradat spiritũ suum. O munde! requiesce nunc, comede, bibe, epulare.

*Ecce*

*Ecce appropinquavit hora*: quâ ego pro te fameam, sitiam, felle poter & aceto: ô homines! coronate vos rosis, vino pretioso & unguentis vos implete, ducite in bonis dies vestros: *ecce appropinquavit hora*, qua ego pro vobis alapis cædar, sputis conspurcer, flagellis concidar, clavis configar. O Angeli, ecce appropinquat hora, qua amarè flebitis vos, dum amara & flenda patiar ego Dum ergo jam appropinquavit hora, luctuosissima quidem Christo, sed jucundissima mundo, quidni hic exclamem cum sancto Leone: *Exultet Sanctus, qui appropinquat ad palmam: gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam: animetur gentilis, quia vocatur ad vitam.* Gaudete ergo redimendi, quia dum appropinquavit hora, qua patiatur Redemptor, *levate capita vestra, quoniam appropinquavit redemptio vestra.* Interim dum appropinquat hora hæc expectatissima, tu, qui tot horas tam munificè à DEO impensas, tam prodigè expendisti, siste gradum, & pensiculate expende hæc pauca. Sicuti post 33. annos, menses 396. hebdomadas 1761. dies 12053. horas ducenties octuagies, nonies millies ducentas septuaginta duas, quibus vixit Christus, tandem appropinquavit ultimus annus, postremus mensis, summa dies, novissima hora: ita post plurium annorum curriculum, tibi ab auctore naturæ præscriptum, tandem, tandem dies illa fatalis eluceſcet, qua tibi dicetur: *Ecce appropinquavit hora. Filioli, novissima hora est*: hora lurida, tetrica, tragica, horrida: hora, qua mihi non amplius neque sol, neque luna micabunt: hora, qua mihi *peregre* proficiscendum erit in *regionem longinquam*: hora, qua *circumdabunt* me *inimici vallo, & circumdabunt* me; *& coangustiabunt* me *undique*: hora, qua stabo in horrifico tremendæ æternitatis

*Serm. 1. de nativ.*

*Luc. 21. 28.*

Mortis hora quàm terribilis.

*1. Ioan. 2. 18*

*Luc. 15.*

*Luc. 19.*

nitatis vestibulo: ubi amoto veluti sipario, mentis perspicacissimo oculo, amplissimum aperietur theatrum, in quo se spectabilem præbebit rerum omnium Vanitas. Ubi nunc omnes omnium sæculorum deliciæ, opes, potentia, honor, gloria ab Adamo usque ad horam hanc? ô vanitas! ubi infantiæ meæ bullæ? ubi pueritiæ nuces? ubi adolescentiæ prætexta? ubi ætatis adultioris, virilis togâ? ubi totius ætatis anteacta tempora? ô vanitas! Audi Chrysostomum: *Quid sunt humana res? cinis & pulvis, & tanquam pulvis ante faciem venti: fumus & umbra, & folia cadentia; & flos. & somnium, & narratio, & fabula: ventus, & aër mollis temerè corruptus, penna nobilis, unda decurrens, & si quid istis inferius.* Et quid potest his esse inferius nisi inane nihil? ô quisquis hæc audis, dum jam certus es tradere animam Christi sanguine redemptam dæmoni; illa, inquam hora, qua tibi decretum est, lethalem committere culpam; revoca in memoriam hæc verba: *Ecce appropinquavit hora*, qua fors tradetur corpus tumulo, caro vermibus, ossa putredini. Anima in manus actoris, qui me atrociter accusabit; Judicis, qui exactè discutiet; vindicis, qui severè castigabit. Sed quia de illa die, vel hora nemo scit, ad Te hac hora convertimur, *in cujus potestate posuit Pater tempora & momenta.* Tu qui ex æternitatis altissima specula omnium ætatum spatia, certo & numero, & pondere, & mensura disposuisti, nosti qua hora, quisquis adest, hacce in turba, emittet spiritum. Tu ad nos modò altissimè clamas: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Sed tu da ita vigilare, & invigilare nostræ saluti, ut cùm appropinquaverit hora novissima, ex te verba illa à te dicta discipulis audiamus: *Dormite jam & requiescite. Dormite,* &

Ad Hebr. 4.

Act. 1. 7.

Matt. 25. 13.

Matt. 26. 45.

te, & obdormite in Domino, qui vigilastis cum Domino; *& requiescite*, vos qui cucurristis per stadium; ecce bravium, *dormite, & requiescite* Vos qui bonum certamen certastis; ecce coronam Justitiæ, *dormite, & requiescite.* Vos qui in vinea mea tulistis pondus diei, & æstus, ecce denarium diurnum, *dormite jam & requiescite.* *Matt.* 14. 41.

## §. XIII.

### *Iudas hortum ingressus appropinquat.*

LOquebatur Verbum Patris, ultima verba pacis ad discipulos, & mox à discipulo bellum illi indicitur.

*Sufficit*, ait, *venit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum: Surgite, eamus; ecce appropinquavit qui me tradet.* Valete dilectissimi mei, valete chari discipuli, fideles socii, amantissimi filii; *venit hora*, qua à vobis avellar, *ecce appropinquavit qui me tradet. Ecce appropinquavit.* Quis? Judas: salva res est: nihil tibi timendum, evades hostium manus; qui enim appropinquat, est tuus in schola discipulus, in domo œconomus, in mensa socius, in itineribus comes, in concionibus auditor, in collegio Apostolus; verbo, est Judas. O Juda! si cognosceres felicitatem tuam nulli non invidendam, & quidem in hac hora: ecce appropinquas Christo: an hoc parvi æstimas? nulla potest vel ab homine optari, vel ab Angelo concipi major in mundo felicitas, quàm appropinquare Christo. Christus est summum bonum: nunc saltem *declina à malo, & fac bonum.* Si peccator es, Christus *peccatores recipit*, non te repellet. Si putas te periisse, Christus *venit salvum facere, quod perierat*; salvabit te: si ut ovis perdita errasti: Christus est pastor bonus, ipse imponet *te in humeros suos gaudens.* *Ps.* 36. 24. *Luc.* 15. 2 *Luc.* 19. 10. *Luc.* 15.

dens. O Juda, quia non cognovisti *tempus visitationis tuæ*, adhuc 12. horæ, & chaos magnum erit inter te & Christum. Cras antequam sol occidat, jacebis miser in centro terræ: tunc tam propinquus Lucifero, quàm remotus à Christo. Hinc intellige quàm parum prosit, ne dicam quàm multum obsit, Christo appropinquare tantum corpore, si ab eo te elongas animo. Quis Christo unquam fuit propinquior Juda? videbat eum, audiebat, alloquebatur, tangebat, amplectebatur, osculabatur; & tamen qui illi erat tam vicinus corpore, animo quàm ab eo erat remotus? Nos Christiani quàm sumus propinqui Christo? quidni dicam de Christianis multò potius quàm Moyses de Israelitis: *Non est alia natio tam grandis, quæ habet Deos appropinquantes sibi, sicut* DEVS *adest cunctis obsecrationibus nostris.* Adorat Persa solem, Scytha lapides, Ægyptius felem, Christianus Christum Filium DEI. Cui ergo alii nationi sic appropinquat DEUS, sicut nobis? nos Christiani sumus in templo, Christus in arâ templi. Quantillum nos inter & Christum interjacet spatium? intelligit, audit, videt nos, & nostra quæ cogitamus. Sed utinam quàm es propinquus Christo oculis, manibus, pedibus, toto corpore, tam illi propinques, fide, spe, charitate, gratia, omnibus virtutibus. Si Christi es inimicus, non tantũ spatii interjectum est inter cœlum & terram, non tantum distat oriens ab occidente, quantum tu à Christo. Propone tibi filium prodigum, primò à patre elongatum, dein patri propinquum. *Profectus est in regionem longinquam.* Jam à patre elongatus, quomodo lamentatur. *Quanti mercenarii in domo patris abundant panibus, ego autem hic fame pereo!* Elongatus à patre, comedit *siliquas porcorum*;

Luc. 19. 44.

Deut. 4. 7.

Peccator longè est à Christo

Luc. 15. 1.

reversus ad Patrem comedit *vitulum saginatum*. Elongatus à Patre, nudus est; reversus ad Patrem, induitur stola prima: elongatus à Patre, incipit egere; reversus ad Patrem, abundat panibus. Elongatus à Patre, mittitur in villam ut pascat porcos; reversus ad Patrem, gaudet, manducat, epulatur. O miser! si JESU non appropinques, si ab eo te elonges, quis absterget omnem lachrymam ab oculis tuis? quis in mœrore solabitur; quis in periculis te defendet? quis in dubiis te instruet? quis errantem diriget? quis jacentem eriget? O JESU, à quo abire, est perire, ignosce, quia non audeo appropinquare tibi cum Juda, ut osculer te; non cum Magdalena, ut lavem pedes tuos: non cum muliere illa, ut tangam fimbriam vestimenti tui; non audeo esse tam propinquus; sed ut Publicanus *à longè stans*, pectutiam pectus meum, & dicam: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia peccavi in cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus*. Sum, fateor, filius prodigus, sum & proditor, sed tu utriusque es redemptor. Ergò *redime me, & miserere mei*: & quia prodigus es in miserendo, prodigum non repelles, sed admittes, hic in gratiam, posteà in gloriam.

*Luc.* 18. 13. *Matt.* 11. 13. *Luc.* 15. *Ps.* 25. 11.

## §. XIV.

### *Iudas militum cohortem accedit, & ducit.*

IUdas, fur pecuniæ, venditor sanguinis justi, proditor DEI, inter Apostolos sicarius, in mensa non tam conviva, quàm sanguinarius homicida, impius parricida, sacrilegus Deicida, uno verbo, sub humana figura diabolus. Sic eum appellat Christus: *Iudas*, inquam, *cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum*

*Ioan.* 6. 71.

*laternis, & facibus.* Opus hoc, ut capiatur Christus, non peragetur milite uno, nec pluribus, sed cohorte integra: & quidem probè munita armis, ad pugnam prompta, quia & vincula, & catenas, & funes, & compedes, quibus irretiatur fera, ne elabatur præda, opus est nobiscum adducatis. Itaque ut suasit Judas, adest turma Romanorum, sequitur cohors Judæorum, comitantur satellites Principis Sacerdotum, summi Pontificis, Magistratus, Scribæ Legisperiti, Cives: rutilant inter tenebras sævo fulgore gladiorum cuspides, & hastarum acies: percellit aures in horrore noctis armorum stridor, accurrentium strepitus, vociferantium clamor, congredientium tumultus: adducunt, ne effugiat refugium nostrum & virtus, vincula, & funes, ut eum comprehendant, qui nos *trahit in funiculis charitatis.* Sed quid sibi vult illa cohors armata magis furore quàm armis? contra quem progreditur? contra innocentem, qui vult luere pro tuis criminibus: contra justum, qui vult mori pro tuo delicto: contra Omnipotentem, quem non infirmitas, sed charitas tradet manibus impiorum, ut liberet à servitute peccati. Et hanc coronam antecedit unus è duodecim, heri in Christi collegio discipulus, nunc in satanæ exercitu primipilus. *Judas unus de duodecim antecedebat eos.* Ille antecedit ordine, qui reliquos præcedit scelere. Sed Judam antecedit Avaritia, quæ illum manu ducebat: Perfidia, quæ viam aperiebat: Furor, qui facem præferebat: Diabolus, qui eum vinctum trahebat. Crimen fuisset non vulgare impios illos satellites vel à longè sequi: scelus singulare, præeuntes comitari: sed antecedere! viam aliis signare! ducem se præstare! nescio quo nomine tantum flagitium appellabo.

*Psal.* 45. 2.
*Ose.* 11. 4

*Luc.* 22. 47.

De

De reliquis militibus, qui Judam ad tantum scelus præeuntem secuti sunt, quid actum sit, incertum; hoc certum, Judam laqueo sibi vitam extorsisse. Fors ut ostenderet divina Justitia, quanti sit sceleris, alios ad scelus antecedere, & plerumque tales anteceſſores sequi à tergore vindictam. Tanti est, esse non modò in scelere socium, sed ad scelus ducem. Sunt qui cùm alios peccantes vident, quasi puderet eos suæ innocentiæ, etiam peccant, & est fragilitas: sunt alii, qui ne soli sint improbi, ad flagitium, canunt classicum: ut alii intrent per viam latam, aperiunt portam: ut alii cadant in præcipitium, pessimo exemplo impellunt: ut audeant ad portas usque inferni procedere, veluti duces præeunt: ut alii stent *in via peccatorum, in cathedra pestilentiæ sedent*, tradunt præcepta ut Magistri; ut ad crimina timidos animent, ut exhortatores his verbis instigant: *Veni nobiscum, insidiemur sanguini, &c. sortem mitte nobiscum: marsupium unum sit omnium nostrum.* Hæc est summa impietas: bis enim sunt impii, semel suo quo se contaminant flagitio; iterum malo, quo alios ad scelus incitant exemplo. Sic egit Judas: is enim relicto Christo, Scribis ac Pharisæus, in domo Caiphæ congregatis, hoc ait: *Quid vultis mihi dare, & ego eum tradam?* Agite, ego eum sub hasta collocabo: quid mihi pecuniæ tradetis? Illi exilite gaudio; offerunt, donant, tradunt Judæ in manus tametsi vile pretium: illo acquiescit præstigiator. Agite, inquit, jam in horto est: expedite milites, sumantur arma, conferantur vincula, sequatur cohors, ego cohortis Imperator, ego militum dux, ego aciei primipilus: ego exercitus antesignanus præibo. Accingunt se ad iter: panduntur portæ, egreditur ex urbe Judas stipatus militibus; transeunt

Exemplo malo ad peccandum allicere malorũ pessimum.

*Psal. 1.*

*Prov. 1. 12.*

*Matt. 26. 15.*

seunt omnes Cedronis torrentem, conscendunt clivum ubi octo discipuli timore, & pavore opprimuntur; qui dum eminus lanceas, laternas, clypeos, gladios fulgentes vident, trepidi ad Magistrum confugiunt. Interim Jesus absterso cruento sudore, erigens se è loco, in quo passus fuerat agoniam, ut vidit Judam horto proximum, cum militibus, & jam jam appropinquantem, altùm suspirans ob scelus Judæ, tres suos discipulos è sopore excitatos, reliquis citò ad se ex metu fugientibus, aggregat, & mox exercitum ordinat, aciem disponit, & Judaicæ cohorti opponit. Hoc est quod ait Lucas, *Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas, unus de duodecim, antecedebat eos.* Luc. 22. 47. Qui sic exemplo Judæ, alios ad scelus antecedunt, audiant quod in illos torqueat Spiritus sanctus ex ore Salomonis tonitruum: *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet.* Sap. 6. 6. Sicut durissimum fiet judicium ob pessimum, quo alios ad scelus alliciunt, exemplum, his qui præsunt; sic & illis qui ad scelus præeunt. Durum fiet judicium his, qui peccant, etiamsi soli; durius his qui, cur alii peccent, suo exemplo sunt occasio: durissimum verò his, qui, ut alii peccent, sunt causa, quia præeunt, quia manu ducunt, quia ut alii sequantur, alliciunt; quia ut audeant, exhortantur. Hoc demum est cum Juda ad scelus sceleratos antecedere. Quod ne contingat nobis, sicut tres Magos, cùm tenderent in Bethleem, *antecedebat eos stella, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.* Ita nos peregrinos tendentes in Jerusalem, antecedat stella tua, id est, gratia, ut sequamur te per viam arctam, qui es via, nec priùs illa nos deserat, quàm stet supra ubi tu es, non puer in stabulo, sed antiquus dierum in solio.

§. XV.

## §. XV.

*Iudas dat signum, quo Christus agnoscatur.*

CHristus post tristitiam animæ usque ad mortem, post fusas prolixas preces usque ad agoniam, post extremas angustias usque ad sudorem sanguinis ab Angelo è cœlo confortatur; à Patre ut pateretur, admonitus; à se, ut pati vellet, inflammatus, surgit; & ecce insolens spectaculum, tetrum, barbarum, funestum. *Ecce Iudas unus de duodecim, cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus ac Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis: dederat autem eis Iudas signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.* Ioan. 18. 3. Marc. 14. 44.

Judæ luctuosissimus casus.

Est hoc omnibus familiare, dum rarum aliquod prodigium, vel inusitatum proponitur spectaculum, quod vel incutere terrorem, vel solet excitare stuporem, vocula illa uti, *ecce*. *Ecce Iudas*. Audite cœli, & obstupescite super hoc; adeste homines, spectate Angeli, videte dæmones mirum, rarum, dirum spectaculum. *Ecce Iudas*, heri in Christi collegio, hodie in Sathanæ satellitio: heri veritatis discipulus, hodie erroris Magister: heri Apostolus, hodie diabolus. *Ecce Iudas*, quem Christus ante tres annos evexit ad dignitatem Apostolatûs, ante tres dies habuit in schola auditorem, ante tres horas in mensa convivium, cui paulò ante laverat pedes, dederat ei in escam corpus, in potum sanguinem; nunc totus mutatus ab illo, qui fuerat tunc, exutus omni humanitate, immemor omnium beneficiorum, venit ut osculo pacis, bellum indicet Principi pacis, ut salutando, insidietur illi, qui est omnium salus: & sic osculando prodat Judæis, amplexando tradat

Gentibus. *Dederat autem eis proditor signum: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, ducite cautè.* Quasi dicat, scientissimus est; Vidi non semel, cùm ipsas cogitationes abditas revelaret, & eos, qui ipsum lapidare volebant, nescio quo modo excæcarit cautè ergo cum homine cauto, & vafrè cum vafro agendum Fruſtrà ô Juda! omnis tua, & tuorum cautela: Fruſtrà Judæorum consilia, fruſtrà Romanorum sapientia, fruſtrà Sacerdotum, & Seniorum prudentia; quia scriptum est: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Hic autem est Dominus, & magnus Dominus. Tu tam peregrinus, & hospes es in Scriptura, ut numquam legeris illa Davidis verba: *Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus: qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos?* subsannat ipse in cœlis, quæ tu machinaris in terris. Capies quidem illum, non quòd illum potueris capere, sed quia ipse voluit capi. Sed & tu, dum capis, capieris miser, non à milite, sed à dæmone, & ille tuus Dominus post tres dies, mortis victor resurget à funere, dum tu infelix pendebis ab arbore. Quod egit Judas in horto semel, hoc in mundo fit quotidie. Præsens hæc vita, est quædam ad mortem via: unde homines omnes vocamur viatores. In hac via non deest qui nos prodat perfidus Judas. Ille ipse est, in quo vivitis, & confiditis, & vestra omnia fiditis, infidus mundus. Tu ergò, qui in hac via es viator, sta viator, & prudenter observa, quàm te mundus facilè capiat, & quàm non difficilè te sinas capi. Sunt varii in variis vitæ statibus, ac muneribus homines: sunt in palatio Principes, in curia præsides, in Rep. proceres, in Magistratu consules, in Acade-

*Prov.* 21. 30.

Ps. 2. 2.

Mundi perfidia.

Academia juvenes. Omnes quidem ad salutem sunt vocati, pauci tamen electi. Habet mundus suos qui omnium saluti insidientur satellites, habet cohortem vitiorum, habet turmam dæmonum, ut Judas militum. Et illi habent suos, quibus homines irretiant, laqueos, quibus capiant, vincula; quibus ligent, compedes: at illi, dubii ambigunt, qui sunt illi, in quos oporteat manum injicere, & ad exitium secum captivos trahere. Itaque ut secernat reprobos ab electis, dat eis proditor mundus signum. *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute.* Si quem videritis in aulâ, qui *induatur purpura, & abysso, & epuletur quotidie splendide, ipse est, tenete eum.* Si quem audieritis dicentem: *Anima mea, habes bona multa, posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare: ipse est, tenete eum.* Si in foro inter Advocatos, & Causidicos, audieritis aliquem dicentem: *Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ. Sit autem fortitudo nostra lex Iustitiæ: circumveniamus justum quoniam inutilis est nobis.* Si inter Academicos juvenem audieritis dicentem: *Venite, fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter, vino pretioso, & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis; coronemus nos rosis, antequam marcescant. Ipse est, tenete eum.* Denique, quemcunq; osculatus fuero, cui blandiar, lenocinabor, & fovebo, favebo; verbo, cui dedero bona omnia peritura; ille est, qui debet perire, ipse, qui debet à me prodi, à vobis capi, æternum mori: *tenete eum. & ducite caute.* Caute, caute, ut imbibat succum Politicæ prudentiæ: habeat sibi familiarem Tacitum, volvat, & revolvat Machiavellum; doceatur servire tempori: Proteum agere; quamcunque personam assumere, deponere.

*Luc. 16.*

*Luc. 12.*

*Sap. 2. 20.*

*Sap. 16.*

nere. Politicus status sit ei potior, quàm ipsa salus: omnia ei postponantur: virtus, pietas, conscientia, religio, cœlum, Deus. Moneatur dum loquitur: cautè loquatur: aliud proferat ore, quàm cogitet corde: sit vultu Cato, mente Nero: instruatur inire singulare certamen, hoc demum esse fortitudinis testimonium. Si velit subinde, ut pius appareat, indulgere pietati, cautè id agat: in templo teneat manu sphærulas precatorias, sed subinde misceat & fabulas: oret, sed cautè, flexo uno duntaxat poplite: ducatur ad loca Virgini sacra, ubi congregantur sodales, sed cautè; tunc figat pedem in oratorio, dum descendit orator è pulpito, ut magis spectet, & spectetur, quàm ut audiat. O perfide Munde! sub tuâ cautelâ, nulla est tutela. Meritò hic exclamem contra mundum cum S. Augustino: *O munde proditor, qui cuncta bona promittis, & cuncta mala profers: promittis vitam, & donas mortem: promittis gaudium, sed largiris mærorem: promittis quietem, sed ecce turbatio: promittis stare, sed citò recedis.* Ne ergò à mundo, osculo ejus perfido, velut à Juda Christus, prodaris, ad Christum te convertas, qui fuit à te, & pro te proditus Ecce vita mea, dum vivo, sum in viâ, quæ ducit ad mortem, quæ est meta vitæ, & terminus vitæ. In hâc viâ tot sunt foveæ, & insidiæ, tot præcipitia, & pericula, tot laquei, & pedicæ, tot fraudes, & technæ; da ut cautè ambulem in hac via, ne abeirem à Te, qui es via. Tu quidem venisti in mundum, sed mundus te non cognovit: ideò dixisti Apostolis tuis: *Ego non sum de hoc mundo.* Vale ergò immunde, Munde, te deseram ut sim *mundo corde.* Sic deinceps vitam instituam, ut hæc vita sit mihi via ad Te, qui es *via, veritas, & vita.*

*Ioan. 17. 16.*
*Matt. 5.*
*Ioan. 14. 6.*

§. XVI.

## §. XVI.

### *Christus osculatur Iudam.*

JAm appropinquabat sub ovina pelle lupus rapax; sub agni lana, leo rugiens; sub toga Apostoli, perfidus proditor; sub larva discipuli, sacrilegii Magister; sub figura hominis, diabolus incarnatus, Judas. Non satis illi erat stare in conspectu, voluit & frui Christi amplexu. Quare, *accedens ad IESVM, ait: Ave Rabbi. Et osculatus est eum.* Accedit ad JESUM; res mira: accedit ad JESUM, hoc est ad ignem, is, cujus jam refrixerat charitas, & tamen non accenditur: ad lucem filius tenebrarum, & tamen non illuminatur: ad Medicum æger, & tamen non sanatur: ad vitam vir mortis, & tamen moritur: ad Salvatorem Judas, & tamen non salvatur. *Hoc* (ait Chrysostomus) *non medici, sed languentis vitium est.* Ubi jam proximus accesserat, *osculatus est eum. Siccine Iuda, amoris pignore vulnus infligis? charitatis officio sanguinem fundis; instrumento pacis, mortem irrogas? discipulus Magistrum, servus Dominum, electus Auctorem tradis? & osculatus est eum.* Quid agis ô sponse, oblitus tuæ sponsæ, oscularis spurium Synagogæ? si lubet osculari, accede, ecce nova sponsa Ecclesia, cui promisisti olim: *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Jam ab annis plus quàm quater mille, tui osculandi cupida, toties exclamavit: *Osculetur me osculo oris sui.* Clamat Ecclesia militans in mundo, ut à te obtineat auxilium: clamat Ecclesia triumphans in cœlo, ut per te impleatur ejus gaudium, hoc est, *osculetur me osculo oris sui, & osculum* eis *non dedisti.* Et interim aperis labia, ut ea applices illi, cui *venenum aspidum sub labiis*; aperis brachia, ruis in amplexus, oscularis. Petrus fidelis servus tuus, qui causa, quævis

*Ioan. 18. 3.*

*Chrys. lib. 9. in Luc.*

*Ose. 2. 19*

*Cant. 1. 1*

*Luc. 7. 45.*

*Ps. 13. 3*

Luc. 22. 33. Ioan. 11. 16. etiam gravissima pati semper promptus fuit, ut testantur illa verba, *Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire*: & tamen *osculum* ei *non dedisti*. Par fuit in te amor Thomæ, cùm diceret: *Eamus & nos, & moriamur cum illo*; & tamen *osculum* ei *non dedisti*. Andreas relictis omnibus secutus est te. Joannes est discipulus tibi charissimus, utpotè quem præ cæteris diligis: tamen uterque verè dicere potest, quod tu Simon: *Osculum mihi non dedisti*. Uni tantum legeris osculum dedisse, & ille est inimicus tuus pessimus, qui insidiatur Luc. 22. 3 sanguini tuo, in cujus cor *intravit satanas filius perIoan. 17. ditionis*, cui bonum fuisset si nunquam natus fuis- 12. set: uno verbo, diabolus; tuo testimonio, *Ex vo-* Ioan. 6. *bis unus diabolus est*. Nonnè meritò hic tibi, (pace 71. tua, pax mea) exprobrem quod Joab Davidi, ob mortem perduellis filii Absalonis mœrenti? 2. Reg. *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te, & ostendisti* 19. 6. *hodie, quia non curas de ducibus tuis, & servis tuis?* non curas de Apostolis, & Discipulis tuis; qui amore tui tibi dedêre omnia sua, & inter illa se. Adsit ut hoc cogitem de Te, qui & præcipis quidem diligi inimicos, & tamen asseris te diligere ami- Prov. 8. 17. cos. *Ego diligentes me diligo*. Sed dum expendo tuum, quod Judæ dedisti, osculum, sub eo invenio Mundi prosperitas summa adversitas. mysterium. Judas, ut cæteri Apostoli, secutus fuerat te, licet non propter te: functus fuerat œconomi munere: aliquid præstiterat unde merebatur præmium; accepit ergò à te osculum, & tamen postera die, *suspensus crepuit medius*: post osculum statim incurrit exitium. Mirum, nulli ni- Actor. 1. 18. si uni Christus commemoratur dedisse osculum, & ille unus periit. Sunt multi, ut Judas, *inimici cru-* Phil. 3 18 *cis Christi, quorum Deus venter est*: qui lasciviunt in Amos. 6. stratis, & *dormiunt in lectis eburneis*: *qui commoran-*

*tur in vino, & studeant calicibus epotandis*: quorũ catalogum recitat D. Paulus: *Fornicarii, idolis servientes, adulteri, molles, fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces.* Illis dat Deus osculum, hoc est, volaticum corporis gaudium; breve in hac vita præmium, quod tamen negat amicis. Herodi dat regium, in quo sedeat thronum: Petro amico suo dat crucis, ex quo pendeat, lignum. Diviti Epuloni exquisita fercula; Lazaro pus & ulcera. Cæsari dat lauream: Laurentio craticulam; Holoferni dulce Massicum, Ioanni fervens oleum: Heliogabalo dat molles plumas, Tiburtio candentes prunas: Balthazaro vino redundantes calices, Stephano saxa, & lapides: Neroni dat sceptrum quo imperet, Paulo gladium quo occumbat. Sed nullus illis invideat, nihil infelicius felicitate impiorum; mala non obsunt, nisi malis: nec bona prosunt, nisi bonis; quod quàm sit verum, testabitur dives Epulo, & Lazarus. De utroque sunt aurea hæc verba aurei oratoris D. Chrysologi. *Ad divitem* (Epulonem) *bona omnia: ad pauperem* (Lazarum) *mala omnia perlegimus pervenisse, neque tamen pauperem fregerunt adversa, aut diviti omnia secunda profuerunt: imò pauperem pervexit ad Philosophiam paupertas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam, necessitas ad voluntatem, fames ad jejunium, sitis ad tolerantiam: ad vitam mors, ad præmium pœna, ad cœlum terra, egestas ad regnum: & divitem sic extulit purpura ad superbiam, byssus ad luxum, ad inhumanitatem copia, abundantia ad impietatem, unguenta ad marcorem, ad cæcitatem splendor, sublimitas ad ruinam.* Ecce hic quot mala ex mundi bonis! quot bona ex mundi malis! dat ergo Deus hic peritura bona, malis æternum perituris. Verè Sapiens: *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Satis mihi

*Prov. 23. 30. 1. Cor. 6. 9.*

Adversitas divini amoris est pignus.

*Ser. 124.*

*Prov. 27. 6.*

mihi erit si liceat mihi cum Magdalena osculari pedes tuos: illos rigabo lachrymis, illos abstergam crinibus, ad illos me demittam, certus, qui se humiliaverit ad osculum pedis, exaltabitur ad osculum oris.

## §. XVII.

### *Christus Iudam amici nomine dignatur.*

HIc tandem Iesus prodidit se esse Iesum, hoc est, Salvatorem, adeoque se velle omnes homines salvos facere, dum Iudam ad se venientem non terruit, accedenti vultum non avertit, ab osculo non arcuit, ab amplexu non removit, sed apertis manibus, expansis brachiis, admotis labiis, benigno vultu, prompto ore osculatus est; blanditus illi, quem *in felle amaritudinis videbat esse*, verbis illis dulcioribus super mel & favum, *Amice ad quid venisti?* ô Iuda, quia si cognovisses & tu, & quidem in hac hora, quæ ad pacem tibi, dum Princeps pacis præbet tibi osculum pacis. Ecce Iuda, *nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis*, dum tam propinquus es Salvatori, ô Iuda! tantum dic verbo; Peccavi, & mox audies, *Remittuntur tibi peccata tua.* Ecce expansa brachia, ut te excipiant; manus, ut te in viam rectam deducant; linguam ut tibi verba vitæ loquatur. Patet tibi, ô Iuda! cor meum, redi ad cor tuum: patent tibi viscera Misericordiæ, cave incidas in manus Iustitiæ. Tu mihi dicis, Ave; ego tibi, Vale. Vale Iuda, & in æternum vale. Amodò non videbis faciem meam, donec venerim in nubibus cœli, cum majestate magna: tunc senties, ô Iuda! *malum & amarum esse, deseruisse te Dominum Deum tuum.* Tunc te, non uti amicum osculabor!, sed abominabor ut inimicum: tunc non audies ex me: *Amice, ad quid ve-*

Act. 9. 23. Matt. 27. 47. 2. Cor. 6. 2. Luc. 7. 48. Ier. 2. 19

*veniſti?* ſed Diſcede à me maledicte in ignem æternum. Hæc tacitè Chriſtus ad Judam, nunc ego à Chriſto, & Juda ad vos: O vos omnes qui auditis hoc impium impiiſſimi mundi conſilium; *Odio habebis inimicum tuum*: quibus familiaria ſunt illa verba; *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: confringam illos, nec poterunt ſtare, cadent ſubtus pedes meos*: qui ſpiratis ruinas, & cædem in inimicos veſtros, attendite & videte, ſi eſt odium, ſicut odium Judæ; ſi eſt amor ſicut amor Chriſti. Nunquam hominem tam ſceleratum, barbarum, perfidum, impium, ſacrilegum, nec ſol vidit, nec terra tulit, nec uterus genuit, ac fuit Judas: ſcelus nullum tam atrox, crimen nullum tam truculentum, facinus nullum tam immane, à quopiam fuit excogitatum, atque in Chriſtum machinabatur Judas. Modus conficiendi illius ſceleris, plenus erat dolo, perfidia vafritie, fraudibus. Uti in Juda nulla erat cauſa illius ſceleris perpetrandi, ita in Chriſto juſtiſſima erat ejuſdem ulciſcendi. Patet hinc Chriſti innocentia, inde Iudæ perfidia. Indicitur ſingulare certamen; aſſignatur arena, in qua concurrant, hortus Gethſemani; deſignatur & tempus, die Iovis, concubiâ nocte. Venit igitur Filius Dei, poſteris omnibus documentum præbiturus, quo diſcant artem pugnandi, modum vincendi, methodum vindicandi, ab eo qui vocatur *bellator fortis*, *Deus exercituum*, *qui docet manus ad prælium, & digitos ad bellum*. Prodit in campum hinc Redemptor, inde proditor: hinc Magiſter, inde diſcipulus: Iesus, Iudas: Deus, homo. Ille accenſus amore, ut ſervet; hic armatus furore, ut mactet: ille ſpirans vitam, & ſalutem, hic anhelans cædem, & exitium. Quid hic expectatis? nunquid ut è tumultuoſo nubium

*Matth.* 5. 43. *Pſ.* 17. 38. Inimicus diligendus.

*Ier.* 20. 11. *Iſa.* 1. 24. *Pſ.* 143. 1

nubium spatio evibrentur vindices ardentium fulminum faces, & toto furoris impetu contorqueatur in barbarum illud caput, tonitru? nonne ut terra discedens, facto ingente hiatu dehiscat, ut tanti sceleris architectus in puncto ad inferna descendat? *& confestim accedens ad Iesum, dixit illi: Ave Rabbi. Et osculatus est eum.* Quid interim Christus? quæ ad illum verba? nonne fulminatrici linguâ in eum debacchari, his aut similibus diris? Serve nequam, fili perditionis, progenies viperarum, sepulchrum dealbatum, inveterate dierum malorum, semen Chanaan, & non Iudæ, qui ex patre diabolo es? *Amice, ad quid venisti?* hic te cito vir sanguinum, cujus manus sanguine plenæ sunt, cujus pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem: cujus lingua gladius acutus; hîc te siste, coram formidando justis pariter, ac injustis justissimi Iudicis solio: *Audi, & ego loquar, interrogabo te, & responde mihi:* Actoris ego coram Iudice personam sustinebo, tu Rei. *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat* ad cœlum *de terra.* En feralem mucronem stillantem etiamnum cruore inimici tui: en fatalem arenam, *quæ suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* En hiulcum vulnus hostis tui, quod vasto ore te accusat. Illata mihi est, inquies, injuria. A quo? ab homine homini, tunè Christo innocentior, ut non potueris tantillum sufferre? tibine gravior illata injuria, quàm Christo, ut debueris vindicare? tuusne inimicus pejor Iuda, quo non surrexit pejor inter natos mulierum? & tu Christianus, tam dissimilis Christo, quàm similis Antichristo? Lex est mundi, *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Lux mundi, *qui totus in maligno positus est.* Lex mundi, à patre ejus lata, qui est diabolus. Lex Christi erat, *Diligite inimicos vestros: bene-*

*Iob.* 42. 4. *Gen.* 4. 10. *Gen.* 4. 12. *Matt.* 5. 39. 1. *Io.* 5. 19. *Matt.* 5. 44.

*fa-*

*nefacite his qui oderunt vos.* Audivisti diabolum, spreviſti Christum: quid expectas? præmium? ab illo quem spreviſti? quid speras? mercedem? pro sceleribus quæ patrâsti? quomodo stabis coram illo tribunali, hostili sanguine cruentus? inimici cruore tabidus? coram illo Iudice, quem etiam innocentes reformidant: qui hostem suum juratum, amicum appellavit; proditorem osculatus est: inimico tantam injuriam ignovit? Itaque hoc tibi sit certum, extremam esse insaniam, ut declines ignominiam, velle ulciſci injuriam. Desinis itaque te deligere, dum incipis odio habere inimicum. Licet latrones te spoliarent omnibus facultatibus, fures privarent omnibus fortunis, grassatores incenderent ædes: licet omnes carnifices convenirent, ut te exquisitissimis cruciarent tormentis, licet omnes judices in te graviſſimas decernerent pœnas, non tantum tibi nocerent, quantum tu ipse tibi noces, dum de nocente inimico expetis sumere vindictam. Non potes ulciſci injurias vel odisse inimicum, quin has diriſſimas voces, vel ore proferas, vel mente concipias: Desipit Dei Sapientia, male vult nobis ejus Bonitas, sævit Misericordia, ignorat Providentia, mentitur Veritas, errat Scientia, dum dicit: *Diligite inimicos vestros benefacite his, qui oderunt vos.* Christus tamen quod docuit verbis, confirmavit exemplo, dum Iudam his verbis excipit: *Amice, ad quid veniſti?* Siccine Iesu amicum vocas, qui te vendidit, & tam vili pretio, & tam truculentis tortoribus, & post tot beneficia? Osculabatur Christi pedes Magdalena, *& videns hoc Phariſæus, ait, intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.* Nunquid dum Christum osculatur Iudas,

Vindicare injuriam, juridicanti maximè noxium.

Luc. 7. 39.

Judas, & non tantùm, ut illa, tangit, & hic meritò cum Pharisæo, dixerit quis: Hic si esset Prophera, sciret utique, quis & qualis est ille, qui osculatur eum; quia proditor est: Scimus ô Christe, quia nihil est occultum, quod à te non sciatur: nihil abditum, quod tibi non reveletur. Scrutaris corda, & renes; tu nosti omnes, *nec opus est ut quis testimonium perhibeat de homine; tu enim scis, quid sit in homine.* Quid ergò Judam appellas amicum? tu scis, quia est servus peccati, filius Belial, mancipium diaboli, & amicum appellas? putas te fors habere in brachiis Petrum, an discipulum quem diligis Joannem? est discipulus qui te vendidit. Nullum potest quis majus post infinitos labores expectare præmium, quam ut eum appelles amicum. Petrus, Andreas, Joannes, Apostoli relictis omnibus secuti sunt te, ut à te aliquando audirent, *Vos amici mei estis.* Judas non tantum propter te non reliquit omnia, sed te reliquit, nimirum vero Christo dixerant Judæi: *Amicus Publicanorum & peccatorum.* Hic nimirum est tempus gratiæ, misericordiæ, amicitiæ: hic nullus à Christo repellitur: hic quivis admittitur. Accurrat Publicanus, & peccator, fuerit annis plurimis inimicus Christi, sit alter etiam Judas, accedat ad Christum, mox audiet, *Amice, ad quid venisti?* ô peccator! quanti constat esse amicum mundi, quantò ejus amicitia acquiritur labore, studio, sudore! ô politice, quot opus est vigiliis, molestiis, angoribus, curis, & animæ periculis, ut sis amicus Principis? quid porrò aliud est principis favor, & amicitia, nisi *baculus arundineus*, quo si nitaris, *intrabit in manum tuam*, & *perforabit* eam? ô Juvenis, quisquis procas, quoties aliis quiescentibus, tibi est abnoctandum, quot excogitanda humanita-

*Ioan. 2. 25.*

*Ioan. 15. 14.*

*Luc. 7. 34.*

Mundi amicitia carò constat, Christi vero vili.

*Isa. 36. 6*

nitatis officia, quot conferenda munera, quot devoranda tædia, quot oportet instar Prothei induere formas, quoties simulandum, dissimulandum: quoties etiam cum periculo & corporis, & animæ ineundum singulare certamen, ut fias amicus unius abjectissimæ & sordidulæ pellicis, quæ tuum, ut Holofernis Iudith, jugulum petet, quæ tuo capiti, ut Iael Sisaræ, clavum infiget; quæ te, ut Dalila Samsonem, Philisthæis captivum tradet? His accedit, sexcenta licet alicui contuleris beneficia, exquisitissima obtuleris munera, innumera ei præstiteris obsequia, plurimos impenderis, ut ei placeres, annos, exhauseris omnes vires, semel austeriùs illam aspexeris, sinistrè aliquid dixeris, semel obsequium illi denegaveris, omnia præterita beneficia, æternâ sepeliuntur oblivione; nulla tui est ampliùs memoria, excidisti omni gratiâ, nunquam deinceps frueris ejus amicitiâ. Et interim si per plurimos, non dicam dies, hebdomodas, menses, sed & annos, imo per omnem vitam, Deum gravissimis sceleribus ad iracundiam provocaveris, ejus contempseris consilia, spreveris monita, violaveris præcepta; quid putas opus est, ut fias amicus Iesu? an ut contendas Hierosolymam: an ut properes Romam ad limina Apostolorum, ut transcendas Alpes, ut enaviges maria? an oportet vendere omnia tua, & dare pauperibus? Hæc & majora meritò requirit Christi amicitia. O impii! ô peccatores! optatis amici esse Christi? accedite, quid timetis? terret vos vitæ vestræ indignitas? timetis ne vobis noceat vestra impietas? audite, quid dicat Veritas: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab iniquitate sua.* In quacunque die? ergo hæc sit dies, hæc sit hora, hic locus

Peccatis absolvi facilè.

*Ezech. 33.*

quo convertamur ab impietate; non opus est magno molimine, non diuturno tempore: satis est post multos annos in sceletibus exactos, unicum momentum: satis ut fias amicus Christi, unicum cordis suspirium: satis unica stillans ex oculo lachryma, satis unica pectoris tunsio, satis una linguæ vocula; dic seriò cum Davide, *Peccavi*: eodem momento audies: *Remittuntur tibi peccata tua.*

2. Reg. 12. 13. Luc. 7.

## §. XVIII.

### *IESVS militibus occurrit.*

JEsus, ne quis eum argueret vel imbecilitatis, quod comprehensus, vel fragilitatis, quòd passus, vel infirmitatis, quòd mortuus fuerit, voluit, priusquam traderetur manibus impiorum, præmittere plenum & potentiæ, & magnificentiæ prodigium.

*Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dixit illis Iesus: Ego sum:* Illa vox *Ego sum*, est compendium omnium perfectionum, quæ in Deo eluceſcunt. Vox illa, *Ego sum*, à nullo nec in cœlo, nec in terra potest proferri, nisi ab illo, cui *data est omnis potestas in cœlo & in terra*: qui *in principio creavit cœlum & terram*, nisi ab eo in quo omnia, ex quo omnia, per quem omnia; hoc est, à solo Deo; Quicunque alius dixerit: *Ego sum, mendax est, & veritas non est in eo.* Quare Christus dicens: *Ego sum*, Deum se esse fatebatur. *Ego sum*, vox amabilis piis: *ego sum* pater vester, diligite filii: *Ego sum* magister vester, audite discipuli: *Ego sum* merces vestra magna nimis, laborate strenuè operarii: *ego sum* bravium, currite celeriter studiodromi: *ego sum* corona vestra; pugnate fortiter.

Matt. 28 Gen. 1. 1. Io. 3. 3. 2. Ioan. 2. 6.

titer, milites: *ego sum* vox formidabilis impiis: *ego sum*, expaveſce peccator, eodem loco quo peccas, *ego sum* peccati ſpectator, peccatoris judex, peccantis vindex. Quò fugies peccator, qui nusquam potes effugere: *ego sum*, in cujus *horrendum est incidere manus*: *ego sum*, qui *ligatis manibus & pedibus* projiciam te *in tenebras exteriores*: *ego sum*, qui poſſem & *corpus*, *& animam perdere*, *& mittere in gehennam ignis*. Sed ulterius fracto cortice, pertingamus ad nucleum. Penſiculatius expendamus has duas voculas *ego sum*: hic enim eſt aurifodina, fodiamus altiùs, & effodiemus theſaurum. Scio, ô Chriſte, per 40. & amplius ſæcula omnes gentes, tribus, nationes, totum genus humanum tantis ſuſpiriis expetiiſſe, tot lachrymis & precibus ſupplicaſſe, tantoque deſiderio expectâſſe, magnum illum Meſſiam, qui ſanaret ægros, liberaret captivos, tolleret peccata, induceret pacem, redimeret homines, ſpoliaret inferos, aperiret cœlos, tunc es ille? *Ego sum*: ô me ergò feliciorem Patriarchis, beatiorem Prophetis, fortunatiorem omnibus retrò Regibus veteris Legis, qui tantum crediderunt, prædixerunt, expectârunt venturum, quem ſcio ego veniſſe, credo hic adeſſe. Quapropter cùm hic certâ, & quâ nulla poteſt eſſe certior, fide te credam hic mihi adeſſe, eja negotiemur inter nos, & ſermocinemur tantisper, tu & ego, ſoli ſine arbitris, in ſilentio, in arcano ſeceſſu: habeo pauca, quæ te interrogem, tu reſponde mihi. Fuit quondam tempus, nec ita pridem, ante 80. annos, cùm ego jacerem inter umbras, ſine ſenſu, ſine motu, ſine vitâ, ſine animo, ſine corpore, ſine naturâ, inane nihil: nihil eram, & totâ retro æternitate nihil fueram. Fuit verò aliquis, qui, quo fine, cur fecerit,

*Hebr.* 10. 31. *Matt.* 22 13. *Matt.* 10. 28.

Chriſti in nos beneficia.

nescio, tu scis; sed fuit aliquis, qui conjectis clementer oculis misericordiæ, in illam vastissimam inanitatem magni nihili, ex illa caliginosâ abysso, eduxit me in lucem, in municipium hoc mundi, formavit mihi de limo terræ corpus, *inspiravit in faciem* meam *spiraculum vitæ, & factus sum homo, in animam viventem*; jussitque me dominari *piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*. Quis est ille; *Ego sum*. O amorem! sed pergamus porrò, plura fors hinc eruemus, unde gaudeamus, & amore ardeamus. Vix emerseram ex illo tenebricoso antro magni nihili, cum oblitus factoris mei, quia creaverat me ad imaginem, & similitudinem suam, deris Dominum DEUM meum, & æmulus Absalonicæ impietatis, Patrem meum persequebar: quare in magno illo foro, reus læsæ majestatis declaratus, & condemnatus, trahebar ad locum supplicii, ducebar ad mortem, tendebam ad exitiũ: actum erat de salute, conclamatum de vita, jam periera-ram; quia non erat qui servaret me, non erat usque ad unum. Videbat hoc Rex quidam magnus (quis ille fuerit, nescio, tu scis) in cujus *femore scriptum erat Rex regum, & Dominus dominantium*. Ille depositâ purpurâ, descendit ex alto, induit vilem saccũ, tradit se tottoribus, eripit me è carcere, solvit vincula: pro me sistitur judici, morte turpissimâ condemnatur, moritur ipse & ego vivo. Quis est ille? *Ego sum*. O misericordiam! eras tu quondam sursum in horto voluptatis, in paradiso, ubi oves tuæ pascebantur in pascuis uberrimis, in pascuis pinguibus: habebas illic 100. oves, & ecce ovicula una deviavit, & subduxit se à grege. Tu hoc intellexeras, & confestim, Pastor bonus nimium, relictis 99. ovibus in deserto, ivisti,

Gen. 2. 7 Gen. 1. 28. Apoc. 19. 16.

& quæ-

& quæsivisti eam quæ perierat. Ah Jesu! compatior tibi sic fatigato, currenti per invia, & devia, per spinas & rubos, per dumeta & tesqua. Quem quæris? ovem meam quæ periit. *Ego sum*, Fuit quidam, quem Pater tuus dilexit, & sic dilexit, ut te filium suum unigenitum ei daret, propter quem voluit te 9. mensibus latere in Virginis utero, posteà jacere in præsepio, deinde circumcidi, posteà baptizari in Jordane, 40. diebus jejunare in deserto, & post 3. annorum labores, tandem voluit te *tradi gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum.* Quæris jam: Quis est homo ille, quem Pater sic dilexit? *Ego sum.* Ah Jesu! fierine poterit ut, à Patre dilectus, & sic dilectus, non sim inter paucos electos? Tu propter me à Iuda traderis gentibus, & ego à Patre tuo tradar tortoribus? tu propter me descendisti de cœlo, & ego descendam ad inferos? tu propter me patieris, & ego peribo! tu propter me morieris, & ego non vivam? Scio Iesu, tu es vita, ergò non moriar sed vivam. *Matt.* 20. 19.

## §. XIX.

### *Christus prosternit hostes.*

ILlud quod Iudas Christo dederat osculum, erat Iudæis, ac Romanis velut belli classicum, quo quasi signo dato, conjuratis viribus eum adorirentur. Non hoc nesciebat, qui nihil non sciebat, Christus. Quamobrem magnâ animi excelsitate, tanquàm judicaturus, non judicandus, hostesque suos comprehensurus, imperterritus insanienti militum cohorti ultrò occurrit, & voce magnificâ, tanquàm Dominus rerum omnium interrogat; *Quem quæritis? Responderunt ei: IESVM Nazarenum. Dixit illis IESVS: Ego sum: & statim abierunt* Ioan. 18. 4.

*retrorsum, & ceciderunt in terram.* Hic cum Amos
Amos. 3. 8. lubet interrogare: *Leo rugiet, quis non timebit?* Vox illa non erat balatus ovis, erat rugitus leonis. Rectè David de hâc voce, antequàm ex ore Christi
Ps. 103. 7 fuisset prolata, vaticinatus est: *A voce tonitrui tui formidabunt.* Intonuit Christus, formidârunt hostes Christi, & sic formidârunt, ut abierint retrorsum: sic abierunt retrorsum, ut ceciderint in terram. Christus in horto cum paveret, timeret, sudaret, ostendit suam infirmitatem: extra hortum ostentavit suam Divinitatem: ibi erat agnus, hic leo; ibi apparebat homo, hic Deus. Venerat ergò Iudas ad Christum capiendum, munitus utroque brachio, Ecclesiastico, ac sæculari, ut si Christum tueri vellent discipuli, non auderent propter cohortem Pilati. Erat autem cohors, militum caterva constans 1125. peditibus, non nisi strenuis, scientiæ militaris apprimè gnaris. Hanc cohortem habebat Pilatus in Ierusalem pro sui capitis, & principatus tutela, & securitate ad compescendas seditiones, & populares tumultus. Hic ergò liquet, Christum fuisse captum, quia capi voluit, non quia Iudæus potuit. Illi enim ad binas illas voculas, *Ego sum*, quasi ventorum turbine dejecti, vel fulmine ex aëre collisо, afflati, vel tonitru è nubibus excussо, prostrati ceciderе; & qui venerant armati, cataphracti, solidis viribus, firmo robore, repentè nec stare in gradu, nec consistere pedibus potuêre; sed & Iudas, & Iudæi, & armigeri, & Romani, & singuli illius nefandæ cohortis milites in terram prostrati sunt, & sonitum super arma dederunt. Ibi ceciderunt quercus Balan: *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec stare potuerunt.* Iacebat jam ad Christi pedes tota prostrata cohors,

Vis verbi Christi.

Psal. 35.

Quid

Quid jam prosunt vel consilia Judæorum, vel decreta Magistratûs, vel arma militum, vel funes satellitum, vel Judæ insidiæ, vel machinæ Jerosolymæ, vel machinationes totius Synagogæ? nemo se potest movere, nisi is, à quo vivimus, movemur, & sumus, det ut se movere possint, facultatem. Rectè Propheta: *Vidi impium superexaltatum, sicut cedros Libani: transivi, & ecce non erat.* *Ps. 36. 33*
Stabat illa cohors militum, missa à Pilato, & principibus Sacerdotum, fastu elata, robore firma, viribus formidabilis, ore minax, armis metuenda. *Transivi, & ecce non erat.* Quia *vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros*; superbos illos, & sicut cedros exaltatos ad solum collisit, in terram dejecit, ad pedes suos prostravit, sic ut jam non viderentur esse milites, sed cadavera militum. Quid ni hîc dixerim cum Sapiente: *Omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam* illam bellatorum turmam, *prosiluit*, & prostravit? nec priùs erigere se potuerunt, quàm facta jam à Christo sese erigendi potestate; nec jam erecti, statim impetum in Christum fecerunt, sed stabant partim pudore confusi, partim stupore attoniti, partim timore pavidi: ignari quid agerent: donec secundò interrogati quem quærerent, isque respondisset se esse, ac mandasset ne qua discipulos injuria afficerent, dicens: *Dixi vobis, quia ego sum: Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Quasi dicat: Si jam percussi, non doletis, si viso hoc tam insolenti prodigio non movemini, si jam castigati, tamen nefanda consilia exequi decernitis, per me licet, comprehendite me. De his conqueritur Propheta: *Percussi eos, & non doluerunt: attrivi eos, & tenuerunt accipere disciplinam.* Pereat, pereat timen- *Ps. 28. 4.* *Sap. 18. 15.* *Ierem. 3.*

In peccando pertinacia, ultima malitiæ linea.

dum est, qui cœlesti sæpè afflatu admonitus, morbo percussus, adversitate dejectus, pertinax mala facere, dum mala patitur, ipsa Dei flagella convertit in peccandi instrumenta. Hi Iudæi semel prostrati, postea erecti, necdum tamen correcti, abusi Dei, & parcentis clementiâ & punientis justitia perstiterunt obstinati in malitia. Hæc quorumdam est perversitas, ut ipsa Dei beneficia, sint ipsis gradus ad nova maleficia. Quid? ergone hæc una tibi erit ratio cur sis malus, quia Deus est bonus? ideo peccando te facies miserum, quia post peccata expertus es misericordem? ideò in delinquendo eris liberior, quia ipse in ignoscendo est liberalis? ideo tu peccabis, quia ipse peccatores recipit? Audi insipiens Sapientis monitum,

Eccl. 5. 5. & sequere consilium. *Ne adjicias peccatum super peccatum, & ne dicas: Misericordia Dei magna est.* Misericors est Deus: dicit enim:

Ezech. 33. 11. *Nolo mortem impii sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* Sed & justus est Deus; dicit enim: *Impius in iniquitate sua morietur.* Misericors est Deus: *Peccavi enim, & quid mihi accidit triste?* Justus est Deus, quia dicit: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Misericors est Deus, quia Saulum persequentem Apostolos Christi, fecit magistrum mundi. Iustus est Deus, quia Pharaonem Hebræos insectantem submersit in profundo maris. Deus est bonus: fateor; tamen ob unicam offensam tot Angelorum myriades proscripsit cœlo, addixit orco. Deus est bonus: admitto: interim *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino.* Deus est bonus: verissimum est: interim clamat: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Spe erigor, dum video latronem admissum in paradisum: timore dejicior, dum cogito Iudam laqueo suspensum. Permisit

tot

tot Angelos ob peccatum unicum, æternum perire; tibi vili homunculo post innumera peccata parcet? tot pereunt quovis momento animæ, non poterit permittere ut tu, qui peritura sectaris, cum reliquis pereas? tuane anima pretiosior est, aut Deo charior tot aliis, quæ ob minora, & pauciora scelera æternis cruciantur tormentis? Dixit Christus: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* An propter te, qui es pulvis, & cinis, mutabit suum decretum? revocabit sua verba, & quasi pœnitentiâ ductus, te non pœnitentem servabit incolumem? ô Christe, timeo, sed & spero, quia justus es, & misericors; tua Divinitas mihi timorem incutit, Humanitas ad spem erigit. Leo es de tribu Juda: quis non horreat? Agnus es, qui tollis peccata mundi: quis non speret? Judæos uno verbo dejecisti in terram: quis non paveat pœnitentiam? ab iisdem si visti te capi, & ligari: quis non stupeat clementiam! Justus es, & ideo metuo judicem: misericors es, & ideo diligo Patrem: fac, ut timor sit mihi frænum, ne te offendam, & amor sit calcar, ut tibi placeam. Sic & justitiam tuam declinabo, & *misericordias* tuas Domine *in æternum cantabo.* Luc. 13. 15. Ps. 18.

## §. XX.

*Petrus educto è vagina gladio, Christum satagit defendere, Malchum percutit.*

STabant jam erecti, Christi imperio, qui ejus potentiâ fuerant prostrati; sed illi, ejus & potestatis punientis, & benignitatis patientis obliti, jam illi manus injicere moliebantur. Quid interim Apostoli? *Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine si percutimus gladio? Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit* Luc. 22. 49. Ioan. 18. 1.

*eum, & percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servi Malchus.*

Petri in Christo defendendo audacia

Discipuli, qui Christi stipabant latus, conspicati Judam, cohortem, ministros, faces, lucernas, gladios, hostes, timore pavidi, ut pulli, sub alas gallinæ se recipiunt, ubi milvum viderint insidiantem; ita illi ad Christi fugiebant patrocinium, tutissimum contra quosvis hostes perfugium: cùm verò observarent, jam non esse minas, sed seriò Christum, seque omnes cum Christo capiendos; volentes obviam ire ipsorum furori, dixerunt: *Domine si percutimus gladio?* quid prodest affixus lateri gladius, si nullus sit ejus usus? erant memores Christum dixisse: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam præbe illi & alteram. Benefacite his, qui oderunt vos. Qui habet* (scilicet saccum & peram) *vendat tunicam suam, & emat gladium.* Dubii ergo Christum interrogant: *Domine si percutimus gladio?* quid videtur? resne agenda ferro? si annuis; habes hîc tres selectos milites, non tantùm erga te fideles, sed pro te fortes: si certamen paveant cæteri, supereſt Petrus, qui pro te non tantùm non metuit periculum moriendi, sed ipsam ambit mortem. Jesus autem, qui illo tempore, gladio illos uti non ægrè ferebat, donec se periculo exemissent Apostoli, silebat. Interim Petro masculus in venis saliebat sanguis: totus ergo excandescere, & pio furore percitus, Christi silentium interpretatus esse consensum, (nam qui tacet, consentire videtur) ad Jacobum & Joannem conversus, exclamare, *Arma viri capite, arma viri.* Quid? Judæus capiet Christum, capiet inquam Judæus Christum, & hoc spectante Petro? non patiar: ducitque machæram fulmineam, eamque per aërem totis lacertis vibrans: Hodie, inquit,

Matt. 5. Luc. 22. 36.

Virg. Æneid.

inquit, vel cadam, vel cædam. Semel cecidit hæc colluvies verbo Christi, cadet iterum ferro Petri. An frustrà portat Petrus gladium? sciet Judæus, sciet & Romanus ambidextrum esse Petrum, posse & cum Christo piscari, & pro Christo gladiari. *Et nos tela pater ferrumque haud debile dextra, spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.* Age Petre, aggredere facinus: non potes errare, seu occîdas, seu occidas: si occîdis, cadet debita furori victima; si occidis, cades pro Jesu amoris hostia. Perinde est seu moriar, seu vivam, modò vivat Jesus. Faciam. Luna hâc nocte videbit cadentem, Christi vel hostem, vel vindicem. Dixit, nec mora pro Christo fortirer audax, ore minax, promptusque manu, validusque lacertis, latè vibranti ferro invadit confertos hostium cuneos. Primus illi occurrit Malchus; ille religioso indulgens furori, torosos erigit lacertos ferro armatos, medium fissurus caput: cùm enim esset piscator, promptior erat cæsim, quàm punctim ferire; sed quia fors alter caput galeâ munitum habebat, casu, vel potius Christi consilio, casum elusit, unde auriculam dexteram præcidit. Sed quid agis Petre? nunquid tu es petra illa, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam, hoc est, nunquid tu fundamentum es fidei? cur ergò auriculam tollis? quomodo credent, si non audiant; quia *fides ex auditu*: & quomodo audient, si careant auribus? tu fidei Magister debes potissimum servare hominum aures, & illas præscindis? sed hic reconditum latet in hac auricula mysterium, quod exponit his verbis Euthymius: *Ablata est servo Pontificis auricula, in signum quòd Principes Sacerdotum præ invidia auditu privati essent, ne audirent, & intelligerent eas, quæ de Christo erant, prophetias.*

*Virgil. Æneid.*

*Rom. 10. 17.*

Plu-

Auris dextra multis cũ Malcho abscissa.

Plurimos non tantum inter Judæos, sed & Catholicos invenire est Malchos, quibus integra est auris sinistra, sed abscissa dextera. Si quis aliquem verborum contumeliis laceret, alterius famam lædat, convitiis insectetur, & petulanti lingua traducat: si quis Nasonis metra legat, Poëtarum commenta, & fabulas narret, aurem sinistram erigunt: hic acutissimi sunt auditus, imò toti aures. Dicat Christus: *Adolescens, tibi dico, Surge: vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Luc. 7. 14. Est Malchus, non audit, nisi sinistra verba; abscissa est auricula ejus dextra. Matt. 19. 21. Ita multi sunt, qui libentius audiunt epistolas Ovidii, quàm Pauli; carmina Virgilii, quàm Evangelia Christi: Poëtarum fabulas, quàm sacras Regum historias. Hi sunt *magistri* illi *prurientes auribus*, de quibus Paulus, qui *à veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur.* 2. Tim. 4. 3. Cavete ne vobis præcidatur auricula dextera; illa enim est salutis janua; quia si fides per auditum, & salus per auditum; nemo enim fit compos salutis nisi placeat DEO. *Sine fide* autem *impossibile est placere* DEO. Hebr. 11. 7. Audiant ergò verba Salvatoris, ne excidant salute. Dicam cum S. Augustino: *Sileat tumultus carnis, sileant phantasiæ terræ, & aquarum, & aëris, sileant & poli, & ipsa sibi anima sileat, & transeat se, non se cogitando: sileant omnia, & imaginariæ relevationes, & omnis lingua, & omne signum quod transeundo fit, & loquatur per se solus, qui fecit ea, non per ea sed per semetipsum, ut audiamus verbum ejus, non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, neque per sonitum nubis, neque per ænigma similitudinis, sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus.* 79. Confes. Vides jam Domine, omnium aures in te unum esse conversas: jam quietum silentium continet omnia, loquere Domine, & te loquen-

loquente, si quis jacet hic paralyticus, surget, & tollet grabatum suum: si quis cæcus, respiciet: si quis leprosus, mundabitur: si quis mutus, loquetur: si quis claudus, ambulabit: si quis surdus, audiet. Tibi patent omnium aures, imò & mentes. De te canemus, loquemur, cogitabimus, *quia nil canitur suavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius, quàm Iesus Dei Filius.* Quid mirum? *Quando cor nostrum visitas, tunc lucet ei veritas, mundi vanescit vanitas, & intus fervet charitas*: ut ergo illa ferular, tu loquere, & ut te loquentem audiam, silebo ego. S. Bern.

## §. XXI.

### *Reprehendit Christus Petrum.*

UT vidit Christus Petrum ferro armatum, sic coram se, & pro se cum hostibus congredientem, sic eum arguit: *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* quasi diceret: Mi Petre; cesset indignatio, comprime iram, compesce furorem, cohibe impetum. Non Iudas proditor, non Annas sacrilegus, non irrisor Herodes, non injustus Præses hunc calicem mihi propinat. Hic calix mittitur è cœlo, non è terrâ: à Deo, non ab homine: à Patre, non ab hoste. O ingens in omni afflictione solatium! si quid mali pateris, Deus non tantum ut patiaris permittit, sed cupit. Tu roderis malevolorum dentibus, laceraris contumeliis, proscinderis convitiis: O amarum, inquis, calicem! tu horres illum ut toxicum, & est tibi pharmacum: illum calicem tibi proponit non homo ille maledicus, sed cœlestis medicus. Ego ad illum dignitatis gradum aspirabam, ut tandem respirarem: nihil non egi, & tuli, ut illo potirer, & ecce, me post- *Matt. 26. 52. Ioan. 18. 11.*

Adversa à Deo immittuntur.

postpositio, alius præponitur, & ego spe excidi: ô malum intolerabile! imò ô bonum incredibile ille quem aspectabas gradus, fors fuisset animæ interitus. Non est dedecus contemni, sed facere contemptibilia. Contemne tui ipsius contemptum, & dic arrogantiæ obgannienti: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* toties bibisti, & ebibisti calicem, quem dedit tibi Bacchus, quem Venus, quem Plutus, animæ tuæ hostis, proditor, tortor, & rejicis calicem, quem dat tibi Pater; Da Pater quem mihi offers calicem: submississimâ totius tum corporis, tum animi reverentia me prosterno, ut de manu tua accipiam calicem, & cum summa veneratione manū dantis exosculabor: & ut tollatur illa, quæ in illo calice est amaritudo, supponam hunc calicem sacratissimæ tuæ fronti; ut in eum stillet vel gutta tui sudoris: supponam amabilissimis tuis oculis, ut in eum defluat vel unica lachrymula: scio enim quia lachrymatus es Iesu. Supponam & lateri tuo quod lancea aperuit, ut decidat gutta sanguinis: satis enim est ad tollendam omnem amaritudinem mei calicis vel gutta tui sanguinis. Sic bibam calicem, quem dedisti mihi Pater, & frater meus, ut illo exhausto, introducas me in cellam vinariam, ubi torrente voluptatis tuæ potabis me, & inebriabor ab ubertate domus tuæ.

## §. XXII.

### *Fuga Discipulorum.*

Matt. 26. 55. POstquàm Christus intempestivum Petri zelum paternâ admonitione corripuisset, à Discipulis suis conversus ad hostes suos, dixit: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & lignis comprehendere me? quotidie eram apud vos in templo do-*

cens;

*cens, & non me tenuistis; sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Hactenus à vobis capi nec mihi libuit, nec vobis licuit : necdum enim venerat hora mea, sed jam ut capiar, & mea voluntas, & vobis est potestas ; quia *hæc est hora vestra* : accipite ergo manus, & vincite; accipite brachia & ligate: accipite totum corpus, & injicite funes, & vincula; ducite, trahite, cædite. Fecit me vobis prædam amor in vos. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Non sine divino afflatu scripsit Evangelista illam voculam, *Tunc* : quia summi est momenti. *Tunc* fugerunt, cùm ipsi essent injecta vincula: *Tunc* fugerunt, cùm oportuisset eos maximè stare: *Tunc*, cùm decuisset ut milites pro suo duce, ne caperetur, eum propugnare: *Tunc* fugerunt, cùm debuissent, si unquam, ostendere suam in Magistrum reverentiam, in Dominum fidelitatem, in amicum constantiam, in patrem amorem: *Tunc* fugerunt, cùm illorum & solatio, & auxilio potissimùm Christus indigetet. Cùm Christus accumberet mensæ in ultima cœna, aderant Apostoli omnes, fugerat nemo: paulò post dum cœpit tristari, & tædere, aderant tres : deinde cùm jam esset capiendus, aderat solus Joannes, qui & relictâ sindone profugit. Tandem cùm esset captus, nemo aderat. Tunc Christus traditus in manus peccatorum, videbat à dextris, ubi esset Petrus? abierat: à sinistris, ubi Joannes? discesserat: retrò, ubi Jacobus? aufugerat: ubi omnes amici ? *relicto eo, fugerunt omnes.* O Cosmophile! noli tibi blandiri, nec glorieris nimium in grege, qui latus tuum stipat: quàmdiu vales, & vivis & polles opibus, turba te sequetur hominum: paulò post ubi lethali morbo affixus lecto decumbes ; quando appropinquabit novissima hora,

ade-

In morte omnes & omnia à nobis fugiũt.

aderunt pauci aliqui, spe adeundæ hæreditatis affectu; tandem ubi mors oculos clauserit, tunc te solo relicto, fugient omnes, & omnia: fugiet perspicacitas ab oculis, robur à labiis, venustas à genis, fortitudo à manibus, agilitas à pedibus, vigor omnis à membris omnibus. O quàm tibi erit acerba ultima vitæ hora, rerum omnium fuga! tunc, quando jacebis in lecto doloris: tunc, quando eris in extrema necessitate: tunc quando sudabit frons, pallescet vultus, frangentur oculi, silebit lingua, frigebunt manus, rigebunt pedes, anhelabit pectus, stupebit animus, formidabit spiritus, affligetur corpus: quando angustiæ tibi erunt undique: tunc, quando maximè indigebis solatio, auxilio, ope, & opera mundi: tunc, in ultimo illo articulo temporis, in postremo vitæ momento, quando exhalabis spiritum, fugiet mundus, & omnia quæ sunt mundi. Tunc fugiet ab ambitioso honor, à superbo gloria, ab avaro opes, à lascivo voluptas, ab erudito scientia: tunc fugient à magistro discipuli, à parente liberi, à domino famuli, à duce milites, à rege subditi: imo tunc fugient à peccatore misero omnes, qui possent misereri: fugient Angeli, fugient cœlites, fugiet mater misericordiæ Maria, fugiet Pater misericordiarum Jesus, fugiet Deus. *Siccine separas amara mors?* siccine separas ab omnibus quibus adhæsi? à patria, ubi cœpi vivere? à domo, quam incolui? à musæo, in quo studui? à strato, in quo quievi? à triclinio, in quo pastus sum? à vestibus, quas indui? à parentibus, qui me genuerunt? ab amicis, quos dilexi? ab omnibus hominibus, quos novi? tunc relicto te solo fugient omnia. Fugient relicto te: ubi relicto? corpore in tumulo, anima in tartaro. Tunc anima in medio tormento-

1. Reg. 15. 32.

tum

rum sola, respiciens omnia præterita, & videns fugisse omnia, horrendum ululabit, & cum immenso quodam fragore vocis, stridebit dentibus, & implens totum aëra quæstibus, exclamabit cum illis apud Sapientiam: *Transierunt omnia illa tanquam umbra*, transierunt omnia illa propter quæ exhausi omnes vires corporis, animi, industriæ, ingenii: propter quæ tot subii pericula, tot devoravi tædia, tot pertuli incommoda, tot exantlavi labores: *Transierunt omnia illa*, propter quæ tot noctibus vigilavi, tot diebus me occupavi, propter quæ tot à me scripta, dicta, facta, cogitata: propter quæ totius ætatis tempus omne impendi, & jam in æternum perii. *Transierunt omnia illa tanquàm umbra*: tam citò, tam celeriter, cum tanto meo dispendio, in ictu oculi, in momento, in puncto. *Transierunt omnia illa*, relicto me solo inter æterna supplicia. Ergo hoc nunc decerno, cum transeat mundus, & concupiscentia ejus, & cùm transitura sint omnia, vale munde, salve Christe. Venit hora, & nunc est, ut transeam ex hoc mundo ad te patrem meum, qui es Salvator mundi. Dixisti: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Si cœlum & terra transibunt: *quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare JESUM. Quia ergò semel transibunt omnia, ad te jam transeo, DEUS meus & omnia.

Vanitas omniũ rerum. *Sap. 5. 9.*

*Luc. 21. 33.*

*Ps. 72. 25*

## §. XXIII.

### *Christus capitur.*

PRoposita fuit nobis in priori puncto, rerum omnium in morte fugacitas: hic proponetur rerum omnium post mortem æternitas. Post-

quàm proditor Judas dederat Judæis signum, quem caperent, postquàm fugerunt à Christo discipuli, impetu facto in eum irruerunt milites.

Matt. 26.50. *Tunc accesserunt, & manus injecerunt in IESVM, & tenuerunt eum.* Hic exoritur clamor, hic rabies, hic furor, hic impetus, hic vincula, hic verbera. Christus igitur manibus post terga revinctis, collum torque ferreo constrictus, catena circumligatus & fune longiori brachiis inserto, seu rabiosus canis in urbem media nocte raptatur, horribili catenarum stridore, armorum crepitu, armatorum strepitu, satellitum tumultu, canum latratu, lixarum clamore, Judæorum cachinnis. Excita plebe è strato ad fenestras advolat, inquiritur, respondetur, applauditur: confuso, ac incondito hoc tumultu urbs tota perstrepit, fremit, frendet. Agnus mansuetus per tribunalia circumducitur tanto impetu comprimente turba, ut potius fieret retur quàm ageretur. Ab Anna interrogatur, Caipha damnatur, ab Herode illuditur, à Pilato flagellatur, à militibus crucifigitur, à singulis ab omnibus deseritur. Ecce quot mala post osculum Judæ, post fugam discipulorum! Hæc omnia venient super te, ô peccator, si moriaris in peccato. Post acceptum perfidum in hac vita à mundo osculum, post fugam in fine vitæ à te rerum omnium, sequitur terribilium omnium terribilissimum, malum summi mali, infelix æternitas. Sicuti statim ubi fugerant à Christo discipuli, accesserunt milites, & apprehenderunt eum, ac ligaverunt: ita statim ubi fugit à te vita, fugerunt homines omnes; statim ubi transierunt omnia, accedent eodem momento dæmones, & de capta præda sibi applaudentes, gratulabuntur sibi, di-

Æternitas pœnæ, apex omnium malorum.

centes

centes: *DEVS dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Quis tunc te eripiet ex istorum rabidorum hostium manibus, ac luporum dentibus, ex leonum unguibus? Quidquid ibi patieris, erit perpessu intolerabile, & quidquid erit intolerabile, erit æternum toleranti. Erit intolerabilis in stomacho fames, in faucibus sitis, in auribus clamor, in câpite dolor, in dentibus stridor, in ossibus ardor, in artubus tremor, in tota anima angor, in toto corpore dolor: & tamen hæc singula erunt æterna. Quamprimùm infausta anima egreditur è corpore, & ingreditur terram illam tenebrosam, & opertam mortis caligine, tunc adamantinis seris clauditur tibi Infernus, & ne possit unquam aperiri, tollit secum claves is, qui de se dicit: *Habes claves mortis, & inferni.* Tunc horrendè clamabis, & miserabiliter vociferaberis, & tanquam rabidus canis ululabis, & jugiter pulsabis, dicens: *Domine, Domine aperi nobis.* Respondebitur tibi fatuo à divina Justitia, quod fatuis virginibus: *Clausa est janua.* Clamabis ad cælites, & cælitum misericordiam, *Miseremini mei, miseremini mei.* Respondebunt illi: *Clausa est janua* misericordiæ: itaque æternum eris miser. Convertes te ad Spem; *Spes* saltem *non confundit.* Audies: *Clausa est janua* omni spei. Itaque æternum desperabis. Convertes te ad solatium, petens ut quis *intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam tuam.* Dicetur tibi: *Clausa est janua* omni solatio: itaque desolatione æterna desolaberis. Optabis saltem una hora respirare, & quiescere: frustrà, *Clausa est janua* omni quieti: itaque *non habebis requiem die, ac nocte.* Orabis saltem hanc tibi conferri gratiam, ut possis semel contrito corde dicere: Peccavi: nec tan-

*Ps. 70. 11*

*Apoc. 1. 18.*

*Matt. 25*

*Iob. 18. 25.*

*Rom. 5. 5*

*Luc. 16.*

*Apoc. 14 11.*

tilla gratia indulgebitur: quia *Clausa est janua o*
mni gratiæ. Uno verbo quamdiu Deus erit Deu
nunquam vel unico momento quiescès, aut re
spirabis: quia *Clausa est janua* omni bono aper
omni malo, semper ureris, nunquam combur
ris: pati semper incipies, nunquam desines, ô v
rè vita mortalis, mors vitalis! ubi homo uritur,
non extinguitur: moritur, & vivit, deficit, & sub
sistit. Quid gravius quàm semper velle, quo
nunquam erit, & semper nolle, quod nunqua
erit? in æternum patietur, quod non vult. Credi
nè hoc? Non credo te credere, vel si credis, ins
nis, qui sic vivis. Estnè adhuc dubitandi locus,
hæc credis? estnè gutta sanguinis in venis, estn
sensus, qui non stupore, formidineque obrig
scat? quo non æstu rapi, in quam admiratione
venire debemus amentiæ, furoris hominum
quid dicis de te ipso? ubi nunc es? quomodo no
exclamas? O me miserum! quid hactenus egi? q
gone? ô infelicem! quàm immensum pond
malorum! quàm omni ex parte infinitum! quàm
sine numero, quam sine fine? & quorsum me
menti gratia. Ego unius horulæ causa, quæ pra
teriit, quæ evanuit? ego Christianus sic pecca
momentum æternitati prætuli? ô stultum! ô
mentem! ô furiosum! violata ergo, pessumdat
funestata virginitas mea, amissa innocentia, p
dor amissus, Deus amissus, perdita omnia! O
Christiani! incumbit vertici vestro pondus im
mensum æternæ æternitatis. Clamo ad vos, quo
secum clamabat noctes & dies B. Cæsarius Ar
latensis præsul. *Duo sunt, nihil est medium: duo sun*
*aut enim in cælum ascenditur, aut in infernum descen*
*ditur.* Nos sumus medii inter hæc duo: sursum e
cœlum, deorsum Infernus; supra caput æter
tas

tas, infra pedes æternitas, utrimque æternitas: hic rerum omnium vanitas. Vide quid eligas: semel malè elegisse, æternùm periisse est.

## §. XXIV.

### *Ad Annam deducitur.*

DEus Incarnatus, Christus Jesus, magnum in nos exhibuit amorem Mundum procreando, quia tunc plurima largitus est nobis beneficia: majorem tamen prodidit amorem redimendo, quia tunc maxima pro nobis passus est supplicia. Majoris siquidem est amoris argumentum, pro amico. Pertulit Christus mala, contulit bona, ut hoc ejus sequereris consilium, monentis: *Declina à malo, & fac bonum.* Tu interim, qui inclinato capite tradidisti spiritum, ut ego *inclinarem cor meum in testimonia tua*: *inclina aurem tuam ad preces meas*, ut intelligam pœnas tuas, & diligam summum Bonum, qui pro me passus es summa mala. *Ps.* 36. 27. *Ps.* 118. 36. *Ps.* 87. 3.

Jam cœli terræque Dominus permiserat se capi, *quem cœli cœlorum capere non possent*, ut paulò post *captivam* duceret *captivitatem*: & ecce milites cum suo tribuno, & cæteris Judæorum ministris, *Adduxerunt eum ad Annam primùm*; *erat socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.* 3. *Reg.* 8. 27. *Eph.* 4. 8 *Io.* 18. 13.

Molestum, juxtà ac ignominiosum erat hoc Christi ad Annæ domicilium iter: enim verò hortus Gethsemani, in quo captus fuerat Christus, distabat leuca una à domo Caiphæ: in via autem sita erat domus Annæ, ideo illius honorandi causa, milites urgentibus Judæis, primùm ad ejus ædes adduxerunt Christum. Sic Rex regum manibus post terga revinctis, catena collo imposita, capite nudo, corpore curvo, nunc funibus tractus, nunc fustibus impulsus, tunc pedi-

bus conculcatus, summa festinatione ad domum Annæ contendebat. Ibi grex ille satellitum ex te terrima Judæorum colluvie sejectus, relicta regi semita, quo majori viarum compendio utantur per loca saxis aspera, dumis horrida, ascensuar dua, nunc ad sinistram, nunc ad dextram raptan Quoties cùm huc, illuc, ab his, ab illis traheretur nec posset per vincula se commovere, coactu est in terram procidere; unde cùm tam subitò erigere non posset, crudeliter à barbaris satellit bus, pecudis ritu trahebatur; ita ut verè illud D

1. Paral. 21. 11. vidis usurpare poterit: *Ex omni parte me angust premunt.* Adduxerunt autem eum per portam au ream, templo proximam: quæ alias dicitur Pro batica, vel ovium porta, per quam sex diebus an tè, tanto totius civitatis congratulantis plausu, & festiva acclamatione, & palmarum ac substrato rum vestium honore, & pompâ fuerat excepta Ubi jam fuerat urbem ingressus, tanto vociferan tium militum strepitu, & incondito tumultu ex citi cives omnes, mox accurrere turmatim, tota civitas nocte concubiâ commoveri, exultare ob captam prædam, portæ, fores, fenestræ, vici, com pita omnia exundantium hominum multitudi ne compleri. Quot hic auditi per plateas sibili quot probrosa verba, quot ab insanis sannioni bus jactata in Christum scommata? Hic metae sto; antequam ingrediaris Annæ domicilium: sta viator ad vestibulum, & viæ hujus molestissimæ, quam Christus inivit, causam discute. Causa non quasi ignota quærenda, sed ut obvia est expen denda. Circumspexerat filius Dei, ex immensa æ ternitatis specula omnes per totum orbem diffu sas Academias: perspiciebat tot discinctos nepo tes, cincinnatos ganeones, calamistratos gnato

nes,

nes, filios tenebrarum, in tenebris concubiâ nocte per plateas debacchantes, tumultuantes, digladiantes: videbat tot procaces, & salaces procos ad fores amasiæ totam noctem blandè lenocinantes; alios cum citharis, & nabliis, cum fistulis & tympanis, Mœnadum ritu, solum pulsantes: alios nescio quàm insaniam insanientes. Hæc prospiciens de machinâ Filius DEI, ut horum expiaret scelera, descendit ad nos, factus viator, ne deviarent peregrini: summo furore noctu trahitur, ut nocturnos illos errones ad se trahat: raptatur cum dedecore per plateas Jerusalem, propter eos qui rapiuntur per plateas Babylonis: ab omnibus illuditur, propter eos qui noctu ludunt ludos insolentes. Sic tu Christe qui dixisti, *Ego sum via*, ambulâsti vias difficiles, propter eos qui veloces sunt ad currendum per viam latam, quæ ducit ad mortem, donec lassati in via iniquitatis deficiant in via. Tu via, sine qua devio, sine qua erro, sine qua declino à calle salutis, me ovem errantem, & seductam reducas ab errore ad viam; adducas à peccato ad gratiam; deducas ab exilio ad patriam. *Ioan.* 14. 6.

## CAPUT II.

## Christus in domo Annæ.

### §. I.

*Interrogat Annas Christum de discipulis.*

AMbulaverat per vias invias cum iniquis is, qui *omnem viam iniquam odio habuit*, & qui est via, cùm admissus in domum Annæ, hoc est officinam nequitiæ, interrogatur de Doctrinâ, qui est Veritas, & *Ps.* 118. 128.

cæditur tanquàm reus mortis, qui est Vita. In hac domo, velut in cœlestis scientiæ schola, discemus ab illo, qui *unus est Magister* omnium, quanta sit profanæ doctrinæ vanitas, quæ Christianæ doctrinæ veritas, quanta inter utramque diversitas.

*Matt.* 23. 8.

Convenerant ut Christum circumconvenirent in domo Annæ, Legisperiti, Scribæ, Seniores; hoc est solertissimi Jerosolymæ nebulones; avidi magis Christi cognoscere, quàm admittere scientiam: erant enim ex iis, qui dicebant cum illis sciolis: *Scientiam viarum tuarum nolumus. Pontifex ergo interrogavit IESVM de discipulis suis.*

*Iob.* 21. 14.

Quis, quem interrogat? discipulus Magistrum, servus Dominum, reus Judicem. Annas Christum, homo DEUM. Quis, quem interrogat? ignorantia Scientiam, stultitia Sapientiam, vanitas Veritatem, vox hominis Verbum Patris. Quis interrogat, audivimus; quem interrogat, intelleximus: sed modò quid, & de quo interrogat, discutiamus? Pontifex interrogat JESUM de discipulis suis; cur videlicet eos congregasset, & cur suæ doctrinæ auditores non elegisset ex porticu Zenonis Stoicos, vel ex Lycæo Aristotelis Peripateticos, vel è Platonis luco Academicos, vel ex Athenæo grandiloquentes oratores? Cur homines elegerit imperitos, bardos, idiotas, scientiarum omnium rudes, meros truncos, & stipites, conditione viles, opificio abjectos? videri illum 12. piscatores contra 12. Patriarchas, & 72. discipulos contra 72. seniores, tanquam auctorem novæ alicujus legis, velle designare. Christus interrogatus de discipulis, cùm nihil posset ad illorum laudem adferre boni, & nollet ad illorum contumeliam quidquam proferre mali, si-

*Ioan.* 18. 19.

luit,

luit. Sed à Christi discipulis ad vos, qui estis in mundi Academiâ discipuli, me converto. O Academici, quantum temporis impendistis, ut ea sciretis, quæ sciviſſe plus forsan ad salutem oberit, quàm proderit? Tu cùm adhuc esses puer elementarius, cœpisti frequentare ludum literarium, & discebas α. & ω. adhuc ignorans eum qui dicit: *Ego sum α. & ω. principium & finis.* Inde gradum faciebas ad scholam Prisciani, & discebas declinare nomina; non tamen declinabas vitia; imò inclinabas, inclinante ætate, in majora flagitia. Crevit ætas, & cum ea accrevit ut studendi labor, ita & discendi ardor. Ita ut de puero dici possit illud Poëtæ, *Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alsit.* Dilapsus es ad altiores scholas, inde ad Academiam. Itaque sexennium, vel amplius impendistis politiori literaturæ pueri, biennium Philosophiæ adolescentes, triennium circiter Medicinæ, aut Juris-Prudentiæ juvenes; ecce 12 annos, ecce pueritiam, adolescentiam, juventutem exactam in Academia mundi. Quis ex 12. illis annis 12. horas consecravit doctrinæ Christi? Jam didicistis construere periodos, pangere metra, concionare orationes, contexere syllogismos, explicare leges. Hæc omnis tot annis, tantis expensis, tam molestis laboribus, acquisita doctrina, quid conferet ad salutem? quanta hominum cæcitas! obeuntur plateæ, frequentantur scholæ, pulsantur pulpita, fatigantur ingenia: elucubrant passim homines integris noctibus ad lampades; volvunt, & revolvunt ingentia librorum volumina, impallescunt chartis, consumunt quidquid habent olei, vociferantur ad ravim usque in gymnasiis, legunt, scribunt, discunt, & postquam omnia didicerint, coguntur cum Stoico

Scientia profana labore acquiritur. *Apoc.* 1.

*Virg. Æneid.*

ico illo ( Socrate ) dicere: *Nihil scio, nisi hoc ipsum, quod nihil sciam.* Tanti emitur ignorare. Tota teritur vita, ut quis audiat doctus, vix ex totâ vitâ impenditur dies, ut evadat pius. O vos omnes variarum scientiarum discipuli, quàm diu audietis Magistros prurientes auribus? unus est Magister vester JESUS. cui idcircò mandanti omnes parere, decernenti subscribere, suadenti auscultare debent, nisi velint & DEO esse ingrati, & sibi ipsis inimici. Paucos is habet discipulos, sed selectos, & electos. Jam vos mundi discipulos interrogo, ut cæcus ille Judæos: *Nunquid & vos vultis discipuli ejus fieri?* vos, qui tot annos trivistis in Lyceis & studuistis comparandæ scientiæ, quæ inflat? vos, qui toties audivistis patrem mendacii loquentem ex cathedrâ pestilentiæ? vos, qui tot laboribus vos frangitis, ut polleatis *sapientia hujus mundi*, quæ est nisi *stultitia apud DEVM? nunquid & vos vultis discipuli ejus fieri?* ejus, qui est Veritas, & ideò non potest fallere: ejus, qui est Sapientia, & ideò non potest falli: ejus, qui est Verbum Patris, & ideò non loquitur nisi verba vitæ: ejus, quem audire, salus est audientis: ejus, qui quidquid egit, disciplina est agendi: ejus, cujus omnis, & actio, & passio, nostra est instructio: *nunquid & vos vultis ejus discipuli fieri?* Credo hoc omnium esse votum. Jam fors cujuslibet vox est illa, quæ illius in Christi schola discipuli: *Tædet me sæpè multa legere, & audire: in te totum est quod volo & desidero.* Nos ergo pronis in terram genibus, conversis ad Jesum mentibus, apertis ad ejus verba auribus, exclamemus cum eodem Christi discipulo: *Taceant omnes doctores, sileant universa creatura in conspectu tuo, tu mihi loquere solus.*

Ioan. 3. 27.

1. Cor. 3. 19.

Ioan. 8. 27.

à Kemp. l. 1. c. 3.

§. II.

## §. II.

### *Interrogat Annas Christum de doctrina ejus.*

NOn sufficiebat Annæ Christum interrogare de suis, quos docebat, discipulis; sed voluit & de sua, quam tradebat, doctrina.

*Pontifex ergo interrogavit* Jesum *de discipulis suis, & de doctrina ejus.* Io.18.19
O Anna! si scires donum Dei, & quis est quem tu interroges, non tu sederes in solio turgidus fastu, sed inclinares te usque ad solum coram illo, in cujus nomine flectitur omne genu. Interrogat eum de doctrina, qualis esset? unde eam hausisset? quibus magistris didicisset, cùm non esset nisi fabri filius? videri illam peregrinam, & à Moysis, ac Prophetarum doctrina dissentire. Mirabatur deinde, unde tanta in tam humilis sortis homine auctoritas, ut novâ illâ suâ doctrinâ tot discipulos ad se pelliceret, ut turbæ hominum ab ejus docentis ore penderent, & tam cupidis auribus verba exciperent. Quapropter sperabat, si Christus suam doctrinam explicaret, facilè ab eo aliquid dicendum, in quo meritò esset arguendus. Itaque multis de doctrina, quam passim hactenus tradiderat, studiosè interrogat. Quid agis Anna? Tu illum audes interrogare, qui si interroget te, *non poteris ei respondere unum pro mille*: si enim *repentè interroget, quis respondebit ei*? Si doctrinam ejus ignores, non opus est eum interrogare, sed sequere consilium Job: *Interroga jumenta & docebunt te: & volatilia cœli & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris.* Hæc omnia ab ipso facta, Iob.9.3. Iob.19. 12. Iob.12. 7.8.

de eo

de eo annuntiabunt non tantùm cum Judæis; *bene omnia fecit*, tanquam potens in opere; sed bene omnia dixit, tanquam *potens in sermone. Dixit enim & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt.* Inter omnes, quæ in omnibus scholis, gymnasiis, Academiis agitantur, & ventilantur quæstiones, nihil rogatur utilius, nihil interrogatur laudabilius, quàm de doctrina Christi. De hac tamen doctrina quàm pauci, & quàm paucis interrogant? Omnis solertia intellectus, omnes nervi ingenii, omnes vires industriæ occupantur, & fatigantur circa doctrinam mundi. Christi doctrina est omnibus peregrina. Quot sunt qui interrogant de doctrina Porphyrii, & Aristotelis Philosophi? de doctrina Galeni, & Hippocratis, Medici? de doctrina Euclidis, & Archimedis, Mathematici? de doctrina Baldi, & Bartholi, Jurisperiti? Audi Philosophe, quid dicat ille de Christi doctrina doctissimus Idiota. *Melior profecto est humilis rusticus, qui Deo servit, quam superbus Philosophus, qui se neglecto, cursum cœli considerat.* Audi Theologe, quid idem dicat: *Quid prodest alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati?* O Christe, interrogamus & nos cum Anna de tua doctrina. *Magister* (hoc enim nomine tu teipsum appellasti) *scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: dic ergo nobis* quæ est doctrina tua? *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* O nos malos magistri boni discipulos! qui ita paupertatem odimus, ac si vetuisset nos paupertatem amplecti; ac si præcepisset rejicere. Quid deinde doces? *Diligite inimicos vestros.* Nos inimicos insectamur maledictis, diris omnibus devovemus, persequimur odio, cædimus quin etiam, ac si Christus dixisse: Occidite inimicos vestros. Do-

Marc. 7. 37. Luc. 14. 19. Ps. 32. 9.

Doctrina Christi omniũ utilissima.

à Kemp. l. 1. c. 2.

Idem l. 1. cap. 2.

Marc. 22. 16. Matt. 5. 3.

Ibid. 44

ctrina Christi est: *Qui se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat humiliabitur.* Nos non pluris facimus illa Christi verba, quàm si aliquis è trivio verbosus blatero, vel circumforaneus sycophanta illa pronuntiasset. Non sunt hi discipuli Christi: vel si sint, non tam sunt ad disciplinam, quàm ad magistri infamiam. Nam, teste Chrysologo, *Magistro magnam facit injuriam, qui se discipulum fatetur ejus, cujus non sequitur institutum: nam sicuti discipuli probitas, laus est magistri: sic magistri vituperatio, discipulus nesciens disciplinam.* Quid nos qui agnoscimus Christum esse unum nostrum Magistrum, tergiversamur amplecti ejus doctrinam? Christi doctrina est certa, & de illa ambigimus: est sancta, & illam non admittimus: est secura, & de illa timemus. Christi doctrina à Patre æterno est approbata, à Spiritu sancto confirmata, sigillo veritatis obsignata, infinitis prodigiis stabilita. Docuerat Christus, *Beati pauperes spiritu*: & ecce, immensa hominum multitudo, spretis opibus, abjectis facultatibus, contemptâ opulentiâ, paupertatem non tantùm sunt secuti, sed amplexati: certi, non esse pauperem qui nihil habet, sed qui multa concupiscit. Docuerat Christus, *Beati mundi corde*: & ecce myriades juvenum, & virginum perpetuo castitatis voto se obstrinxerunt, ut cor mundum crearet in ipsis Deus; non ignari, Angelis quàm hominibus magis esse proprium, in corpore vivere quasi sine corpore. Docuerat Christus, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Et ecce, agmina Martyrum, ignes & lampades, carceres & vincula, ungulas & equuleos, rotas & cruces, invicta animi magnitudine pertulerunt, & securi calcaverunt omnia genera tor-

Matt. 25. 12.

Serm. 94.

Matt. 5.

tormentorum, parte sui corporis jam sepulti antequam mortui: sciebant enim interesse ex qua causa, non ex quo pendeas stipite. O doctrina quæ non traditur *in Synagoga Sathanæ*, sed in schola æternæ Sapientiæ! Mihi non loquatur Plato, non Aristoteles, non Hippocrates; crepant illi phalerata, bombisantia, & sesquipedalia verba: pulcherrimè dicunt, sed turpissimè vivunt. Te solum loquentem audiam, de quo Pater dicit: *Ipsum audite*. Lubens ero in tua Academia discipulus, in tuo gymnasio alumnus, in tua schola auditor. Pluris est unica tuæ doctrinæ sententia, quàm omnis Philosophorum scientia. Non est jota unum, aut unus apex in tua doctrina, qui non sit expressus digito Dei: non ergo de tua doctrina quasi ambiguus interrogo, sed unum supplicissimè rogo: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Apoc. 3. 9

Matt. 17. 6.

Ps. 142. 10.

## §. III.

### *Respondet Christus Annæ de sua doctrina.*

INterrogatus magnus ille Magister & cœlestis Academiæ professor, de sua, quam tradiderat, doctrina, eam rectam esse, ac sanam probat, partim ex loco, ubi docuit, partim ex auditoribus, quos docuit, dicens:

*Ego palàm locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce, hi sciunt, quid dixerim ego.*

Ioan. 18.

Prô-

Prô! quanta hic Christi funibus vincti, stantis instar rei coram supremo Pontificis tribunali, in tam honesto, & suspiciendo sacri senatus consessu, in respondendo libertas, in loquendo auctoritas; quale pondus in verbis, quæ confidentia! securus sine curâ, intrepidus sine metu, loquitur de sua doctrina, utpote solida, firma, certa, vera, divina. Illos ipsos vult suæ doctrinæ esse censores, qui unquam fuerant illius auditores. Quasi diceret: Quis me arguet de peccato? quædam præcepi, plura consului, plurima in templo & synagoga dixi: Quis ex his omnibus me insimulabit erroris? quis carpet verbum unum ex omnibus quæ locutus sum? quis me convincet vanæ doctrinæ? Quod si tu, Anna, nunquam ad me audiendum, neque in templo, neque in synagoga accessisti, interroga illos quî me audierunt. Nolo mihi credas: nec volo interroges Matrem meam; non appello ad discipulos: non hic allego consanguineos, & amicos; sed cito hic ipsos juratissimos meos hostes. Interroga Judam, qui me vendidit; principes Sacerdotum, qui me emerunt: hos satellites, qui me captivum huc adduxerunt: inimicos meos interroga. Illa de causâ necessariò interrogatur cujus cùm de facto constet, facti tamen modus nescitur: ego autem, cujus causa à te nunc tota in doctrinâ constituitur, *palam locutus sum.* Hæresim non docui, sed veritatem: nec enim hæc res in angulis gesta est, nec lucem odit; cur auditores non interrogas? Ad hæc quid me reum interrogas, quem indignum judicas cui credatur; si malum est docuisse, malè agunt omnes legis interpretes: si verò malè docui; hoc oportebat non ex propria suspicione, vel invi-

invidia, nec ex calumniatoribus, sed ex auditoribus discere: & quia non permittitur in legitimo judicio, ut quisquam sibi testis sit, ideò more, & lege judicii ad auditores meos appello. Ex tanta illic adstantium multitudine, nemo unus repertus est, qui ausus fuit hiscere, vel in minimo ejus doctrinam carpere. O sacrosancta doctrina, quæ prodiit ex ore illius, qui ipse *ex ore Altissimi prodivit*! ô dignam excipi omnium auribus, imprimi omnium mentibus, exprimi omnium moribus doctrinam! cujus vel unicum verbum, aut verbi apex unus pluris est, quàm omnium Philosophorum axiomata, Rhetorum declamationes, Mathematicorum demonstrationes, Medicorum aphorismi, Jurisperitorum leges, Sapientum effata, Politicorum placita, Doctorum apophtegmata, Vatum oracula, Poëtarum carmina, quàm omnia omnium profanorum librorum volumina, quæ hactenus fuêre, sunt, vel erunt: & tamen hæc doctrina à paucis quæritur, à multis despicitur, à plurimis ignoratur. In hoc puncto, obsecro quisquis ades, ut maturè consideres, quantum laboris impendatur pro doctrina illa, quæ ad salutem non tantum non est necessaria, sed sæpè noxia: quot in omnibus tot regionum civitatibus sunt librariæ officinæ, quot Bibliothecæ vastissimis librorum tomis instructissimæ: quot excogitata argumenta, contexti syllogismi, propositæ quæstiones, defensæ theses, oppugnatæ positiones, institutæ disputationes; quàm totâ totius mentis contentione in studia incumbendo, fatigarunt ingenia, cogitando exhausérunt vires industriæ, scribendo occuparunt digitos, legendo confecerunt oculos: & hoc ut in Academia gauderent titulo, vel in Philo-

*Eccl. 24. 5*

Doctrina Christi aliarum omniũ princeps.

Philosophicâ doctissimi, vel in medicâ expertissimi, vel in Juridicâ clarissimi, vel Theologicâ disciplinâ eximii Domini. Hęc tanta pro inani scientia nihil pro conscientia; hoc totum pro doctrina mundi, nihil pro doctrina Christi. Nihil pro illa scientia, quę una est omniũ sciẽtiarum princeps, cui comparata omnis scientia, est ignorantia: quæ erat tota, & Philosophia, & Theologia D. Pauli. *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum.* Fortasse dices, non vacare tibi, ut vaces huic scientiæ comparandæ. Hæc ipsa excusatio atrocissimè te accusat. Ita que aures arrige, si contemnas hanc doctrinam Pauli, ad verba D. Paulini: *Omnium Poetarum floribus spiras, omnium oratorum fluminibus exundas. Philosophiæ quoque fontibus, peregrinis etiam litteris dives, Romanum os Atticis favis imples. Quæso te, ubi tunc tributa sunt, cum Tullium, & Demosthenem perlegis, vel jam usitatiorum de saturitate fastidiens lectionum Xenophontẽ, Platonem, Catonem, Verronemq; perlectos revolvis; multosq; præterea, quorum nos fortè nec nomina, tu etiam volumina tenes? ut istis occuperis immunis, & liber; ut Christum, id est, sapientiam Dei discas, tributarius & occupatus es. Vacat tibi ut Philosophus sis, & non vacat tibi ut Christianus sis? Verte potius sententiam: verte facundiã. Nam animi Philosophiam non depones, licet, dum eam fide condias, & religione conserta utare sapientius: ut sis Dei Philosophus, & Dei Vates: non quærendo, sed imitando Deum sapiens, non tam lingua, quàm vita eruditus, tam differas magna quàm facias: esto Peripateticus Deo, Pythagoreus mundo: verè in Christo Sapientiæ prædicator, ac tandem tacitus vanitati perniciosam istam inanium dulcedinem litterarum quasi illos patriæ oblitteratores, de baccarum suavitate lotophagos, & Syrenarum carmina, blandimentorum nocentium cantus evi-*

1. Cor. 2. 2.

Epist. ad Iovium.

ta; *melius est tenere te potius quærentem divina quàm quærere disputantem.* Sic ipse. In schola Aristotelis nil discès nisi verba & voces: de verbo æterno, nullum verbum. In Christi schola, Aristotelis scientia est inscitia, Tullii eloquentia est infantia, Carnis prudentia est stultitia. Sub Christi magisterio, discès contemnere, & contemni; contemni à mundo, & contemnere ea, quæ sunt mundi. Et hæc demum est utilissima lectio, sui ipsius despectio. In illo die novissimo claudentur viris litteratis omnes, ne studeant, Bibliothecæ, & ne legant, libri; *tunc liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur*: tunc non quæretur an bene dixeris, sed an Christianè vixeris: non interrogaberis an sciveris decem Aristotelis prædicamenta, sed an observaveris decem Dei præcepta: nulla tunc erit quæstio de verbis & vocibus, sed de actis & moribus: tunc humilitas, quæ est Christi lectio, omnibus scriptoribus, librisque major, omni calamo, scientiaque altior, omni pagina, membranaque doctior, omni ingenio electior, tanto ibi splendebit glorioſius, quanto hic delituit obscurius.

## §. IV.

### *Christus percutitur alapâ.*

FUimus Christi, dum locutus est, auditores; supereſt ut ejusdem, dum patitur, simus spectatores, ut cujus audivimus verba, aspiciamus & suspiciamus, ut imitemur, acta. Cum Christus visus esset liberius, quàm reum decebat, Pontifici loqui; *Unus assistens ministrorum dedit alapam* JESU, *dicens: Sic respondes Pontifici?* Ioan. 18.

Quanta prius eluxit Christi in loquendo sapientia,

entia, tanta elucet & hic in sufferendo patientia. Responderat mitissimâ voce quærenti de ejus doctrina Pontifici, publicè se, palamq; docuisse, neq; unquam sua dogmata obscuris in angulis aperuisse. Hic emissarius quidam, abjectus terræ filius, Annæ satelles, excussissimâ palmâ os ejus verberat. Quid hic prius mirer? quid posterius? An modestiam Domini percussi, an impudentiam servi percutientis? Modestiam intelliges si locum, personas, modum, & alia quæ hoc facinus exaggerant, expendas. Primò fuit hæc alapa multò maximè crudelis, quia impacta ab irato satellite, à furibundo homine, qui ardebat desiderio vindicandæ injuriæ, ut opinabatur, Domino suo illatæ. Deinde impacta fuit manu ferreâ, chirothecâ armata, ita ut vestigium alapæ in vultu illo speciosо, ac adorando impressum fuerit. Tum tanta vi incussa fuit, ut faciem Christi ad Judicem conversam, in alteram inflexerit partem, & (ut ait *S.* Vincentius) in terram Dominum prostravit. Adhæc, fuit illa percussio supra modum ignominiosa, & oppidò probrosa; utpote in corona nobilissima tot illustrium doctrina, auctoritate, ac munere virorum: fuitq; illata hæc injuria à sordido terræ filio, ab infimo ex fæce plebis satellite, & à mancipio abjectissimo, in personam, terræ, cœli, totiusque universi longè dignissimam, & in partem ejus honorabiliorem, id est in faciem, sive vultum formatum à Spiritu S. Accedit ad injuriæ exaggerationem, servi in loquendo impudentia: *Sic respondes Pontifici?* quasi dicat: *Sic?* tanta fiducia? illâ libertate? tam impudenti arrogantia? *Sic?* nullo habito respectu illius quam alloqueris personæ? *Tu* respondes? *Tu* terræ propudium, hominum ludibrium, abjectum cadaver, humilli-

mum mancipium, putide homuncule, qui ob nefanda crimina captus, vinctus & reus, hic adstas? sic *tu* respondes Pontifici, cujus tu non es dignus, ut solvas corrigiam calceamenti ejus? Pontifici? qui Princeps est *Synagogæ*, caput sacræ curiæ, supremus Mystarum Antistes: digniſſima deniq; totius orbis persona, ac mundi oraculum? *Sic respondes Pontifici?* Fuit denique hæc percussio injustissima, utpotè vindictæ sumendæ gratiâ incussa, & ad calumniosè exprobrandam responsionem prudentissimam, & data à temere judicante. Iniquum profectò est judicium, ubi ante prolatam sententiam quilibet potestatem habet in reum. Iniquissimus est & judex, qui videns reum ante prolatam sententiam affligi, tacet, & non prohibet, vel saltem non carpit, & increpat. In hâc alapâ impletum est vaticinium illud, *Dabit percutienti se maxillam:* est enim alapa percussio in maxillam, sicut colaphus est percussio in collum. Non dubito quin ad solam commemorationem tanti sceleris cohorruerint vobis animi, & tacite ipsi tanti sceleris auctorem non tantum ad mortem, sed ad ferociſſimum, quod excogitari possit, supplicium mortis condemnaveritis. Sunt fortasse qui sentiunt cum Augustino sic loquente: *Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum, qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari: aut alia hujusmodi qualibet pœna vel etiam graviore puniri? Quid autem horum per potentiam jubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos voluisset docere, per quam vincitur mundus?* Juvat hic excitare torpentem, & languentem Justitiam. Hæc spectas ô æqua scelerum vindex Justitia, & inulta spectas? non evibras fulgurantem tuū gladium?

Thren. 3.

*A Ludolpho Saxone.*

dium? non educis è vagina romphæam illam bis acutam; non intendis arcum tuum, & jacularis è flammeo nubium globo sagittas ardentes? ubi fulmina tua & tonitrua, cur jam non pluis super Jerusalem sulphur & ignem, cur non rumpis omnes fontes abyssi magnæ, & cataractas cœli aperis? hic exere tuas vires: habes hic sæviendi & materiam amplissimam, & causam justissimam. Intelligat sacrilegum caput, ex gravitate pœnæ, gravitatem culpæ: descendat vivus ad infernum: pereat homo perditorum perditissimus. Sed dum ego sic provoco ad vindictam DEI Justitiam, videor audire reponentem DEI Misericordiam: *Nescitis cujus spiritus sitis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Perderet animas, si homines perditos semper pro merito plecteret. Dixerat Christus prius: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Quæ illic fuerant verba, hic sunt opera: quod tunc docuit faciendum, nunc facit, verè mitis, & humilis, qui injuriam vindicare cum potuit, & tantum non debuit, noluit: imò inultus sustinuit. Hæc est in cœlesti academia, doctrina Christi: nulli reddere malum pro malo, non vindicare alapam alapâ, non punire injuriam injuriâ, non rependere contumeliam pro contumelia, sed esse mitem ore, humilem corde, æquo animo sustinere quascunque à quocunque illatas injurias. Scio, Mundi Academici explodunt hanc doctrinam, reputant eam esse merissimam insaniam: censent illam tolerantiam, esse imbellis, & effœminati animi pusillanimitatem: ipsorum enim doctrina est dentem pro dente, alapam pro alapa, vulnus pro vulnere, sanguinem pro sanguine. Illorum fortitudo est, injuriam inferre, non perferre. Hinc si quis eorum, non dico percutiatur

*Luc. 9. 55*

*Matt. 11. 29.*

Injuriæ patiēter ferendæ

Vindictam injuriæ requirit mundus

alapâ, sed si intonet in auribus illa vocula, *Mentitùs*, quanta intemperie agitatur? ebullit sanguis, ardet vultus, scintillât oculi, debacchatur lingua, armatur manus, cœlum replet querelis, hostem devovet omnibus diris, coquit animus vindictâ, molitur illi necem; provocat ad singulare certamen, acuit gladium, quo illum trucidet; obsidet armatus vias ut illi accidat infortunium; tunc se judicat cœlum contigisse digito, si possit in ejus sanguine lavare manus: diceres unam illam vocem, esse fulmen. Quid hic dicam nisi illud D. Bernardi? Vel mundus errat, vel Christus; mundus, qui vult incuti alapam pro alapa; Christus, qui vult accipi alapam sine alapa. Nullus dubito, si quæratur hic vestrum judicium, uter hic errat; erit conspirans omnium sententia, errare mundum. Itane verò? tu approbas Christi doctrinam, laudas ejus exemplum, asseris faciendum quod ille fecit; affirmas errare mundum, qui opposita docet? Nunc *ex ore tuo te judico serve nequam*. Dum Christi exemplum approbas & commendas, te ipsum judicas, & condemnas. Tu hic coram Christo credis, & judicas æquo animo, Christi exemplo, sustinendas esse injurias, nec esse vindicandas: ergo necesse est te esse plane improbum, qui quod ab aliis improbas fieri, ipse facis; & quod probas, facere negligis: Scienti, & non facienti peccatum est illi. Scis non debere fieri, & tamen facis: ergo non te excusat ignorantia; ergo accusat te malitia, & condemnat te conscientia. Quid jam gloriaris nomine Christiani, qui tam es alienus à virtutibus Christi? Christus pro te sine vindicta pertulit alapam; & tu non potes pro Christo perferre minimam verbo illatam injuriam? Hoccine est Christum diligere, sic vilipendere exem-

*Serm. 3. de Nativ. Domini.*

*Luc. 19. 22.*

exemplum Christi? O Fili DEI vivi, *splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*, quis in tua Divina facie impressit signum, & figuram tam detestandam? Hæc, hæc fuit manus illa execranda, quam extendit ad vindictam, iracundia; ad impudicitiam, luxuria; ad iniquitatem, injustitia. O Pater æterne! cujus hæc est è tonitruanti cœlo vox illa fulminatrix, *Levabo ad cœlum manum meam, & dicam: Vivo ego in æternum. Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea: reddam retributionem hostibus meis. Manum tuam longe fac à me*, & noli respicere manum percutientem, sed faciem percussam: & propter amorem quo te prosequitur Filius, & quo tu prosequeris Filium, desine me prosequi inimicum, ut aliquando videam illam faciem à me, & pro me percussam, non *per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem.*

Hebr. 11. 13.

Deut. 32. 40.

Iob. 13. 11

1. Cor. 13. 12.

## §. V.

### *Christi ad servum percutientem mitissima verba.*

CHristus jam contra omne jus, & fas percussus, cum videret Pontificem non fungi, uti par erat, suo officio: illius enim erat, illum, qui percusserat, corripere; functus est Christus ejus officio, dum illū admonuit officii: correxit enim servum apertè, & Ponrificem tacitè, in ejus crimen suo silentio consentientem, dicens: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis?* Non dicit si mala, sed malè, id est, malo animo, pravaq; ratione, *testimonium perhibe de malo.* Non enim est vel malitiæ, vel arrogantiæ argumentum, constanter, & liberè loqui pro veritate, & de illa gloriari, illamq; judici objicere ad patrocinium. *Testimonium perhibe de malo.* Tuum non est mox vindicare, ut justitiæ executor,

Ioan. 18.

sed ut testis ostendere me malè locutum. Quanta hæc Christi post tam atrocem injuriam in respondendo modestia, in patiendo tolerantia! Ad ignominiosam illam alapam non turbatur animo, non ardet in iras, non solvit linguam in diras & maledicta, non extendit manum ad vindictam: non imperat cœlo, ut in hominem sacrilegum rubentes jaculetur faces, quod Elias fecit: non feris, ut illum dilanient, quod Elisæus: non terræ, ut dehiscens viventem absorbeat, ut Moyses in Dathan & Abiron. Quid tu simile, non dico post acceptam alapam, sed post auditam contumeliam? Si tibi nimis difficile, & supra humanas vires videatur patienter sustinere alapam; attende, & expende verba D. Chrysologi, exponentis illud Christi monitum; *Si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Hoc putat arduum qui præmia patientiæ quanta sint, nescit. Putasne potest ille vulneribus invenire victoriam, qui nec ictu palmæ acquirere vult coronam? potestne iste morte inquirere gloriam, cui pro honore divino, humana grava videtur injuria?* O utinam quivis illius esset, & audaciæ pro Christo, & amoris in Christum, ut non metueret loqui cum D. Chrysostomo: *Mihi detur injurias sustinere ob Deum, atque contemni ob Deum, potius quàm à cunctis regibus honorari: nihil enim prorsus, nihil potest huic gloriæ comparari.* Non una, nec ab uno, sed plures, & à pluribus Christo infliguntur alapæ, etiam nunc regnanti in cœlis, sedenti in throno; Christo impingis alapam, quoties ulciscéris illatam tibi injuriam; illum cædis, quoties inimico non parcis; quoties hostem percutis. Ita, ut quod olim dixit Saulo Christi discipulos persequenti: *Saule, quid me persequeris?* hoc tibi potest dicere inimicũ cædenti, quod militi: *Quid me cædis?* Hæc interro-

*Chrysol. serm. 38. Matth. 5.*

*In cap. 5. Matth. hom. 18.*

Vindicare injuriam est Christo infligere alapam.

*Act. 9. 4.*

gatio,

gatio,nostra est confusio.O quanti ponderis interrogatio ! constat tantum tribus voculis, sed quantum quævis vocula pondus habet ! *cur me cædis*?Quæritur primò causa, *cur*? redde rei tam indignæ rationem : quæ te ad tantum flagitium causa movet?fare,*cur*?An quia cum non esses, te procreavi?An quia cum jam esses, ne desineres esse,conservavi?An quia,cùm à me conservatus, jam per te perieras,redemi?An quia, postquam redemptus,gratiâ meâ excideras,sexcenties te in gratiam recepi ? An qui tot tibi exhibui amoris argumenta,quot sunt viæ tuæ momenta? *cur me cædis*?An propter charitatem nimiam, qua dilexi te?propter curam, quam de te gessi? propter favorem,quo te semper sum prosecutus? *cur*?quæ causa est tanti sceleris?*cur me cædis*?*Me*,in tui causa advocatum,in periculis protectorem, in necessitate amicum,in solitudine socium, in mœrore consolatorem?*Me*?tibi solicitudine fratrem; amore patrem,fidelitate sponsum,felicitate summum bonum,in omnibus Deum? *cur me cædis* ? Multum esset mihi non placere,grave displicere, gravissimum in minimo offendere,quid cædere? *cur me cædis*? Fateor, reus sum ex omni parte,seu quæratur causa cur feci,seu persona cui feci, seu injuria quam feci : causa nulla est nisi mea nequitia.Facere volui,quod minimè debui: persona, cui feci, tanta est, ut cùm infinita sit ejus Majestas,debeatur ei omnis honor; cum infinita sit ejus Justitia, omnis timor; cùm infinita sit ejus Bonitas,omnis amor. Injuria tanta est, quanta non potest satis totâ æternitate puniri. Habebat iratum sibi Saulem David; tamen cum jam Saul esset in manu Davidis,sic ut ei posset tollere vitã, & simul succedere in regnum , haberetq; qui ad

1.Reg.24. 11. hoc eum stimularent amicos, respondit: *Non extendam manum meam in Dominum meum; quia Christus Domini est.* Et ego tamen extendi manum meam in te Christum Dominum, qui sum *opus manuum tuarum*: Iob.10.3. Psal. 118. 73. *manus* enim *tuæ fecerunt me.* Toties faciem tuam cæcîdi, quoties in peccatum cecidi. quid dicam, quando veniam & apparebo ante faciem tuam? quò ego jam convertam faciem meam? si suspicio, timeo fulgurantem gladium Justitiæ; si despicio, horreo inferorum barathrum; si circumspicio, video hostium minantium in circuitu exercitum. Hæc omnia ut declinem, tibi supplico, ô Pater ut non aspicias indignitatem sceleris mei, sed *respice in faciem Christi tui.*

## CAPUT III.

## Christus in domo Caiphæ.

### §. I.

*Falsa contra Christum testimonia.*

SAcro plenus horrore, & ingenti attonitus stupore, ingredior domum Caiphæ, hoc est seminarium injustitiæ, auditurus ea, ad quæ ambæ aures tinnient; visurus quæ è geminis oculis deducent exitus aquarum, fontes lachrymarum. Tu interim, qui *aures perfeciſti mihi*, dum hæc audio, Ps.39.7. Ps.16. 6. *inclina aurem tuam mihi: sonet vox tua in auribus meis.* Cant.2. 14. Tu, qui diligis me, ut *pupillam oculi tui*, si inveni gratiam in oculis tuis, illumina oculos meos, ut Ps.16.8. videam *visionem hanc magnam*, *quæ est mirabilis in* Ps.12.14. *oculis nostris.* In hac domo proponetur nobis summus Judaicæ Synagogæ Pontifex, & supremus sacri Concilii Judex Caiphas, coram quo magni Exod.3.3. consilii Angelus, primò falsè accusatus, deinde

inique

inique judicatus, tandem sacrilegè fuit condemnatus : quia tria his verbis complexi sunt bini Evangelistæ, Matthæus 26. Marcus 14. *Tunc tenentes JESVM duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum; ubi Scribæ, & Seniores, & Pharisæi convenerant. Principes autem Sacerdotum quærebant falsum testimonium contra JESVM, ut eum morti traderent.*

Annas, incarnatus Satanas, Christum auctorem vitæ, tanquam reum mortis mittit ad Caipham, summum Pontificem, iniquissimum Judicem. Sequere quisquis es viator Christum, qui est via. Aspice lugentem illam pompam, & vide quam inhumaniter, imò immaniter filii diaboli ducant, vel potius trahant Filium DEI. Erant in domo Caiphæ congregati Scribæ, Pharisæi, & Seniores; quot hominum capita, tot viperarum genimina; singuli ardentes irâ, inflati arrogantiâ, inflammati invidiâ in Christum, qui erat illorum salus, vita, & gloria. Erat autem concilium, vel potiùs conciliabulum coactum in nomine Sathanæ ad effundendum sanguinem innocentem. Hos inter medius versabatur spiritus malignus, qui eos ad omne genus malignitatis, & barbaræ crudelitatis instigabat. Considera hic, cùm jam ad illos accederet Christus, quàm conceptim illum exceperint, quàm trucibus oculis, ac minaci vultu, ac elatis superciliis eum ut hominem despectissimum aspexerint: quàm gaudebant superbissima capita, cum viderent tam vilem ac contemptum coram se consistere Dominum gloriæ. Sed quanta tunc fuerit Jerosolymæ perversitas, quàm exaggerata iniquitas, vel ex hoc Concilio pronum fuerit conjicere Nullum erat toto orbe, vel famâ celebrius, vel auctoritate gravius, vel majestate augustius, vel religione sanctius

Con-

Concilium, quàm illud, de quo hic loquimur Judaicæ synagogæ. Hoc Concilium erat totius orbis quasi oraculum: singula hujus Concilii respõsa, erant totidem effata; quot in eo Judices, tot Prudentiæ Antistites, tot Æquitatis Præsides. Ipsa in illo Concilio videbatur sedem fixisse Justitia. Et tamen in hoc Concilio ineunt Sacerdotes consilium, quomodo possint invenire falsum testimonium. Spectate Jurisperiti insignem formam Juris. Judicis est falsos testes plectere, falsa testimonia refellere. Hic falsi testes quæruntur, inventi cum plausu audiuntur: testimonia, licet falsa, omnium calculis approbantur. Studiosissimè ergò quærunt, sagacissimè odorantur, solertissimè investigant falsum testimonium. Contra quem? contra JESUM. Sciebant surdos, qui auditum; mutos, qui sermonem; amentes, qui rationem; cæcos, qui diem; mortuos, qui vitam à JESU receperant, daturos pro JESU testimonium verum. Infiniti hic fuissent testes, qui uno ore clamâssent: *Benè omnia fecit.* Sed quia malevoli isti, malevolebant ei, qui bene omnia fecerat, quærebant falsos testes, & per illos falsa testimonia. Verè dixit Veritas: *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ in viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* In terris ineunt consilium homines, & quærunt falsum testimonium, quo Filium DEI morti tradant. In cœlis ineunt consilium tres divinæ Personæ, & quærunt verum præsidium, ut hominem morti traditum, vitâ donent. Actum erat de homine, reus erat mortis, filius gehennæ: licet omnis mundi potentia, & fortitudo simul collecta fuisset: licet oblatæ omnes bestiæ terræ in holocaustã, & victimas DEO fuissent: licet omnes homines, quidquid habent

Matth. 7. 87.

Isa. 55. 8.

Peccati venialis gravitas

in veni

in venis sanguinis effudissent: licet omnes Angeli incarnati fuissent, & singuli millies mortui pro satisfactione unius, etiam minimi peccati venialis: licet singuli eorum plus & gratiæ, & sanctimoniæ habuissent, quàm omnes Sancti simul, qui fuerunt, sunt, & erunt, non potuissent (sepositis Christi meritis) DEUM nobis offensum propitiare pro unico leviſſimo delicto, nec promereri nobis vel guttulam aquæ, quam à Lazaro flagitabat Epulo. *Sola potens*, & ineffabilis charitas JESU, ob reverentiam, quâ eum divina Justitia prosequebatur, poterat nobis jam lapsis porrigere manum, ut erigeremur, & eripere de profundo lacu, & reddere nobis libertatem, hæreditatem, honorem, gloriam, vitam, bona omnia quæ amiseramus. Ille est qui vincula nostra solvit, & captivos è carcere manumisit. JESUS est qui nos leprosos mundavit, cæcos illuminavit, ægros sanavit, mortuos resuscitavit: & tamen post tot ac tanta amoris veri testimonia, conspirat totus mundus contra JESUM, quærunt omnes falsum testimonium ut eum perdant; ineunt singuli consilium ut obscurent ejus Gloriam, confundant Majestatem, contemnant Justitiam, vilipendant Misericordiam, explodant Sapientiam, condemnent Innocentiam, odio habeant Bonitatem, ut tollant è rerum naturâ auctorem omnis gratiæ & totius naturæ. Horum scelerum ego non tantum complex, sed auctor, cum Judæis conveni, cum illis quæsivi falsum testimonium contra te. Dixi enim *insipiens in corde meo: Non est DEUS.* O verè falsum testimonium! ô immane sacrilegium! summo illi Numini me hostem plus quàm indicto bello constitui. Potentiam, sine qua nihil quisquam potest, contra ipsum invio- *Psal.* 13. 1.

inviolabile Numen, vertere, & suis ipsum viribus, ac quasi armis oppugnare aggressus sum. DEUM denique ipsum rerum omnium principium, & finem ultimum, incommutabilem illam, & independentem, ac necessariam substantiam, omnesque ejus perfectiones destruere, perdere, pessumdare conatus sum. O Judex! hoc contra me est, non falsum, sed verum testimonium: sed illa tua est clementia, ut dum coram te, contra me aliquid dicam, sit pro me; & in favorem causæ, vertitur confessio culpæ. Illa tua est Bonitas, ut me bonum reddas, dum me malum profiteor. Dixerim aliquando insipiens in corde meo: Non est DEUS. Falsum hoc fuit meum testimonium de te. At modò non tantum corde, sed ore dico, hoc verum de te testimonium. Licet hic adstes, quasi malefactor vinctus, quasi nocens judicandus, quasi reus condemnandus, hoc tamen coram cœlo, & terra, Angelis & hominibus dete profero cum Judith testimonium: *Tu es DEVS, & non est alius præter te.*

*Iudith. 9. 19.*

## §. II.

### *IESV coram Caipha, ad falsa testimonia silentium.*

SOlers in suis consiliis nequitia, quæsiverat contra JESUM falsa testimonia; sed quodnam contra falsum testimonium Christus suscepit patrocinium? non aliud quàm silentium.

*Et surgens Princeps Sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? IESVS autem tacebat, & nihil respondit.*

*Matt. 26.*

Rectè tu quidem facis, ô Princeps Sacerdotum, quod surgas: sed rectius faceres, si non solùm è sede surgeres, sed sedem ipsam desereres:

quia

quia illa tua sedes non est tribunal Justitiæ, sed iniquitatis; est ipsa cathedra pestilentiæ, quæ non tam convenit Principi Sacerdotum, quàm præsidi nebulonum. Sed surgente, & ad loquendum urgente Principe Sacerdotum, Sacerdos ille magnus non habens quid in tam bona causa defenderet, quid in tam stolida accusatione refelleret, luculentissimam opponit tot objectis criminibus apologiam, silentium: Jesus *autem tacebat*. O dignum omnium ore deprædicari silentium! nunquam tanto vel sui plausu, vel aliorum fructu Tullius è rostris dixerit, quanto Christus in hoc Concilio, siluit. Hoc Christi silentium in stuporem rapuit totum cæli amphitheatrum. Hic, hic adsit querula maledicentia, hic garrula invidia, hic male facunda jactantia. Discat hic ponere frænum ori suo, quisquis extemporalis est Rhetor, ut se defendat, etiam dum nocens accusatur. Si quis non falsum contra innocentem, sed verum contra nocentem proferat testimonium: quisque hic pro sua causa dicacissimus, quidquid est mordacitatis in Jambicis, quidquid salis in Satyricis, quidquid acrimoniæ in Philippicis, dentatissimâ linguâ in adversarium deblaterat. Sic hoc sæculo, ut Christus in Concilio, omnium linguis vapulat Veritas, omnium sermonibus accusatur Justitia, omnium ore condemnatur Innocentia. Imò non satis est Innocentiam traducere fictis calumniis, impetere amarulentis verbis; verba enim, ut facilè ex ore evolant, ita facilius memoriâ excidunt; sed ne falsa testimonia obliterentur, ut etiam posteritati tradantur, stylo cam pungunt, ne vetustas temporis expungat. Hinc tot probrosi contra Veritatem, & Innocentiam libelli; in quibus nihil est verius, quàm Veritatem mendacii

Christi ad falsa testimonia silentium

mendacii accusari, nihil infamius ipso auctore; qui ut infamiam declinet, vel nomen subticet, vel fictitium supponit. Sed inter omnes calumnias, ac dicteria, quæ illi de trivio dicaculi rabulæ effutiunt, una est summa gloria Innocentiæ, testimonium bonæ conscientiæ. Si illa cum Christo silet, non alio indiges causidico, vel causæ tuæ patrono. Accusent falsi testes, acuant suum stylum, calumniatores ad ravim usque vociferentur; denigrent obtrectatores famam, traducant nomen, exonerent plaustra convitiorum, frendeant præ iracundia; ringãtur præ invidia; sile quisquis es innocens; ne hisce quidem: patienter audi, constanter sustine, & tacito corde tecum Paulinis verbis gloriare: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Nullum potentius contra omnia, & malevolorum odia, & maledicorum convitia patrocinium, quàm linguæ silentium, & conscientiæ testimonium. Hoc est quod ait D. Ambrosius, loquens de Christo non loquente: *Interrogatus tacebat: ostendens non in clamore vocis, nec in forensis assertione patrocinij, sed in conscientiæ integritate esse innocentiæ defensionem.* Ego quidem silentii patrocinio me committerem, si possem, quæ non falsi, sed veri testes, contra me dicunt testimonia, tacendo refellere: sed si accusatus siluero, ipso me silentio condemnabo. *Si* autem loquar, cùm *ex abundantia cordis os loquatur*, & cor meum abundet malitia, quidquid loquar, magis erit ad condemnationem mei, quàm absolutionem. Silebo ego, & tamen filendo etiam sperabo, quia *advocatum* habeo *apud Patrem Iesum Christum*: qui si ego sim orphanus, *orphano* erit ipse *adjutor*: si pauper, ipsi *derelictus est pauper*; si peccator, ipse peccatores recipit. Dicam ergo ego multo-

Bonæ conscientiæ testimonium, certum contra calumnias præsidium.

2. Cor. 1. 12.

Ambr. in Psal. 118. serm. 20.

Matt. 12. 3.

1. Io. 2.

Ps. 10. 14.

torum scelerum reus, cum Propheta: *A, a, a, Domine, puer sum, nescio loqui*; loquere tu Domine pro me coram Patre; es enim verbum Patris, & scio quia pro reverentia tua exaudieris à Patre. Ier. 1. 6.

## §. III.

### *Caiphas adjurat Christum ut se manifestet.*

HActenus Christus fictas contra se calumnias, patienter audiendo, & constanter silendo refutaverat: cùm summus Pontifex impatiens tam pertinacis silentii, voluit ex ipsiusmet verbis scire, essetne Verbum Patris. Quare omissis verborum ambagibus, unica, sed decretoria totius controversiæ interrogatione illum aggreditur, à qua summa rei dependeret, dicens:

*Adjuro te per DEVM vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius DEI benedicti.* Matt. 26. 63.

Maximi momenti, & summi erat ponderis hæc interrogatio, & quidem ab eo proposita, qui erat in Synagoga Mystagogus, à summo Pontifice. Quamobrem ad ejus responsum erant omnes suspensi; in cœlo Pater æternus cum omnibus Angelis: in orco Lucifer cum omnibus dæmonibus: in terra summus Pontifex cum omnibus hominibus. Cum ergò quietum silentium contineret omnia, & in medio Concilii staret *Mediator DEI & hominum*, ipse, non nescius suum silentium fore totius universi exitium, *aperiens os suum*, ut omnibus aperiret veritatem, *eructavit cor* ejus *verbum bonum*, quo propulsaret ab homine omne malum. Nam interrogatus à summo Pontifice, essetne Filius DEI, dicit illi: *Tu dixisti.* Quod perinde est, ac si diceret: Ego sum. Verè Sapiens sapienter: *Tempus tacendi & tempus loquendi.* Paulò ante accessêre falsi testes, calumniabantur illi, cri- 1. Tim. 2. 5. Matt. 5. 1 Ps. 44. 2. Eccl. 3. 7.

minabantur, falsè accusabant: erat *tempus tacendi*;
Psal. 37. 14. agebatur de propria causa, ideò JESUS *tacebat & nihil respondit: sicut mutus non aperiens os suum.* Interrogatur, sitne Filius DEI, adjuratur ut respondeat: erat *Tempus loquendi*: quia hic agebatur causa Patris, & hominis. Confessus est, & non negavit: confessus est, se esse Filium DEI, & sic confessus est, ut binis voculis totum exhilararet cœlum, terreret orcum, animaret mundum. Confessus est, & sic confessus est ut homo, qui per peccatum perdiderat vitam, incurrerat mortem, jam posset
Psal. 117. 17. dicere: *Non moriar, sed vivam.* Jam omnis animo proscribatur timor, nullus sit in orbe locus desperationi: accede Spes, erige te, quæ hactenus jacuisti. Hucusq; jacens in piscina, ut infirmus
Ioan. 5. ille Evangelicus, clamabam: *Hominem non habeo*: jam inveni qui salvare & vult, quia homo; & potest, quia DEUS. Quid adhuc dubitem, ubi salvandi me & adest voluntas, & non deest potestas?
Spes nostra tota est Christus. Hic ergo iam exeram omnes vires spei. In solo Christo JESU Filio DEI benedicti, in eius immensis meritis, in eius sacrosancta morte colloco omnem meam fiduciam: ibi fixæ sunt omnes spes meæ: inde animos sumo, & erigor: hic derideo omnes hostes meos, & illos ultrò lacessens, ma-
Ps. 28. 3. Ephes. 1. 17. scula voce dico: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Quia inde sumo *scutum Fidei, galeam Iustitiæ, gladium Verbi DEI*: omnia arma
Psal. 17. 38. lucis, quibus debellem Principes tenebrarum, & miniter eis *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes*
Matt. 18. 24. *meos.* Fateor, debeo divinæ Justitiæ plus quàm *decem millia talenta*: non ideo tamen despero, qui ex Christi meritis sumo pretium, unde solvam

debi-

debitum. Non diffiteor, æger sum, & tam æger, ut *à planta pedis usque ad verticem capitis non* sit in me *sanitas*: sed tamen sanabor, quia spero in Jesu, de quo *virtus exibat, & sanabat omnes.* Scio, peccator sum, & in peccatis natus sum totus: nec tamen ideò timeo, quia spero in JESU; ipse *peccatores recipit.* O quantam irrogat Christo iniuriam, qui desperat eius gratiam. Dignus est omni miseria, qui de JESU diffidit Misericordia. Quomodo qui sic amat, quos amat, deseret? quomodo, quos tanti æstimat, perdet? unica ergo spes Christiani, sit passio Domini nostri JESU Christi. Quidni in te sperem, qui fuisti *spes mea ab uberibus matris meæ.* Ideò in te spero, quia tu es Filius Dei benedicti: & ideò credo te esse Filium Dei, quia tu dixisti. Da, ut qui te credo talem esse, qualem ipse dixisti, nimirum Filium Dei benedicti, sim ex iis, qui aliquando ex te audient: *Venite benedicti.*

Isa. 1. 6.

Luc. 6. 19.

Luc. 15. 2

Ps. 21. 10

## §. IV.

### *Caiphas scindit vestimenta sua, & Christum arguit blasphemiæ.*

VIx æterna veritas ex ipso veritatis suggestu protulerat verissimum oraculum, se nimirum esse Filium Dei, cum ecce *Princeps Sacerdotum*, hoc est Alpha nebulonum, perstrictus quasi maiestate illius effati, *scidit vestimenta sua,* (scriptum est, ô Caipha: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*) *dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?* Quid ais Caipha: Blasphemavit? Imò nemo unquam ab orbe condito atrocius blasphemavit, quam tu Caipha, tua illa tam execranda lingua, qua Filium Dei insimulas blasphemiæ in Deum. Quantum sit malum excæcatio mentis, & indura-

Matt. 26. 63.

Joel. 2. 13.

tio cordis, patet ex hisce quæ audistis Caiphæ verbis. *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: blasphemavit.* Ponderate illam summi ponderis voculam, *Tunc.* Quando? *Tunc*, cùm dixisset Christus se esse Filium DEI, *Tunc*, cùm debuissent, quotquot erant in Concilio præsentes, procidentes adorare eum maximo cultu latriæ, tanquam verum Filium DEI: cum debuissent prosterni supplices ante ejus pedes, delicti veniam petere, excutere statim de manibus ejus vincula, & funes, quanta possent maxima afficere reverentia, cultu, honore; inflammari instar Seraphinorum ejus amore. *Tunc*, cùm debuisset Princeps Sacerdotum mittere per totam Judæam præconem, qui omnibus annuntiaret, venisse tandem illum tam diu expectatum Messiam, illum à suis præfiguratum Patriarchis, prænuntiatum Prophetis, expetitum per tot sæcula, à toto mundo: Redemptorem mundi jam esse in mundo, in Judæa, in Jerusalem, in ipso Concilio adstare præsentem; *Tunc*, quando tota Judæa excita sedibus suis debuisset ad eum accurrere. Hæc omnia cùm Judæos facere oportuisset, quid fecerunt? Qui inter illos erat primus, Caiphas, *scidit vestimenta sua*: indignum nimirum se probans vestibus illis, quas lacerat. Diloricatus detegit carioſæ conscientiæ cicatrices: instare sacerdotio suo finem prophetavit, ante, cùm nesciret, quid faceret: apertius nunc, cum nec sciret, quid diceret, dicens: *Blasphemavit.* Et adhuc aliqui magni faciat censuram hominum, quorum judicio, ne rectè quidem locutus est DEUS? vix ullum censetur enormius inter homines flagitium, quam blasphemia in DEUM. Audi D. Chrysostomum contra hoc viti-

blasphemia enorme crimen.

um,

um, quotquot habet reconditos aculeos exerentem. *Vnam vos omnes petere volo retributionem pro concione hac: ut in civitate blasphemantes castigetis: & si quempiam in foro blasphemantem audieris, accede, increpa: & si verbera infligere oporteat, ne recuses: ipsius faciem alapa percute, contere os ipsius: percussione manum tuam sanctifica: & si ulli accusaverint, & si in carcerem traxerint, sequere: & si judex pœnas pro tribunali repoposcerit, dic cum libertate, quod Angelorum Regem blasphemavit. Si enim Reges terræ blasphemantes puniri oportet, multo magis, illum contumelia afficientes.* Ecce quanti æstimet Chrysostomus crimen blasphemiæ, & illius tamen accusatur Rex gloriæ. Fateor Christe, dum dixisti te esse Filium DEI benedicti, bene dixisti, & licet de te ipso testimonium dedisti, scio, quia verum est testimonium tuum; hinc omne meum gaudium. Non tantum maxima, sed unica causa omnis meæ lætitiæ, & gaudii hæc est; quia tu JESU es DEUS, & quia es DEUS meus, & quia solus es DEUS, & quia fuisti semper DEUS, & quia semper eris DEUS, & quia non potes non esse DEUS. DEUS totus benignus, totus bonus, totus misericors, vel potius tota benignitas, tota bonitas, tota misericordia, totus Amor, amor mei amoris, vita vitæ meæ, omne bonum boni mei. Quid ergo superest, ut evadam omne malum, & consequar omne bonum, nisi ut offeram tibi summo Bono, omnia mea bona, & consecrem uni tibi quidquid habeo, quidquid scio, quidquid sum, quidquid possum?

Chrysostom. 1. Hom. ad popul.

## §. V.

### *Declaratur à Concilio reus mortis.*

CHristum de immani accusaverat scelere, videlicet de blasphemia, scelerum omnium architectus Caiphas, cum ecce quasi jam fuisset reus criminis, quærit, qua pœna dignum censeant, dicens: *Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis.*

Nunquam æquiorem sententiam in reum protulit è suo tribunali ullus Judex, quam Caiphas hic in Christum; tametsi veritatis ignoraret sacramentum. quid, inquies: hæccine est æqua sententia, Filius Dei reus est mortis? Si dubitatis, audite parabolam. Erat homo quidam, reus læsæ Maiestatis, & ideo conjectus in vincula: lata est in eum à Rege mortis sententia; & jam ad feralem mortis theatrum reus trahebatur à lictoribus trucidandus. Intellexit hoc filius Regis, & misericordia motus, accurrit ad patrem, deprecatus est mortem rei: exauditus est à Patre propter reverentiam; sed hac conditione, ut si reum solvat, & morte absolvat, ipse mortem subeat. Placuit filio patris conditio; quia placuerat reus in oculis eius: solvit vinctum catenis, dimisit è carcere captivum, reum mortis donavit vitâ. Jam primum vos interrogo, qui sedetis pro tribunali Judices, æquitatis arbitri, Jurisperiti: Audistis historiam de homine isto; quid vobis videtur? Reus est mortis. *Sed quia omnis homo est mendax, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum*: accedamus ad illos, qui proximi sunt *Spiritui* Veritatis, qui docet *omnem veritatem*, ad Angelos. Quid vobis videtur? Reus est mortis. *Sed* ut certius constet de æquitate hujus sententiæ, adeamus thro-

Christ' omniũ sententia reus est mortis.

Ps. 11. 2.

Ioan. 16. 13.

thronum illius Judicis, à quo non datur appellatio ad alium: illius, de quo scriptum est: *Principium verborum tuorum, Veritas.* O Pater æterne, *sermo tuus veritas est*: dic nobis, quid tibi videtur de homine isto? Reus est mortis. *Obsecro, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel*: & interrogem filium tuum, ut proferat & ipse iudicium. *Magister, scimus, quia verax es, & viam DEI in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, nec respicis personam hominum. Dic ergo nobis*, de viro isto, *quid tibi videtur? Vivit Dominus*, Pater meus, *quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Rectè judicasti: de ore tuo te judico.* Tu es vir iste. Ah Fili DEI, filius mortis es tu! Dixerat Pater tuus, & te consentiente: *De ligno scientiæ boni & mali, ne comedas; in quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris. Vidi quod bonum esset lignum ad vescendum, & tuli de fructu illius, & comedi*, & ecce morior. Jam morte turpissima condemnatus, vinctus eram, & solvisti: in carcere, & liberasti: reus, & absolvisti. Quare, tu nunc reus es mortis. Clamant hoc homines, iudicant Angeli, asserit Pater tuus, tu ipse confessus es, & non negasti; reus es mortis. Vade vita mea, morere, quia *expedit* nobis *ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Sic Filius DEI reus est mortis, quia voluit esse instaurator vitæ; fecit illum reum non crimen, sed amor. Nemo hominum fuit, est, vel erit, in quem non *inspiravit spiraculum vitæ*; & ille reus est mortis; O peccator! vir mortis es tu, quia tu DEUM fecisti reum mortis. Omnia membra, & ossa corporis tui, si possent humana voce resonare, non aliud quàm quod Judæi illi clamarent: *Reus est mortis.* Imo verò, sol ipse qui te illuminat, terra quæ sustinet, ignis qui calefacit, aqua quæ te abluit, aër qui te refrigerat, ele-

*Psal.* 118 160. *Ioan.* 17. 17. *Gen.* 18. 32. *Matt.* 22. 16. 2. *Reg.* 12. 5. *Luc.* 7. 44. *Luc.* 19. 22. *Gen.* 2. 16. *Gen.* 3. *Ioan.* 11. 50. *Gen.* 2, 7.

Creata omnia clamant peccatorem reum mortis.

menta singula, condita omnia, si loqui possent, clamarent pariter: *Reus est mortis.* Omnia enim à DEO creata, tibi fuerunt peccanti instrumenta. Erit aliquando tempus, quo quilibet nostrum stabit coram Christo, non ut modò in Concilio Judæorum iudicando, sed iudicaturo. Tunc, si discussis totius vitæ anteactæ operibus, invenias in Divinæ Justitiæ trutina minus habens, si convincaris reus, dæmones omnes, & Angeli, & beati in immenso illo theatro, coram omnibus clamabunt: *Reus est mortis.* Hic ipse locus, in quo hæc audis, hoc ipsum tempus, quo audis, te accusabunt, quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Christi vincula, flagella, columnæ, spinæ, crux Christi, sudor, lachrymæ, sanguis clamabunt una voce: *Reus est mortis.* Quid superest, quàm tot te accusantibus, tot te condemnantibus, ut subscribat Judex tuus, & ex ore tot testium te condemnans, dicat & ipse sententia irrevocabili: *Reus est mortis.* O quàm acriter hic Eusebius Emissenus: *Quo animo stabis desertor ante ducem tuum? perditus ante pretium? qua fronte misericordiam petes, primum de misericordiæ contemptu judicandus?* Hom. de Symb.

Antequam ergo reus iudiceris è tribunali Justitiæ, accede ad thronum Misericordiæ, ad sedem Sacerdotis, qui potestate à Christo accepta toties reum absolvit, quoties qui se reum accusat. Illic geme, suspira, percute pectus, effunde lachrymas, deplora tuam nequitiam, implora DEI clementiam. Hic te reum absolvet vel una lachryma quod postea non poterit vel pœnarum æternitas. Hinc bene de lachryma pœnitentis D. Laurentius Justinianus: *O lachryma humilis! tua potentia, tuum est regnum. Tribunal Iudicis non vereris: non est qui te ad DEVM accedere vetet: si sola in-* Cap. 9. de lign. vit.

tres,

*tres, vacua non redibis. Vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Filium Virginis, cœlum aperis, fugas diabolum.* Fateor, sum reus mortis, quia sum peccator: tu reus es mortis, quia peccatorum es Salvator. Ergo morieris tu Domine cœli, ut vivam ego vermiculus terræ? sed antequam pro me justè reo, tu innocenter reus, mortem oppetas, ego innumerabilium criminum reus, vinctis manibus & pedibus, perfusus lachrymis, confusus pudore, contrito corde, pœnitenti animo, coram te, qui pro me in Concilio iniquitatis pronuntiatus es reus, supplex accedo, & mœstâ voce hoc mœstum carmen occino, cum *Sponsa tua, Matre mea Ecclesia: Ingemisco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus, supplicanti parce DEVS.*

## §. VI.

### *Injuriæ Christo illatæ in domo Caiphæ.*

SI unquam mirum fuit, non fuisse turbata elementa omnia, terrarum fabricam, cœlorum machinam, totamque rerum universitatis molem, in antiquum devoluta non fuisse chaos, tunc fuit: cum illud spectaculum in domo Caiphæ exhibebatur, ad quod ipsa expallescebat Audacia, metuebat Timor, trepidabat Impudentia, horrebat Crudelitas. Quidquid potes fandi, vel nefandi ad ignominiam, & opprobrium, & ludibrium non tantum animo concipere: sed fingere, audacter cogita; minus erit, quam hic fuerit perpessus Christus. Unde audet D. Chrysostomus dicere, nocte illa patefacta fuisse Inferorum claustra, ipsumque Luciferum cum omnibus omnino ad unum usque dæmonibus,

fractis vinculis, ac repagulis Jerosolymam convolasse, ac Judæos omnes, & Romanos invasisse, ac illorum corpora obsedisse, ut ita per illos, omne suum diu concluſum odium, invidiam, rabiem, iracundiam, furorem in unum Christum effunderent. Erat itaque tunc domus Caiphæ, facies quædam gehennæ: singuli Judæi, diaboli erant ministri: quot carnifices, tot in humana figura dæmones. In medio illorum monstrorum sedet is, qui medius est inter Patrem & Spiritum sanctum. Illa ipsa nocte, & tempore jacebat oscitans & stertens inter cygneas plumas arrogans Rex Herodes; altè dormiebat impius idololatra Pilatus; quiescebat in molli throno profanus Sacerdos Annas, & sacrilegus Pontifex Caiphas: denique tot putida scorta, adulteri, ebriosi, impii, barbari, DEI hostes, indulgebant sopori, & quieti: solus DEI Filius, toto quiescente mundo, vigilat, vexatur, cæditur, vellicatur, conspuitur, conspurcatur. Ille jacet in fœdissimo specu, quasi esset teterrima totius orbis sentina, ad quam omnes sordes, & fæces affluere deberent. Sed quid de hisce scribant Evangelistæ, audiamus. Sic paucis D. Marcus:

Mar. 14. 65. *Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem ejus.* Plura D. Matthæus: Matt. 26. 67. *Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt; alij autem palmas in faciem ejus dederunt dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis te percussit?*

Vix iniqui Judices pronuntiaverant ex solio Iniquitatis, Auctorem vitæ, reum esse mortis, cum eum barbari satellites ex concilio abduxerunt in angulum abjectissimum, in tenebricosum & subterraneum antrum, quo totius domus

sordes

sordes congerebantur. Convocarunt itaque selectissimos quosque ex tota Judæorum fæce, scurras, & impudentissimos nebulones, omnes insigni odio Christi inflammatos. Ponitur hic Dominus gloriæ, velut scopus ignominiæ, in quem ex imis visceribus, flava, & atra phlegmata; ex manibus verbera, & colaphos; ex linguis contumelias, & blasphemias; ex corde odii & furoris spicula diaboli satellites ejaculentur. Sed quia lux mundi lucens adhuc omnibus qui in domo erant, perstringebat illos filios tenebrarum fulgore suæ majestatis, quæ in vultu emicabat, ponunt eam sub modio, dum linteo sordido, & camini fuligine obsito velant faciem ejus. O peccator! jam licet impunè peccare, jam tutò dixeris cum Susannæis senibus: *Ecce ostia pomarij clausa sunt, nemo nos videt.* Ecce oculi Domini clausi sunt: ecce facies Christi velata est, *nemo nos videt.* Eja Juvenis esto jam gnaviter impudens, curre per circum licentiæ, laxa fræna impudentiæ, comede, bibe, epulare: invita tuos asseclas, & dic modò cum illis cosmophilis: *Venite: fruamur bonis quæ sunt, nemo nos videt.*

Deum non videre peccata stulte sibi persuadent peccatores. *Daniel* 13. 20. *Sap.* 2. 6.

Quid metuitis causidici? farcite crumenas, emungite pecunias, affligite viduas, opprimite pupillos, & orphanos; per fas, & nefas quascunque defendite causas iniquas: dic, quid times? *Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nemo nos videt.* Agite Judices, admittite munera, corrumpite judicia, evertite leges, pervertite legum statuta: dicite impavidè: *Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendicula contra insontem frustra nemo vos videt.* Erras peccator, Christus, dum velata est ei facies, est quidem Deus absconditus, sed *qui videt in abscondito*: imò qui & *novit abscon-*

*Ibid.* 10. *Prov.* 1. 11. *Isa.* 45. 14.

Matt. 6. *abscondita cordis.* Vox illa detestanda Politicorum
6. est: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa*
Ps. 43. *cardines cœli perambulat.* Doctrina illa est Machia-
22. velli: *Quid enim novit Dominus, & quasi per caliginem*
Iob 24. *judicat?* Hoc sentire, est velare faciem Christi. Do-
14. ctrina Christianorum est: *Oculi Domini contemplan-*
Ibid. *tur bonos, & malos:* ut malis inferat supplicia, bonis
Prov. 15. conferat præmia. Sed velatâ jam Christi facie,
5. quasi nullus esset, quibus videret, nihil non co-
perunt in eum audere. Itaque illi impudorati
sycophantæ, jam ebrii, & tumulenti ex imis vis-
ceribus, toto conatu educta crassa, & purulenta
sputa, & fœculenta phlegmata conjiciunt nunc
in frontem, nunc in genas, nunc (horresco refe-
rens) in os illud sacrosanctum: illic admotis
spurcissimis labris gravem spiritum exhalant, &
crapulam eructant. Alii vellicant aures, illi per-
cutiunt genas, isti cædunt frontem, quidam evel-
lunt capillos, hi trudunt pedibus: quasi ideò Fi-
lius DEI venisset in mundum, ut esset ludibrium,
& odium totius mundi. O Pater, cur modo non
Gen. 6. 7. audimus illa verba, *Pœnitet me fecisse hominem;* cur
non modò, si unquam, *tactus dolore cordis intrinse-*
*cus,* minaris: *Delebo omnem hominem, quem creavi, à*
*facie terræ?* Sed unus, qui patiebatur, pro omnibus
loquebatur, Christus: & cum alii in eum eructan-
do conjicerent fœda sputa, cor Christi eructa-
bat verba bona, dicens clamoso corde Patri vo-
lenti delere omnem substantiam: Pater, sine
modò, sic decet nos implere omnem justitiam,
Ps. 32. 5. ut impleantur scripturæ: *Quia misericordia Domini*
*plena est terra.* Ita plus flectebat Patris Justitiam
ad parcendum Christi unius patientia, quam ir-
Christi ritabat ad puniendum hominum omnium ma-
facies litia. Sed ut rei hujus indignitatem rectè expen-

datis,

datis, ite & interrogate invictos illos Christi pugiles, qui cruces, rotas, sartagines, vincula, catastas, flagella, scorpiones, & tormenta prope infinita, pertulere? quærite à Virginibus, quæ DEO tantâ contra concupiscentias luctâ illibatam pudicitiam consecrârunt: sciscitamini à viris religiosis, qui reliquerunt domum, & patrem & matrem, & bona omnia fortunæ; hos omnes inquam interrogate, quid sibi jam postulent in mercedem? petite & à novem Angelorum choris, à beatis mentibus, quid sibi optent ad fœlicitatem; petite quin etiam à dæmonibus, quid si illis fas esset devovere, quid sibi vellent ad salutem, omnes & in cœlo Angeli, & in terra homines, & sub terra dæmones, hoc unum peterent à Christo, ut summum suum bonum, quod petebat David: *Ostende faciem tuam.* Quid tum erit? *& salvi erimus.* Satis est ad nostram salutem, videre Christi faciem. Facies illa est centrum Amoris, est simulacrum omnis pulchritudinis, est theatrum, in quo quicquid est optabile, & bonum, apparet, Reliqua omnia absconde; satis est si ostendas faciem tuam. Una est vox, quam extorquet timor: *Ne avertas faciem tuam à me.* Una est vox, quam elicit Amor: *Ostende faciem tuam.* Tunc dicam, quod Philippus, cum diceret: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*: ita *ostende faciem tuam* & sufficit mihi: quia ultra, quod velim, & optem, supereſt nihil: cum in uno habeam omnia ad salutem, & felicitatem: poteroque visâ tuâ facie meritò pronuntiare verba illa: *Vidi DEVM facie ad faciem, & salva facta est anima mea.*

clare visa, felicitatis est vertex.

*Ps.* 79. 4.

*Ps.* 26. 9.

*Ioan.* 14.

*Gen.* 32. 20.

§. VII.

## §. VII.

### *Petrus Christum à longe sequitur.*

EXpositurus luctuosissimũ,& nullius,ne quidem ipsius Petri lachrymis satis deplorandũ, dum Christum negavit,casum;præmitto illud S. Ambrosii prœ præludio,oraculum: *Petri titubatio nostra est firmitudo.* Nimirum, discemus stare firmiter instar petræ,cadente Petro: & simul intelligemus,leviſſimo etiam flatu, firmiſſimas, ac solidiſſimas petras , non tantum ut moveantur concuti,sed ut labantur prosterni.

*In c. 21. Luc.*

Fugerant à suo Magistro discipuli,à duce milites,à Patre filii:unus cæteris omnibus , seu pro Christo audacior,seu cum Christo præfidentior, Petrus,aliis è conspectu Christi fugâ subductis, insistit trepidis plantis,Christi vestigiis,eumque, quem amore prosequebatur,pedibus insequitur: piaculum ratus,ab eo fugere, qui est omnium refugium.*Sed* quomodo eum sequebatur? Respondet Matthæus: *Petrus autem sequebatur eum à longe.*

Rapiebat mentem ejus alterno æstu , nunc amor, nunc timor. Quantum ut iret, incitabat Amor, tantum ne iret,retardabat timor. Unde hoc luctante,illo reluctante,cœpit, quiante exultabat ut gigas ad currendam cum Christo viam claudicare:hinc secutus est Christum à longè. Hoc est quod prædixisti per Prophetam : *Longe feciſti notos meos à me.* O quoties Petrus in via , cum ad illum tenderet,qui est via,seq; ab eo longè videret,repetebat illa verba:*Vt quid Domine receſsisti longe?* Imò ut quid tu Petre recessisti longe? cujus solebas esse stipator lateris,jam nec spectator es corporis:cujus solebas audire vocem, jam nec intueris faciem. O Petre!time:longe enim es à salu-

*Psal.87. 9.*

*Psl. 10. 1.*

à salute dum longè es à Salvatore. Jam exitio es proximus, dum vel adjactum lapidis ab illo es avulsus. Scio invictum illum in fimeto Athletam Jobum, ausum quemcunque ad pugnam lacessere hostem; sed juxta DEUM, non longè à DEO! Audi loquentem: *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Juxta Christum nullius, licet fortissimi, timenda est manus; longè à Christo cujusvis, licet infirmissimi, timenda est vel lingua. Juxta Christum stabis, licet in te impressionem faciat armata militum caterva; longè à Christo cades, si tecum congrediatur vel inermis ancilla. Juxta Christum nulla te prosternet, quantumvis valida machina; longè à Christo prosternet te vel unius raucæ mulierculæ vocula. In horto, quia eras iuxta Christum, quidlibet audebas; minacem militum globum adeò non fugiebas, ut penè machærâ tuâ fugares. Fulmineum ensem vibrabas in densos armatorum cuneos, promptus vel ob Christum capi, vel pro Christo mori. At longè à Christo, quomodo torpes, ut palles, ut tremis, ut sanguis tibi prope congelatur? ut sollicitus undique pavidos oculos circumfers; Tanti refert, esse vel iuxta Christum, vel longè à Christo. Quid enim acerbius, quàm longè esse ab eo, qui non longè est ab unoquoque nostrum? in quo movemur, vivimus, & sumus? Si in te, & ex te, & per te sumus, quid supereſt quam ut nihil sumus, dum à te longè absumus; Confugiebat ergo Petrus ad suam petram: *petra autem erat Christus*, ut in ea firmiter staret, qui ab ea remotus cœperat nutare. Sed Petre, nonne vides te, dum curris ad domum Caiphæ, incurrere periculum perfidiæ? non times has tenebras, tam densas? non vereris noctem adeò cæcam; de qua tibi prædixit

A Christo esse remotum, est exitio esse propinquum. *Iob.17.3.*

1.Cor.10.4.

prædixit Magister: *In hac nocte ter me negabis?* hac nocte; jam nox in suo cursu medium habet iter, instat ergo cadendi periculum. Sed perinde est, satius est Magistrum sequendo negare, quàm fugiendo confiteri. Assentior tibi Petre: si enim lubet cadere, nusquam felicius caditur, quam coram illo *qui erigit omnes elisos*, quia qui coram Jesu ceciderit, *non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Quare qui stat, non tam caveat ne cadat, quàm videat ubi cadat. Si longè à Christo solus ceciderit, tunc *væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Sed coram Christo cadere, penè est stare. Petrus ergo plus confidens Christi pietati, qua sperabat se post casum erigendum, quàm diffitens suæ infirmitati, qua timebat Christum à se negandum, carpit iter versus domum Caiphæ, multa secum animo volvens. Sic enim ipse secum: Ah quid egimus? quod egisse me pudet, & pœnitet. Fugimus, prô dedecus? & fugimus tunc, cùm adesse illi maximè oportuit? prô scelus! poteritne Petrus esse sine Jesu, esto, Jesus possit esse sine Petro? vah pudor! ausus fuerit Christum prodere Judas, nec ausus fuerit Christum defendere Petrus? nescio cujus majus est scelus: Judas Christum prodiit; Petrus deseruit. Quo nunc ibo remotus ab illo, qui est via? Undique circumfero oculos, & oculis nusquam occurrit Jesus. Clamo, & nusquam Jesus auditur. Eo, redeo, circumeo, & nusquam Jesus. Unum est mihi in hac solitudine, & mœrore perfugium, ille à quo fugi, Christus. Ibo ergo, certus vel pro Christo mori, vel cum Christo vivere. Properat Petrus gradum urgente amore, ingreditur atrium Pontificis, tanquam arenam

Ps. 144. 14.
Psal. 36. 24.
Eccl. 4. 10.
Petri dolor ob suam à Christo fugam.

nam sui certaminis. In quo turpissimè cecidit, dū Christum tertiò se nosse impudenter negavit: quo uti Joab, tribus lanceis cor Absalonis, ita ipse cor Redemptoris transfodit: triumphantibus de tam probroso casu trinis ejus hostibus, Carne, Mundo, Dæmone, quorum alter ad negandum, alter ad jurandum, postremus ad pejerandum timidè magis, quàm perfidè, compulerunt. O quantum, uti Petro, sic cuilibet homini nocet, longè esse à Christo! Quis non est miser longè à misericordia? quis non est frigidus, longè ab igne? quis non est infirmus longè à medico? Quisquis hic ades in templo, nullus dubito, Christum diligis, quia es coram dilecto, & inter diligentes Christum: sed si modo esses longè à Christo, & Christi amantibus: si hâc inquam horâ fores cum epulonibus, esses lurco: si cum ebriosis, esses helluo: si cum spurcis, esses leno: si cum impudicis, esses ganeo, si cum dicaculis, esses blatero. Tanti refert adesse, vel abesse à Christo amante, vel Christi amantibus, ut Christum neges, vel ames.

## §. VIII.

### *Petrus Christum negat.*

SEquitur jam turpissimus Petri casus, qui fuit magnus pro Christo luctus, maximus pro dæmonibus plausus. Petrum, timorem inter & amorem fluctuantem, & secum pugnantem muliercula compellat, urgent satellites, invitant milites; ita enim Evangelistæ: *Petrus verò sedebat foris in atrio deorsum: & accessit ad illum una ancilla ostiaria summi sacerdotis, & cum vidisset Petrum sedentem ad lumen & calefacientem se, dixit: Et hic cum illo erat; & aspiciens illum ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras. Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? At ille negavit* Matt. 26. 69. Mar. 14. 66. Luc. 22. 56.

*coram omnibus dicens: Non sum; mulier non novi illum, neque scio, neque novi quid dicas.*

Obstupescite cœli super hoc: jacet ecce prostratus cœli ostiarius, ab ancilla ostiaria. Quis crederet potuisse fieri, nisi fides assereret esse factũ? & tanti dux fœmina facti. Jam non miror in domo Caiphæ tot scelera sceleribus accumulari, omnia permisceri, jura humana ac divina confundi, sacra profanari, Christum à discipulo negari, à ministro Pontificis cædi, à militibus sputis conspurcari: non miror hic vitam ad mortem condemnari, Sapientiam irrideri, Justitiam accusari, Innocentiam castigari: quid mirum tot crimina committi in illa domo? Præerat illi ancilla ostiaria. Sis licet multorum dominus, cave ab ancilla. Ad pauca verba ancillæ concussa tremuit solidissima petra, quomodo tu stabis fœnum, & stipula? Unius mulierculæ raucâ voculâ prostrata jacet cedrus Libani, quomodo tu perstabis arundo, ludibrium venti? ut stantes paveant omnes, satis est cecidisse unum: manet enim causa timendi, posse cadere. quid, ubi tot, & tales & toties ceciderunt? Malè Adamum induxit Eva, male Petrum introduxit ancilla. Illa, persuasione suâ virum decepit; hæc, Apostolum interrogatione suâ circumscripsit. Illa ad prævaricandum Adam impulit; hæc Petrum compulit ad negandum. Ubicunq; ostiaria est ancilla, aut excludit à vita, aut includit à mortem. *Ejice ergo ancillam.* Ancillam dominari, dominam ancillari, magna est abusio. Si præsit foribus sensuum tuorum, ancilla concupiscentia cave ne fiat domina animæ, ancilla januæ. HOC docebit casus luctuosissimus Petri. Non fuit Petrus ab armato militum globo ductus ad concilium Judæorum; non ad tribunal Pilati, non ad a-

fœmina civis periculosa.

*Ad Gal. 4. 30.*

la

lam Herodis. Nemo illi mortem intentabat: non fuit in equuleo interrogatus: non fuerant ei proposita vincula, rotæ, cataſtæ, ſcorpiones. Sed ancilla una, an Chriſtum noſſet, Petrum rogat. Petrus negat. Plus ſtupeo proſtratum Principem Apoſtolorum Petrum ab hac ancilla, quam mactatum Principem Aſſyriorum Holofernem à Juditha: illa proſtravit dormientem, & ebrium; hæc vigilantem & ſobrium: illa, toties lacertis ictum vibravit in cervicem; hæc pauca verba emiſit in aures: illa facinus illud confecit machærâ; hæc verò duntaxat linguâ. Quidni igitur majori cum ſtupore exclamem quam Vagao, qui cum videret Holofernem in ſanguine ſuo volutatum, *exiliit foras, & dixit: Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor: Ecce enim Holofernes jacet in terra, & caput non eſt in illo.* Appoſitè magis idipſum dixero de Petro: Una mulier Hebræa, una ancilla oſtiaria, confuſionem fecit in domo Chriſti: Ecce enim Petrus jacet in terra, & caput non eſt in illo. Rectè, quia teſte Paulo, *omnis viri caput, Chriſtus eſt.* Si Chriſtus caput eſt Petri, jam Petrus Chriſtum negavit: ergo caput ejus non eſt in illo. O mulier! tu quidem, teſte Scripturâ, *factâ es viro in adjutorium*; ſed ut video, facta es Petro in exitium. Quid juvenis gloriaris inſolenter tuis viribus, robore, nervis, lacertis? cave, ut ſternaris in ſolum, ut è manu tibi extorqueatur, ſis licet Hercules, cave, ut exuaris armis, ut cervici tuæ imponatur jugum, ut tanquam vinctus ſummo cum dedecore ducaris in triumphum; non opus eſt prætoria cohorte, equitumq; turma, non cataphracto milite, non invicto bellatore, non lacertoſo athleta: ſatis eſt una mulier: exemplo eſt fortiſſimus Samſon.

*Iud.* 14. 15. & 16.

*I. Cor.* 11. 3.

*Gen.* 2. 18.

Fœmina omnibus timenda.

son. quid tu vir cate, & literate jactas te in Academia, quod sis inter togatos proceres, quod gestes in humero epomidem; quòd sis exquisitæ scientiæ, raræ doctrinæ, alti consilii, eximiæ prudentiæ, incredibilis sapientiæ? time; ut illa tua gloria inquinetur macula, ut eripiatur tibi omne consilium, mens, ratio; ut intellectus tui acies obtundatur, ut sias ex sapientissimo vecors, furiosus, mente captus, ac tragico illo Oreste amentior, & tam insipiens, ut dicas *in corde tuo: Non est DEVS.* Non opus est, qui te Philippicis exagitet, Tullio: quis solidis argumentis convincat, Aristotele; qui te cornutis enthymematis confundat, Porphyrio; satis est una mulier. Docuit nos sapientissimus Salomon. Et tu Clerice, tu homo DEO Sacerdotii gradu consecrate, quid ita confidis tuis virtutibus, meritis, gratiæ, vitæ probitati, morum integritati, jejuniis, lachrymis, precibus, plurimisque per annos plurimos DEO exhibitis obsequiis? ut excidas gratiâ DEI; ut amittas jus ad regnum cœli; ut facias omnium meritorum jacturam; ut tui, cœli, DEI obliviscaris; ut exuaris fide, spe, charitate, virtutibus omnibus naturalibus, supernaturalibus, infusis, acquisitis; non opus est vafro aliquo ex orco spiritu, qui te impetat, nec tentatore Satanâ, qui te largis afficiat promissis, ostendensque omnia regna mundi dicas: *Hæc omnia tibi dabo:* non opus est qui ultima minetur supplicia tyranno: satis est una mulier, Patet in sanctissimo Davide. Itaque *mulier una fecit confusionem* in Paradiso, confusionem in domo David, in regno Salomonis, & quod caput est, in collegio Christi. Horres confusionem? horre mulierem. Ne me aliqua decipiat mulier, Tu Fili Virginis, illi me committe mulieri, cui è cruce dixisti moriens:

*Psal.* 13, 1.

*Matth.* 4, 9.

riens: *Mulier ecce Filius tuus.* Cum illa una mulier fuerit benedicta inter mulieres, benedicat & mihi propter illam, quæ benefecit tibi. Pone me juxta hanc mulierem, & cujúsvis mulieris manus pugnet contra me. Prostraverit Petrum ancilla ostiaria, prostratum eriget illa, quæ est ancilla Domini. Quod si illo me honore digneris, ut sim filius hujus ancillæ tuæ, tunc lætus modulabor hoc sacrum cum sacro Vate carmen: *O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ:* plenusque spe ac fiduciâ, te urgebo cum eodem: *Salvum fac filium ancillæ tuæ.*

Joan. 19. 26.

Psal. 115. 16.

Psal. 86. 16.

## §. IX.

### *Iterum negat Petrus.*

JAm semel ceciderat Petrus, & adhuc stare se putabat; quare & in negando perstitit. Stabat, sed *in via peccatorum:* sive quod ejusdem est criminis, sedebat in cathedra pestilentiæ; reus perfidiæ: jam magister erroris, qui fuerat discipulus Veritatis. Igitur cum jam refrigescente charitate, ad ignem se calefaceret, dixerunt ei: *Nunquid & tu ex discipulis ejus es? Iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem. Recte mentitus es in caput tuum.* Arguis te mendacii, dum asseris, te non nosse magistrum Veritatis. Quæso vos, ut hic animum attendatis, & faciam ut omnibus sit in confesso, quibus gradibus homo descendat ad ultimam impietatis lineam; ut cum Petro Christum primum neget, deinde abneget. Priusquam negetur Christus, qui est magister omnium virtutum, abnegantur omnes virtutes. Ingreditur pudicus adolescens palęstram alicujus Academiæ, ut Petrus domum Caiphæ: accedit ancilla ostiaria, vel culinaria, vel penuaria, blanditur verbis, lenocinatur oculis, assen-

Psal. 1. 101.

Daniel. 13 15.

Virtutes omnes prius abnegãtur quã Christus

tatur gestibus: statim ad ejus vocem, ad ejus aspe-
ctum, negat castimoniam, abnegat pudicitiam.
Quomodo? non nosti pudicitiam? Est illa, de qu
tu olim puer in scholis tam magnificè loquebā-
Sap. 8. 2. ris: *Hanc amavi, & exquisivi à juventute mea, &
quæsivi sponsam mihi assumere, & amator factus sum
formæ illius.* At ille negat, usurpans illa verba Petri
Neque scio, neq; novi quid dicas. Abnegatâ jam
Pudicitiâ, & admissâ luxuriâ, confert se ad domi
Convivii; illic inter edaces lurcones, & bibaces
helluones, studet calicibus epotandis, & sic abne-
gat Temperantiam. Sobrietas ne quidem de faci
ipsi est amplius nota. quid? nunquid paulò ante
prius quàm pedem intuleras in Academiam, u
Temperantiæ regulas observares, dixeras cum
Salomone: *Cogitavi in corde meo abstrahere à vi
Eccle. 2. 1. carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapien
tiam, devitaremq; stultitiam?* Hic iterum reponit il
lud Petri: non scio, neque novi quid dicas. Ab-
negat sobrietatem, & Temperantiam. Progredi
tur ad alia vitia, dum versatur inter procaces, &
salaces, & impudentes & effrontes socios; jamil
lum unius tantum pudet, non esse impudentem
Itaque abnegat Modestiam, & Verecundiam
Nullus amplius est in fronte pudor, nullus inge-
nuus in genis rubor, nulla in animo verecundia
nulla in corpore modestia. Sic ab Advocato ad
tinnitum auri abnegatur Æquitas: à Judice, a
oblata munera, abnegatur justitia: ab iracundo
ad conspectum inimici, abnegatur mansuetudo
ab avaro, ad spem pecuniæ, abnegatur misericor-
dia. Sic abnegatis, & repudiatis omnibus virtuti-
bus, traditur homo omnibus vitiis & sceleribus
donec tandem inveteratus dierum malorum, re-
pentè sistatur tribunali Dei judicandus. Tunc ac-
cede

cedet ostiaria cœli, divina Justitia, cum virtutum, quæ illam stipant, comitatu: & cùm nullus possit videre Deum nisi mundo corde, adducetur Castitas, ut videat an eum noverit. Illa nihil in eo videns mundi, nihil non observans immundi, dicet quod Petrus: *Nescio hominem istum.* Cùm nullus possit esse beatus nisi mitis, adducetur Mansuetudo, & illa dicet: *Nescio hominem istum.* Hoc reponent virtutes singulæ. Itaq; claudetur illis janua cœli; & clamantibus, *Domine, Domine, aperi nobis*: Matt. 25. non aliud audient totâ æternitate à Divina Justitia, nisi illud Evangelicum, *Nescio vos*. quid dicam? *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum*: Juste à te Psal. 118. deseritur, qui priùs te deseruit: Justè eum abnegas, qui priùs te abnegavit. quare ne minacem illam tuam ex ore tuo percipiam sententiam: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo* Non te negabo, sed me ipsum abnegabo, uti præcipis: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Matt. 10 33. Matt. 16. 24.

## §. X.

### *Tertiò negat eum juramento.*

SPectavimus non minùs triste quàm acre in corde Petri, velut de arena, Amorem inter & Timorem certamen. Timor in hoc certamine Amorem prostravit, dum eum, qui est fons Amoris, se nosse, Petrus negavit. Rem acu tetigit Matthæus, dum hæc de Petro scripsit: *Petrus verò sedebat foris in atrio.* Petrus erat foris, Christus erat intus. Matt. 27. Hinc non Charitas foras misit Timorem, sed Timor foras misit Charitatem: quia Petrus non erat intus cum Christo, sed foris cum militibus: inde Petro (ut utar verbis Pauli) erant *foris pugnæ, intus timores.* Itaque timoribus undiq; circumsc- 1. Cor. 7. 5

ptus, tituabat illi lingua, tremebant membra ; palpitabat,cor,nec ipse quidem qui loquebatur, quid loqueretur,satis intelligebat.Deinde omni ex parte inquietus,loca vitæ , ac conscientiæ suæ infesta deserturus,*exÿt foras ante atrium.* Ibat,stabat , redibat,homo Euripo similis , & arundini vento agitatæ.Metus unus Petrum abire , metus alius Petrum redire cogebat:ille,ne ibi aut interiret,aut gravius delinquere :hic ne fugâ, aut solitudine servis fieret suspectior.quare itq;,reditque viam toties. Interim tot inter animi tumultus plus quam Gallicos,gallus cantavit.Surge Petre,qui dormis,& exurge:gallicinium est.Sed Petrus præ nimia perplexitate gallum canentem non observavit.Frustra ergo gallus canebat,quia surdo canebat. Tandem canente gallo, quasi signo dato,ventum jam erat ad triattos; aggrediuntur eum Pontificis satellites,decretoriis illum interrogationibus urgent,terrent,minantur,dicentes:*Vere & tu ex illis es;nam & loquela tua manifestum te facit.* Ecce Petre, argumento claro convinceris; omnes Christi discipuli Galilæi sunt.te Galilæum esse loquela manifestum facit. Ergo es ejus discipulus,Hîc demum fuit fluctus decumanus, quo Petrus mergebatur, hîc fuit ictus decretorius,quo jugulabatur.Angustiæ illi erant undique. Videbat enim ubique periculum, nusquam effugium. Videns ergo se convictum testimoniis,se ex loquela manifestum, jam verbis se detectum Galilæum ; hic secum cogitare : Actum est de cute,imò capite meo: occisissimus mortalium sum:perii nisi me gnaviter mentiendo probem impudentem: si consequenter mentiendo perseveravero usque ad finem,fors salvus ero. Perstabo igitur in gradu , nec ad latum unguem

guem ab eo discedam: ut servetur vita, tertiò negetur auctor vitæ; Tanti est vivere. Ipse ergo tot convictus argumentis, vim vi, qua potuit, repulit: fortiùs appetitus, fortiùs restitit: & jam Petrus induratus ut petra, persistit in negando, mendacia mendaciis accumulat, jusjurandum interponit, Deum in testem detestandi sui criminis vocat, mille diris se devovet. Convocatis ergo omnibus ingenii, & audaciæ viribus, *cœpit detestari, & anathematizare, & jurare, quia nescio hominem istum, quem vos dicitis.* O Petre, quomodo jam vives, qui negas te nosse eum qui est vita? quæ tibi spes salutis, qui abnegasti Salvatorem? quo curres ovis perdita, relicto bono pastore? Si non noveris hominem istum, jam verè dicere potes, cum illo Probaticæ piscinæ infirmo, *Hominem non habeo.* Quis cadentem eriget nisi Jesus, *qui erigit omnes elisos*? quis cæcum illuminabit nisi Jesus, per quem *cæci vident*? quis mortuum suscitabit, nisi Jesus, per quem *mortui resurgunt*? Et ecce non nosti Jesum. quis tunc fuerit plausus inter dæmones, quis triumphus in Tartaro quantus fuerit & dolor Christi, faciliùs est vobis expendere, quàm mihi exponere. Nescio magisnè admiremini Petrum, an detestemini crimen Petri. Sed parcite Petro, aliam hic vobis suggeram & admirandi, & detestandi materiam. quisquamne ex hoc cœtu est tam præfidens, qui ausit dicere: se illius sceleris esse purum, cujus Petrum convicimus esse reum? credo à nemine in hac corona præsente, fuisse prolatam illam vocem Petri, dum de Christo rogatus, dixit: *Non novi hominem istum.* Sed non lingua sola edit vocem, etiam tacita opera loquuntur. Sicut enim, teste Scriptura, *Vox sanguinis clamat*, sic & vox operis clamore resonat.

*Ioan. 5. 7.*

*Ps. 144. 14.*

*Matt. 11. 15.*

Christũ varii variis modis negant.

*Gen. 4. 15*

Matt. 15. Dixerit licet sæpius lingua cum Petro, de Christo: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Opera tamen clamarunt cum eodem Petro de Christo, *Non novi hominem istum.* Verè enim tu es ex illis, de quibus loquitur Paulus: *Confitentes se nosse Deum, factis autem negant.* Dum bonum aliquod amas præ illo, qui est summum bonum, negasti te nosse ejus Bonitatem. Dum politicis nixus placitis, sic vitam instituis, ac si Deus *nostra non consideraret, sed circa cardines cæli perambularet* : negasti te nosse ejus providentiam. Dum quotidie nova conscis scelera, nec tamen puniendum te reformidas; negas te nosse ejus justitiam. Dum perfrictâ fronte, & projecta audacia peccas in conspectu ejus, quasi punire te non posset ; negas te nosse ejus potentiam. Qui ergo hominem istum, qui in omni perfectione est infinitus, negas esse providum, bonum, justum, potentem, nonne verè dicis cum Petro, voce operis : *Non novi hominem istum?* Quid ais de illo, qui omnium oculis conspicuus exponitur in sacrosancta ara? Ille propter nos homines Homo factus est. Nosti hominem istum? Vide, & seriò delibera, quid te respondere, & pro religione, quam profiteris, deceat; & pro salute, quam exoptas, oporteat. Nosti hominem istum? Novi, inquies; quis est ille? Est Filius Dei vivi: est homo Deus. Credis hoc firmiter? nihil firmius, nihil certius: sum enim vere Catholicus, & hanc fidem hausi ab ipso sacro Baptismatis fonte. Promptusne fores pro hoc articulo mori? Promptissimus & emori. Hucusque confiteris te nosse Christum. Hæc verba sunt; sed Verbum patris requirit aliquid ultra verba Si agnoscas in ara esse Dei Filium; ô iam te sacrilegum ! qui quod ore fateris, opere negas. Si enim illic est

Ad Tit. 1. 16.

Iob. 22. 14.

In Templo Christus negatur dum irreverenter illic se quis gerit.

homo

homo DEUS; ergo ille est, quem novem Angelorum chori, sacro perfusi horrore, submississimâ reverenti â, faciem alis obnubentes, proni adorant, & illud augustissimum trisagion iugiter modulantur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Si ibi sit DEUS; ergo neminem oporteret hic adesse nisi cum immenso quodam omnium membrorum tremore, & artuuu trepidatione, nisi toto corpore in ipsum pavimenti solum prostrato, nisi clausis oculis, coniunctis manibus, attentâ mente, contrito corde, inflammato animo supplicum ritu. Si ibi est DEUS; ergo debetur illi omnis ab omnibus honor, & gloria. Tu autem quibus argumentis prodis tuum erga illum, cui debetur omnis honor, honorem? stas erecto corpore, vel flectis uno poplite, vel insides scamno: lenocinaris emissitiis hinc inde oculis; omnem in partem corpus gyras, & caput circumagis; tanta cum immodestiâ, tantâ cum petulantiâ, tantâ audaciâ, ne dicam impudentiâ misces fabulas, ac si esses in tonstrinis, proponis, foro, macello, trivio, in loco quovis profano. Summum, insonante per templum nolulâ, flectuntur genua: erro, flectitur unum genu, coram quo flectitur omne genu. *Si* quæ fiat reverentia, si inflectitur caput, si inclinetur corpus, si pedibus verratur humus tunc est dum Templum vel ingreditur, vel egreditur putida aliqua ancillula, vel infame scortum, hoc est diaboli mancipium. De Christo nulla cogitatio, coram Christo nulla modestia, erga Christum nulla reverentia, in precibus nulla attentio. Et hi scilicet sunt Catholici, qui illa agant coram Christo, quibus indigniora agere non possunt, qui Christum præsentem & ore, & opere negant hæretici. O pudor! ô dolor! Magis

hono-

honorat ethnicus quodcunque suum idolum; Ammonitæ suum Moloch, Babylonii suum Bel, Chaldæi ignem, Persæ Solem, Ægyptii Crocodilum, Indi album Elephantem, Turcæ suum Mahomet: quicunque idololatræ, ligna, lapides, & quæcunque muta atque exanima, quàm Catholici multi Filium DEI, quàm Christiani aliqui præsentem in augustissimo delubro Christum. Videtur hoc ter adorandum Sacramentum non esse nisi vanum idolum. Si DEUM certò crederes, & coram te præsentem, & quidquid loquaris audientem, & quid cogites cognoscentem; & quid agas aspicientem: hoc inquam, si ut par est, crederes, manibus & pedibus reperes per omnia compita ad templum, in ipso sacrosancto limine oculi tibi effunderent lachrymas, manus percuterent pectus, cor suspiraret, lingua misericordias DEI cantaret: imò omnia ossa tua clamarent: *Domine quis similis tibi?* At nunc quo pacto persuadebis Acatholico te esse Catholicum? Recitas, fateor, sæpius Symbolum Apostolicum, quo profiteris te esse Filium Ecclesiæ Apostolicæ: dicis non rarò, *Credo in DEVM Patrem omnipotentem, & in IESVM Christum Filium ejus.* Ingeminas *Credo, Credo*; sed quod dicis ore, contradicis opere: opera clamant cum Petro: *Nescio hominem istum.* Quid hic dicam nisi quod Isaac de suo filio? *Vox quidem, vox Iacob; sed manus, manus sunt Esau.* Ita cùm toties repetis, *Credo*, vox quidem, vox Jacob, vox Catholici; sed manus, manus sunt Esau, opera sunt opera hæretici. O Christe! frustra es conatus illo suspiciendo corporis tui mysterio provocare nos ad honorem & amorem tui: in vanum voluisti nobiscum esse omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Dum voluisti latitare

Psal. 34. 10.

Gen. 27. 22.

Fides erga Christũ in Eucharistia

sub

sub vini & panis figuris, ipso quod passim bibitur vino, & qui editur pane, factus es contemptibilior. Sed ego, quem voluisti stare in cõspectu tuo, non te negabo cum Petro denegante, sed confitebor cum Petro profitente, & dicam: Audiant cœli, & applaudant: audiat terra, & adoret: audiant Angeli, & exultent: audiant dæmones, & contremiscant: audiant hæretici, & frendeant: audiant Gentiles, & ringantur: audiant Judæi, & contabescant: audiat tota rerum universitas verba oris mei, imò & cordis mei: dicam & non negabo, & pro veritate, quam dicturus sum ego, *paratus sum & in carcerem, & in mortem ire*; pro illa veritate *animam meam ponam*, pro ea sanguinem omnem oppignorabo: dicam audacter sine metu, rogatus de te, imò interrogatus à te quis sis Domine? dicam cum Petro, nec prius illud dicendi quam vivendi finem faciam: *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Et ut talem, jam nunc procidens adorabo te.

*Luc.* 22. 33. *Ioan.* 13. 37. *Matt.* 16. 16.

## §. XI.

### *Petri pœnitentia.*

Jam Petrus Christum ter negaverat, & ideò ter impius, & ter miser. Jam erat de numero illorũ Petrus, de quibus loquitur Jeremias: *Induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti.* Jam verè Petrus à Christo aversus, conversus fuerat in petram. Nunquid hic à te, ô Domine possem petere, quod ab Israelitis Moyses, stans coram petra; qui dicebat: *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Et tu Domine, num de Petro, jam petra, aquam poteris ejicere? Vides jacentem Petrum, & non erigis? non audis festivo strepitu circumsonantem inferorum regionem, triumphantes Principes tenebrarum, ob extinctum illius lumen,

*Ier.* 3. 4. *Num.* 30. 10.

men, qui erat lux mundi? Jam summo plausu acclamant hostes tui: Cecidit, cecidit petra illa, supra quam ædificanda est Ecclesia. Jam sibi ruinã promittunt totius fabricæ; cujus vident corruisse columnam. Et tu Domine usquequo? Ecce jacet in atrio prostratus miles tuus. Dux es, erige; Ecce ovem tuam in medio luporum; Pastor es, eripe: Ecce Petrum pereuntem, Jesus es, Salvator es, salva eum. Convertere aliquantulum à Caipha ad Petrum, respice discipulum. Avertisti faciem tuam, & ideo factus est conturbatus Apostolus tuus: opus hic est tuo oculo. Tuus enim oculus stanti est basis, confirmat; cadenti est manus, erigit; naviganti est cynosura, illuminat: pugnanti est classicum, animat: periclitanti est perfugium, liberat: currenti est stimulus, excitat. Claudis hûc oculum? jam stantes cadunt, vincuntur pugnantes, deficiunt currentes, desperant jacentes, merguntur navigantes, deniq; pereunt omnes. Respice Petrum illo oculo, jam in domo Caiphæ, quo ambulans juxta mare Galilææ, & fecisti piscatorem hominum. Respice eum illo oculo, quo revelabas illi, quod esses Filius Dei vivi, & ille iterum fiet filius lucis. Quin & Petrus videns inimicum suum exultantem propter casum suum, tacitè ad te clamat: *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?* *Respice & exaudi me Domine DEVS meus.* Usquequo Domine oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam à me? Jam semel te negavi, quia avertisti faciem tuam. Jam iterum negavi cum juramento, quia oblivisceris mei. Jam tertio te negavi cum execratione mei. Usquequò oblivisceris mei: usquequo avertis faciem tuam? *Ostende mihi faciem tuam, & salvus ero. Respice, & exaudi me Domine*, iam appropinquavi usque

Psal. 12. 8.

Psal. 79. 4.

Ps. 106. 18.

que ad *portas mortis* Respice, *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Respice, *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Respice, *Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat; quia priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et egressus foras flevit amarè.* O quanta hic repentè metamorphosis! Christus videt, Petrus ardet: Christus amore ad Petrum convertitur, Petrus dolore ad Christũ revertitur; Christus oculo emittit jacula, Petrus animo admittit vulnera. Dic Petre: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Petrus vulneraverat cor Christi dolore, eum negando; Christus vulneraverat cor Petri amore, eum respiciendo Et de hoc vulnere exivit non sanguis, sed aqua. quis non stupeat, juxtà ac suscipiat vim oculi divini? Eodem momento quo respexit Christus, surrrxit Petrus, stetit qui iacuit, flevit qui deliquit, & ut impensiùs quẽ offenderat, amaret, *flevit amarè.* Ille oculus inspirabat illi spiraculum novæ vitæ, qui negãdo auctorem vitæ, erat vir mortis. Ille oculus uti ad Cainũ fratricidam Deus clamabat: *Quid fecisti?* Et mox disruptis cataractis, quâ data porta fluunt lachrymæ. Eâdem horâ cecidit, & surrexit: vulnus accepit, & medelam vulneris. Tanti est à Christo respici. O homo! vide quo oculos convertas. Si illos aperis, ut videant vanitatem, quoties facti pœnitens exclamabis: *Oculus meus depradatus est animam meam.* Est oculus, qui animo est laqueus. Audi orantem Judith: *Capiatur laqueo oculorum suorum in me*, scilicet Holofernes: Est oculus, qui intuenti est regulus: dum nictat, necat. Si lubet aperire geminas illas vultûs fenestras, illi aperi, qui est vita, *ne ascendat mors per fenestras*: si ad illum convertas oculos, conversus aspiciet te, & invenies gratiam

Ps. 68 3.
Matt. 26. 75.
Cant. 4.
Gen. 4.
Oculi cautè aperiendi.
Thren. 3. 5.
Iud. 9 13.
Ierem. 9. 21.

gratiam in oculis eius. O oculum omnibus ad salutem necessarium! ô peccator, *magna est velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* Tot commisisti deflenda, & nunquam flevisti. *Quis* (petit Augustinus) *stupris dedítus, flagitijs involutus, lavat per singulas noctes lectum suum? Nescit flere, qui flenda committit, & cum sit ipse lachrymabilis, non habet pœne lachrymas suæ.* Si nescias flere, *quis medebitur tui?* Confide; non opus est ferreis, quibus te percutias, catenis; non hispidis, quibus te pungas, ciliciis: nec nodosis, quibus in corpus animadvertas, flagellis: nec quadraginta dierum, quibus te maceres, ieiuniis: non prolixis, quibus opem è cœlo poscas, precibus: dic hoc unum cum Propheta: *Aspice in me, & miserere mei.* Unicus Christi aspectus est omnium, quos aspicit, salus. Quid ergo palabundos hinc inde circumfers oculos? Quidquid vides in hoc mundo præter Jesum, per quem factus est mundus, vel est, quia deficit, vanum: vel quia inficit, fœdum: vel quia interficit, sævum. Solius est Jesu, qui reficit, oculus. Si ardes libidine, si palles invidia, si contabescis mœrore, si indomitis affectibus transversus raperis, converteread Jesum, & dic: *Aspice in me, & miserere mei.* Si tibi blanditur caro, si lenocinatur mundus, si oppugnat dæmon: aude & iterum ingemina: *Aspice in me, & miserere mei.* Ubi Jesus semel respicit, mundus nobis desipit, & omnia quæ sunt mundi. Ubi Jesus respicit, cadunt catenæ de manibus, dissiliunt vincula: aperiuntur ultrò portæ ferreæ, redimuntur captivi. Ubi Jesus respicit, repentè circumfulget nos lux de cœlo, illuminatur Intellectus, inflammatur Voluntas, corroboratur Spiritus, cor & caro exultant in Deum vivum. Ubi Jesus respicit, fiunt subitò persecutores Apostoli,

*Thren. 2. 1.*

*Serm. 7. in Ps. 118.*

*Ps. 118. 132.*

Oculi Christi quàm potentes.

Apostoli, Publicani Evangelistæ, peccatores ejus discipuli, meretrices ejus sponsæ: redeunt ad patrem filii prodigi, surgunt paralytici, & tollunt grabatum suum, ambulant, & non deficiunt, currunt per viam mandatorum Dei, assumunt pennas sicut aquilæ, & volant. Ubi Jesus respicit, extemplo, in ictu oculi, *cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Matt. 11. 5. Itaq; à Jesu respici, est salutem consequi. Quò ergo potes utilius convertere tuos oculos, quàm ad illum, qui te diligit ut pupillam oculi? Si illum aspicis, omnia quæ optas, impetras: quia, teste S. Ambrosio, *Christus nobis est omnia. Si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si gravaris iniquitate, justitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cœlum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est.* Lib. 3. de Virgin. Cùm ergò Christus nobis sit omnia, nunc ut ab illo uno impetremus omnia, ad illum oculos convertamus omnes. Illi oculi, quibus Petrum respexit, nulli sunt clausi, omnibus sunt aperti. Paratus est vos omnes hac hora ex ara aspicere, aspiciendo illuminare, illuminando accendere, accendendo ad se convertere. Sed ut vos aspiciat, vult & à vobis aspici, & suspici. Quid sit cur aliquos non aspiciat, ex Augustino discite: *Dorsum habebam ad lumen, & ad ea quæ illuminabantur faciem; unde ipsa facies mea, quâ illuminata cernebam, non illuminabatur.* Lib. 1. confess. c. 10. Habetis faciem obversam mundo; dorsum Christo. Convertite dorsum ad mundum, & faciem ad Christum, & convertet ad vos oculos suos Christus. Clamat ipse ad nos omnes hic præsentes per os Zachariæ: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Zach. 1. 3. Auditis? convertimini, convertar. Averterat se Petrus à Christo negando, con-

vertit se ad eum pœnitendo. Itaq; omnium jam & animi, & oculi ad eum convertantur, ut per ejus oculos, ad eum revertamur. Ecce Christe: Ps. 144. 15. *Oculi omnium in te sperant Domine.* Nos non sumus amplius ex numero illorum, qui *oculos suos statuerunt declinare in terram.* Ps. 16. 11 Scimus, quia terra vacua est & inanis; sed dicimus cum servo tuo: Ps. 122. 2. *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad te Dominum Deum nostrum.* Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis, imò qui habitas nobiscum in terris; es enim Emanuel. Emitte super nos fulgura tua, & fluent aromata nostra. Respice nos eodem illo oculo, quo in domo Pontificis conversus respexisti Petrum; & ut Petri, repentè oculi nostri deducent exitus aquarum; totum hoc templum personabit planctibus, questibus, gemitibus, suspiriis. Aspice nos illis oculis, quibus cùm Lazarum è monumento fœtidum resuscitares, lachrymatus es, & mox aperientur monumenta, & qui mortui sunt, resurgent. Aspice nos illis oculis, quibus aspiciebas turbam illam in deserto esurientem, & mox misericordia motus, dicebas: *Misereor super turbam.* Miserere super hanc turbam, quæ firmavit super te oculos suos, donec ostendas nobis faciem tuam in excelso habitaculo tuo, ubi abstergis omnem lacrymam ab oculis nostris, quando te videbimus non amplius in speculo, & ænigmate, sed facie ad faciem, & salvi erimus.

## CAPUT IV.

## Christus in Concilio.

### §. I.

*Ducitur ad Concilium Seniorum.*

Ps. 1. 1. ESt sacrum Davidis pronuntiatum: *Beatus vir qui non abijt in Concilio impiorum.* quid agemus nc

nos, quibus hodie non aliud proponitur meditãdi argumentum, quàm impiorum Concilium? Sed nihil metuendum dum aditur Concilium impiorum, ubi causa adeundi est pia. Adibimus, ut impiorum consilium non sectemur, sed detestemur. Sic ergo de hoc Concilio Evangelistæ:

*Et ut factus est dies, consilium iniverunt omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi, & Scribæ adversus* Jesum, *ut illum morti traderent.*

*Mat. 27. 1 Mar. 15. 1 Luc. 22. 66. & 23. 1.*

Ordiamur à primis verbis: *Ut factus est dies.* quis est ille dies? dies ex omni parte magnus, & omnium qui à sole condito eluxerunt, & eluceſcent olim dierum longè maximus: dies quo nunquam Christo illuxit tristior, mundo lætior. Rectè dicitur: *Ut factus est dies. Hæc enim dies, quam fecit Dominus: dies boni nuntij* captivis in limbo Patribus, peregrinis in mundo hominibus, beatis in cœlo Spiritibus. Hæc est *dies salutis*; clarior redemptoris morte, quàm solis luce. Hæc est illa dies, quam ante dies, & tempora, & omnia sæcula, Rex sæculorum immortalis, ab omni retro æternitate in magno suo temporum catalogo designaverat, tanquam omnium dierum sacratissimam, plenam arcanis Sacramentis, adorandis prodigiis, sacrosanctis miraculis, quâ illud opus elaboratissimum mundi, morte Dei redempti erat consummandum. Hic est ille dies, ad quem Filius Dei, ab æterno genitus in sinu Patris, in tempore conceptus in utero Matris, semper anhelabat, & cùm videret, exultavit. Ergo ut factus est ille dies, *convenerunt Seniores plebis, & consilium inierunt adversus* Jesum, *ut illum morti traderent.* O inconsulti consiliarii! ad quid stulti convenistis in Concilium? quodnam stultissimi adversus Christum iniistis consilium? Nunquam vos legistis Scri-

*Dies ultimus Christi, omni ex parte magnus Ps. 117. 24. 4. Reg. 7. 9. 2. Cor. 6. 2.*

Iob.21. 30. Psal.2.3. pturas: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum?* De hoc Concilio loquitur David: *Adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Hic punctum unum observate, quod experientiâ constat esse verissimum. Quamprimùm aliquis vult insistere Christi vestigiis, statim ubi cœpit secum vel meditari de amplectendo perfectioris vitæ instituto; illicò ab ipsis vitæ melioris incunabulis, exurgunt in eum, quotquot sunt alterius sententiæ, eiq; vitæ illius instituto dissimiles, domestici, amici, consanguinei, conterranei, exteri adversarii, & qui in omnibus agunt, fabri totius fabulæ, dæmones. Tunc, nullus dubita, conveniunt in tartaro omnes dæmones, & ineunt consilium ut te morti tradant, & perdant, & per dæmones, alios dolo, alios calumniis, alios irrisionibus, quosdam aperto odio, alios amore simulato, nonnullos tectâ improbitate, non paucos larvatâ amicitiâ, complures religionis obtentu. scias bellum tibi indicturos. Erunt qui dicent cùm in te uno domus inclinata recumbat, occumbere totam familiam tot gentilitiis insignibus illustrem. Alii, asserent te esse baculum senectutis maternæ, vel paternæ; parentes in tam declivi ætate destituere hoc uno quo nitebantur præsidio, genus esse crudelitatis. Mitiùs loquentur aliqui cum discipulis: *Ut quid perditio hæc?* Tale ingenium, tanta indoles, tanta nobilitas ad quid claudatur intra Asceterii latebras? scilicet damnum tantum inferendum toti Reipub. ut benè sit uni religiosæ familiæ? Hæ, & id genus aliæ adversariorum infectationes erunt, à quibus nemo te præstabit immunem. Sed tu virum hic te præsta, nec à constantiæ gradu vel ad latum unguem

Deo servire ubi quis cæperit, ab omnibus impetitur.

Matt.26. 8.

Status vitæ ut

deflecte. Auctor hujus insectationis est is, quo nihil imbecillius, cacodæmon. Is autem à Christo, quem ducem sequeris, & victus, & vinctus est. Quid igitur terreris? plusne ergo ad nocendum aut calliditatis, aut roboris latro ille, jam in Domini cruce confixus, habebit, quàm sapientiæ ad providendum, vel potentiæ ad opitulandum Deus, cujus afflatu hoc novæ vitæ genus amplecti meditaris? O Christe! non timeo consilium malignantium, dum te habeo consiliarium. Scio te ab omni æternitate iniisse consilium cum Patre & Spiritu S., de vitæ meæ totius serie, & instituo. Quid de me in tuo arcano consilio decreveris, quâ semitâ velis me ducere ad patriam, quem me cupias sequi ventum, ut pertingam ad portum? quem debeam tenere cursum, ut obtineam braviũ, quia ignoro, ut mihi instinctu tuo cœlesti insinues, supplex obtestor. Mihi certum est tuum de me sequi decretum. Vis'me tibi auctoratum militẽ? da tesseram, cane classicum, effer signum. Vis discipulum? amplector magisterium. Dic: Veni, & veniam. Cupis famulum? expecto imperium. Dic: Fac hoc, & faciam. Vis in vinea tua operarium? voca *Ecce ego, mitte me.* Vis me esse in curia, in foro, in campo, in gymnasio, in pistrino, in ascenterio, in solitudine? *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Quò vela vertam, quò cursum dirigam, quam semitam legam, dubius hæreo, animi pendeo, incertus fluctuo. Quid faciam, nescio: Imò scio quid faciam Ne errem errorem, qui non poterit corrigi, totum me solo affligam, humi me sternam, & submississimè te magni consilii Angelum supplex rogabo, nec prius rogare desinam, quam quid me facere oporteat, intelligam: *Domine quid me vis facere?*

prudenter eligatur, respectus humanus contẽnatur.

*Isa. 6. 8.*

*Ps. 56. 8.*

*Act. 9.*

## §. II.

### *Interrogatur an sit Christus.*

Matt. 5. 45. JAm nox præcesserat, dies autem appropinquabat, cum illius imperio, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos*, Sol ortus est super Jerusalem, post sex horas in media cæli statione obscurãdus. Et ecce, ne quidem lucente Sole, appropinquante die, abjiciebant opera tenebrarum, verè oforet lucis. Nam, teste Luca, *convenerunt Seniores plebis, &*
Luc. 22. *Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt eum in Concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis.*

Hoc concilium, quo sistebatur Christus, erat toto orbe longè celeberrimum, seu consideres, quæ in illo decidebãtur causę, quæ erant gravissimæ; videlicet, Religionis, Fidei, Morum: seu spectes, qui congregabantur Judices, qui erant viri cati, sagaces, omnium scientiarũ gnari; quot capita, tot oracula. Censebantur in illo Concilio una cum summo sacerdote 72. Judices; & vocabatur hoc Concilium Synedrium magnum. Ingressus
Ps. 65. 5. hoc Concilium magnus Consiliarius, *terribilis in consilijs super filios hominum*; jam verò amabilis, quia
Ps. 44. 3. *speciosus forma præ filijs hominum*, consistit in medio
1. Tim. 2. 5. *Mediator Dei & hominum*. Hic seniores plebis, inveterati dierum malorum, quia inter malos, illum interrogant, quod non ignorant, vel certè ignorare sine crimine non poterant, *Si tu es Christus, dic nobis*. O cæci, & duces cæcorum! quæ est hæc tam peregrina interrogatio? si hoc peterent infantes, danda esset venia, quia ętatem non habent: si pueri, & illis foret ignoscendum, quia prudentiâ carent. At vos Scribæ, quorum unum est negotium scripturas interpretari, & earum arcana perscrutari: vos Principes Sacerdotum, quorum munus

est

est solvere nodos difficilium quæstionum : vos Seniores plebis, quibus incũbit explicare verba legis, hoc interrogatis, quod & Prophetarum vaticinia, & Scripturarum oracula, & tot quæ edidit prodigia evidentissimè testantur ? Interrogatis Christum, an sit Christus? Interrogate vestros infantes; illi ante sex dies alta voce clamarunt: *Hosanna in excelsis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Matt. 11. 10. Interrogate cæcos, surdos, mutos, claudos, paralyticos, quos curavit: interrogate terram, quam aperuit, dum Lazarum resuscitavit; aquas super quas ambulavit; ventos, quibus imperavit; stellam, quæ illo nascente apparuit; muta omnia atq; inanima si voce humana possent resonare, non illum ut vos interrogarent: *Si tu es Christus, dic nobis?* Matt. 16. Sed disertè clamarent: *Tu es Christus filius Dei vivi.* 16. *Et ait illu: Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogavero, non respondebitis mihi, neq; dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt omnes: Tu es ergo Filius Dei?* Tu fabri filius; tu homo vorax, & potator vini? tu publicanorum, & peccatorum amicus, samaritanus, dæmoniacus, sedebis ad dexteram Dei? Te videbimus in nube : imo brevi videbimus in cruce. Nunquid hâc nostrâ nunquam satis deplorandâ ætate tale passim, quale hic in Concilio Judæorũ, exercetur judicium? Percurrite totum orbem, & attendite an sit in eo regnũ, in regno provincia, in provincia civitas, in civitate domus, in qua prope non sit tribunal, in quo ipsa accusatur; accusatur dico; imò condemnatur innocentia. quoties in conviviis, in gymnasiis, in circulis, in curribus, in navibus, ne dicam in delubris, velut reus criminis sistitur à nocentibus innocens? Quoties qui est sceleris purus, ab impuris, & scelestis

blateronibus impetitur convitiis? Ut nulla jam instruantur convivia, ubi non jaciantur convitia, quoties qui est integer vitæ, à servis peccatilaceratur contumeliis? Quænam est in epulo mensa, ubi non obscuratur alterius fama; quasi hæc una esset convivis fames, alios infamare. Et hæc dum helluantur, dum pergræcantur, non quasi Græcâ fide, sed sincerè prolata, avidissimis percipiuntur auribus, & excipiuntur plausibus. Sed expecta modicum, quisquis es innocens: expecta donec sederit Filius hominis à dextris DEI: expecta donec Angelico spiritu tota trepidante rerum universitate, horrendum insonet illa sepulchralis buccina: *Surgite mortui, & venite ad judicium.* Surgite vos, qui fuistis hic velut opprobrium hominum, & abjectio plebis; imò omnium peripsema: surgite, qui ut rei jacuistis sub iniquorũ pedibus; surgite, quia jam stabitis *magna constantia adversus eos, qui vos angustiaverunt.* Surgite mortui, vos inquam perfidi Judices, innocentium carnifices, & venite ad judicium: state nunc judicandi ab iis, quos judicâstis, & condemnâstis. O qualis hic erit rerum omnium conversio, dum qui stat in concilio reus, sedebit in solio Judex: qui hic silet, rugiet ut leo: qui hic ligatus accusatur, ligatis manibus & pedibus mittet noxios illos Judices in tenebras exteriores. Expectans expectabo te DOMINE, donec Judex vivorum & mortuorum sederis à dextris virtutis DEI. Interiu sedebo in novissimo loco, jacebo hic tanquam mortuus à corde, donec audiatur illa tuba: *Surgite mortui.*

Innocentes passim affliguntur.

Sap. 5. 1.

## §. III.

### *Fatetur se Filium* DEI.

SPectavimus stantẽ inter servos peccati, Libertatem: inter reos, Innocentiam; inter filios tenebra-

nebrarum, Lucem mundi: inter lupos rapaces, Agnum DEI, hoc est, inter Judæos, JESUM. Sed quam hic innocens Agnus parum timuerit illos pingues Tauros, nunc audite. Petierant Judæi: *Tu ergo es Filius DEI? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum.*

Ecce hic quàm diversas personas Christus nunc assumat, nunc deponat; pro causa sua, quàm humilis, pro causa Patris quam fortis. Pro causa sua non aperit os suum, sed tacet, pro causa Patris loquendo, nihil non audet. Unde cum plurimis eum accusantibus, pertinaciter sileret, exurgens Princeps Sacerdotum cum stomacho, dixit; *Nil dicis ad ea, quæ isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat.* Matt. 26. 62.

Nunquam causa innocentis disertiùs defenditur, quam dum innocens pro se nihil loquitur. Silentium est innocentiæ testimonium. Postquàm verò non sua amplius, sed veritatis causa agebatur, ad ipsum adstantium terrorem locutus est: *Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis DEI.* Ecce quàm ille, qui semper est unus, hic pro causæ varietate fuit varius. Prius taciturnus, ne nutu quidem à se crimina illa, quorum insimulabatur, lubuit refellere: at nunc plus dicit quam ab eo quærebatur. Priùs adeò se infra homines abjiciebat, ut se pro reo magni criminis haberi non renueret; nunc ita se supra homines extollit, ut velit non modo Filius Dei agnosci, sed etiam rerum omnium Moderator, ac Judex æstimari. Nimirum alia gerenda est persona in causa nostra, alia in causa Dei. In nostra, fas est nobis silere, & negligere, & patientia sua se involvere; & plerumque eò innocentiores habemur, quo sumus in nostra innocentia tuenda segniores: at in Dei causa, quia magna, magnis oportet assurgere

Dei causa fortiter defendenda.

gere ausibus; magnos concipere spiritus, magna uti confidentia. Audaces bona causa juvat. Tunc oportet in sermone exhibere constantiam, qua confitemur: in quæstione fiduciam, qua congredimur: in morte perseverantiam, qua coronamur. O nostram in Dei causa, & pro Dei gloria meticulosam pusillanimitatem! qui in congressibus tam rarò, tam difficilè, tam invitè adducimur, ut de Deo, rebusque ad Deum spectantibus loquamur; ut vel pia monita, vel bona consilia, vel salutaria præcepta aliis suggeramus. Nimirum nunc mihi, nunc alteri non libet hæc audire: nunc pudet, nunc piget, tunc tædet, ita rarissimè placet: timetur nunc offensio, nunc irrisio, ut in publicis cœtibus Dei, ac divinorum, dum sermocinamur immemores, nihil impensius agimus, & satagimus quam placere pessimis. Sed quandoquidem ausi sunt, qui te, ô Christe! quærebant ad mortem Judæi, in suo Concilio interrogare: *Tu es Filius Dei?* Et nos, qui te quærimus ad vitam in hoc templo, hoc est, in domo tua (Domus enim tua, domus orationis est) oramus, ut tua venia liceat nobis interrogare: Tu, qui ibi latitas sub figuris panis, qui stas post parietem, qui respicis per cancellos, qui exponeris nobis adorandus in ara; *Tu es ergo Filius Dei? Vos dixistis, quia ego sum.* Ioan. 1. 20. *Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus de ore ejus. Confessus est*, quia ego sum Christus. O Fides! ô Spes! ô Charitas! huc huc accurrite; Vos quæritis Jesum Nazarenum? *Ipse est, tenete eum. Ipse enim audivimus de ore ejus.* Matt. 26 48. O Fides! exere hic omnes vires. O Spes! quantum potes, tantum aude. O charitas! dilatare, & dilata corda nostra. O Fides, ne dubita, crede, & sic crede, ut is, cui credis, dicat animæ credenti: *Magna est fides tua*, Matt. 15. 28.

ut

ut illa aliquando audiat: *Fides tua te salvam fecit.* Marc. 5. O spes! sic anchoram firma & te confirma, ut exclames cum Jobo: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*: ut aliquando audias ab eo, in quo speraſti: *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* O Charitas! sic animam accende, ut dicat eodem, quo magnus Apostolus, spiritu: *Quis non separabit à charitate Christi?* ut audiat à dilecto: *Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum.* Tu interrogatus an sis Filius Dei? Testimonium de te ipso perhibes, & scimus, quia verum est testimonium tuum, dicens: *Ego sum.* At quid de me dicam: scimus, *quia per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Quis est ille, qui sic peccavit? *Ego sum qui peccavi*; sed tamen spero, quia tu peccatores recipis. Recipe me, *ego sum qui peccavi*; sed tamen confido, quia tu non venisti vocare justos, sed peccatores: voca me. *Ego sum qui peccavi* sed tamen non timeo, quia tu es qui peccata remittis: remitte. *Ego sum qui peccavi.* Tu veniſti *in hunc mundum peccatores salvos facere*: salva me. Es enim Jesus, id est, Salvator, quia dixisti: *Ego sum.*

Joh. 13. 34. 15. Ps. 90. 14. Rom. 8. 35. Luc. 7. 47. Rom. 5. 12. 2. Reg. 24. 17. 1. Tim. 1. 15.

## §. IV.

### *Ducitur vinctus ad Pilatum.*

HOdie comitabimur Christum ductum à sacro tribunali ad profanum, à Concilio Judæorum ad forum Romanum, à domo Caiphæ ad Prætorium Pilati, de quo ita Evangelistæ: *Et surgens omnis multitudo eorum, summi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis & universo concilio, adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.* Luc. 23. 1.

Hoc scilicet unum deerat, ut quæ ab injustitiæ ministris fuerat accusata justitia, quę à viris mortis fuerat condēnata Innocentia, jam à servis peccati

cati captiva traheretur Libertas. Sic transit Christus à summo Pontifice ad Romanum Præsidem, à Judæis ad Gentiles, ut qui pro omnibus moriebatur, in ejus mortem omnes conspirarent. Interim applaudunt sibi Judæi, gestiunt Sacerdotes, tota exultat civitas, universa triumphat Jerusalē. Nunquid tibi, ô Jerusalem, hæc olim ab Isaia dicta: *Excutere de pulvere, consurge, sede Ierusalem: solve vincula colli tui captiva filia Sion?* Et tu captivum ducis Filium Dei, qui venerat solvere vincula colli tui? sed quia tibi tam exosa fuit Libertas, tam accepta servitus, coacta es paulò post Romano jugo colla submittere; imò gentilium pedibus caput subdere, dum eversis mœnibus, destructo templo, crematis ædibus, interfectis civibus, tu Jerusalem manibus post terga revinctis à Tito, & Vespasiano in triumphum per Romanas plateas ducta es, facta toti orbi ludibrium, quæ fueras miraculum. Quod Christo, sic vinctum duci fuit summa ignominia, hoc nobis Christianis summa est gloria, modò sic vinciamur à Christo, vel pro Christo. Habebat Paulus, quibus poterat gloriari, multa & inclyta nomina, & speciosissimos titulos; erat enim Apostolus, Magister orbis, Doctor gentium: sed his spretis à carcere, à funibus, à vinculis, à compedibus mutuatur gloriam. Hinc toties hæc ejus in epistolis leguntur verba, *Ego Paulus vinctus Christi* Jesu. Audiatur hic magnus ille Paulinæ gloriæ buccinator Chrysostomus. *Non ita caput splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, ut catena ferrea, quæ ob Christum fertur, &c. Quod si quis mihi vel universi cœli, vel hujus catenæ copiam, & optionem largitus esset, catenam hanc ego elegissem. Deinde si aut mihi cum Angelis sursum standum fuisset, aut cum Paulo vincto,*

Isa. 52. 2.

Pro Christo ligari summa gloria.

Eph. 3. 1.

In 4. ad Ephes. serm. 8.

*vincto, carcerem præoptassem.* Hoc sit Christiane quo te efferas nomen, *Ego vinctus Christi* Jesu. Non opus est fabro qui cudat; non opus est malleo, quo cudantur illa, quibus glorieris, vincula. Christi præcepta, & consilia, Christiano sunt vincula: his si vinciaris, victor es mundi, & quod caput, tui. Tunc licebit gloriari cum Paulo: *Ego vinctus Christi* Jesu. Est qui te percutit in una maxilla. Ad hanc injuriam ebuliit tibi sanguis, exurgis in iram, totus ardes in vindictam; tamen cohibes brachium, contines manum, abstines à vindicta. Erunt inter homines animales, qui tibi exprobrabunt imbelles animos, & dicent illud Judaicum: *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Quidni repercutis; Quis tibi vincat manus? Jesus, cùm dixit: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Ego vinctus Christi* Jesu. Erit qui contra te linguam acuet, tanquam gladium acutum: qui in te bilem omnem effundet, qui maledictis onerabit. Tu linguæ, ut sileat, ne mutiat, imperas. Quis te mutum reddidit ad tot contumelias, & maledicta? qui linguam vincivit? Christi patientia. *Qui cum malediceretur, non maledicebat. Ego vinctus Christi Iesu* Erunt tenentes tympanum & cytharam, qui te evocabunt è Templo ad forum, è sodalitio ad theatrum, dicentes: *Venite, fruamur bonis, quæ sunt: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Responde cum Davide: *Ab omni via mala prohibui pedes meos.* Quis tibi ligavit pedes? Ille qui dicentibus, *Descende de cruce,* perseveravit in cruce usque ad finem, perforatis clavo pedibus, *posuit in nervo pedes meos. Ego vinctus Christi Iesu.* Sic vinctus Christi es candidatus cœli, dominus mundi. Hæc, quam tibi Charitas Christi imponit, catena, nobilior est quâvis Cæsaris

Præcepta Christi Christiano sunt vincula.

Matt. 5. 30.

1. Pet. 2. 3

Sap. 2. 68.

Ps. 118. 101.

Matt. 27. 40.

Iob. 33. 11.

coro-

corona. Paulus vinctus ob longâ catenâ, prodibat in retertissimum Judæorum Concilium, ut ostenderet catenam corporis non obesse libertati animi; unde hisce coram illis gloriabatur verbis; *Propter spem Israel catenâ hac circundatus sum.* Christi leges tibi sunt funes, consilia catena. Non te pudeat his vinciri. Dic liberè; propter spem videndi Dei, propter amorem mei dilecti, Christi Jesu, catena hac circumdatus sum. *Ego vinctus Christi* Jesu. Sed heu! ego vinctus mundi, vinctus carnis, vinctus diaboli, coram te Jesu pro me vincto, sisto & cogor dicere, quod in carcere vinctus Manasses: *incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi. Funes peccatorum circumplexi sunt me,* & ecce trahor sic per plateas Babylonicas, ligatis manibus, ac pedibus, projiciendus in tenebras exteriores. Sed tu ô Libertas mea pro me captiva, dum vinctus traheris per plateas Jerusalem, tolle hoc jugum, sub quo cervicem incurvavi. *Jugum enim illius jugum ferreum est.* Tu, cujus virtute Samson *ita rupit vincula quasi telarum*, solve vincula colli mei, quia ecce plus quam Samson Tu: *ut sic liberatus à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*, solutis vinculis corporis, aliquando cum Propheta canam: *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Act. 28. 20.

Orat. Man.

Ps. 118. 1.

Eccl. 28. 23.

Iud. 16. 12.

Rom. 8. 21.

Ps. 11. 16.

## §. V.

### *Iudas agnoscit, & cognoscit sua scelera.*

Propositurus hodie spectaculum mundo, Angelis, hominibus, dæmonibus admirandum, quo uno stupet, & percellitur omnis spiritus cœlestium, terrestrium, & infernorum; Judæ, inquam, miserandum interitum; appositè hic priùs excla-

exclamem, quin instar vocalissimi præconis clangenti & latè resonanti tubâ, omnes ad hoc spectaculum invitem, Davidis verbis: *Venite & videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum.* Ps. 65. 4. Terribilis fuit Christus super duos filios hominum in suis consiliis, super Petrum, & Judam: terribilis fuit ejus erga Petrum negantem Misericordia, terribilis erga Judam desperantem Justitia. Nuper alteram, hanc hodie exponemus. Sic de Juda D. Matthæus: *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit 30. argenteos.* Matt. 27. 3.

Quanta est emphasis, quanta vis, quantum pondus in illa vocula *Tunc*. *Tunc videns Iudas &c.* Quasi dicat: cum peccaret, non videbat, postquam peccavit, cœpit videre. Fuerat Judas fur, trifur, proditor, simoniacus, energumenus; imò, (ut illum appellabat Christus) diabolus, Clausi adhuc erant oculi, nihil videbat. Fuerat in Amicum perfidus, in Magistrum ingratus, in Patrem impius, in Deum sacrilegus nihil videbat. Deleruerat jam Christum à facie ejus profugus, pactus fuerat cum Judæis de pretio, 30. argenteis eum jam vendiderat, adduxerat velut antesignanus armatorum militum globum ad hortum, ut illum caperet: osculo illum prodiderat, jam illum tradiderat in manus inimicorum: necdum patebant scelera, hæc omnia adhuc latebant sceleratum: *Quasi in nocte sic palpabat in meridie.* Job. 5. 14. Jam non tantum cæcus; sed dux cæcorum. Sed cum Christum audiret in Concilio & accusatum, & condemnatum, tunc expers omnis consilii, judicabat de se esse conclamatum: *Tunc videns Iudas quod damnatus esset. Tunc*, cum descendisset ad ultimum gradum omnis malitiæ, *confestim ceciderunt ab oculis* Act. 9. 18

Peccata dæmon prius extenuat, postea exaggerat.

*lu ejus tanquam squamæ:* aperuit ei oculos dæmon, & simul ac semel proposuit ei immanem illum cumulum omnium scelerum, quæ commiserat, & abyssum malorum, in quam descenderat. Tunc verè hyperbolicus Orator singula crimina cœpit atrociter exaggerare, pũgentibus conscientiæ stimulis miserum exagitare, horrificis flagitiorum monstris terrere, spem ei tollere, ad desperationem tandem adigere, in clamando: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat è terra vindictam in cælo. Vendidisti pretium mundi, quo pretio poteris redimi? Clausa est tibi janua misericordiæ, quæ spes veniæ? Prodidisti perfidè tuum Dominum, quid supereſt, quam ut fugias ad laqueum? Quo jam fugies, cui nullum supereſt perfugium? peccâsti, & peccâsti peccatum grande, nec est qui possit peccata tua dimittere; mitte ergo te deorsum, & morere; quia morte omni acerbior tibi est vita. Hæc dæmon, hæc sæva conscientia, hæc ipse sibi Judas. Nunc ad te, ô peccator ! convertatur oratio. Dum mundus tibi blanditur, cum caro lenocinatur, cum dæmon ad peccatum instigat, voluptas invitat; libido provocat, honor titillat, gloria oblectat: nunc, dum ætas floret, favet valetudo, genæ rubent, flavent capilli, micant oculi, ebullit per venas juvenilis sanguis: nunc oppositio veluti sipario, & oppanso velo, tegitur peccati fœditas, non apparet ejus enormitas: nihil quod oculos terreat, occurrit: nihil quod aures offendat, percipitur: nihil quod corpori incommodet, proponitur: omnia sunt placida, amœna, jucunda. At verò commisso jam peccato, tunc, velut signo dato, effractis quasi inferorum repagulis, ruunt cum ardentibus facibus tartareæ Furiæ. O quam multæ undi-

Conscientiæ malæ terrores

undique,& quam triſtes rerum imagines animo occurrunt? quæ ſpectra per noctem oblata? quæ ferales umbræ quales larvæ? qui conſcientiæ clamor? qui latratus; enim verò hic vermem aſſiduum, hic vulturem non fabuloſum hic Furias omnes, hic orcum invenies orco pejorem. Gliſcit intimè, omneſq; penitus animi receſſus pervadit inquietus horror; pavet ad omnia malè conſcium pectus, contremiſcit artubus, exalbeſcit metu, nec ſibi, nec Deo, nec ulli cohæret. Agunt tranſverſum animi peſtes omnes. Inteſtinum bellum, pugna horrida cæca tempeſtas. Nonne ſi quis hic adſis male tibi conſcius, peccati ſervus, mortis æternæ reus, Chriſti inimicus, metuis, imò præ metu contremiſcis, dum occurrit poſſe te, hac ipsâ, qua loquor horâ, quid dico, hoc ipſo, quo vivis momento; hoc ipſo, quo conſiſtis loco, juſto Dei judicio, repentè cadere, mori, interire, & ex hoc Templo ad Tartara deſcendere? Sed tamen quiſquis in hoc ſtatu verſaris, duo tibi ſunt cavenda; alterum, ne nimirum de Dei miſericordia præſumas; alterum, ne penitus diffidas. Præſumpſit Petrus, & cecidit; diffidit Judas, & periit. Si arguat conſcientia te eſſe reum mortis, ecce hic auctor eſt vitæ. Clamat auctor vitæ ad reos mortis: *Quare moriemini domus Iſrael? quare moriemini?* Iſa. 49. 8 Ecce hic ſudorem meum, ecce lacrymas, ecce ſanguinem? tot & tanta præſidia vitæ. *Quare moriemini?* Iſa. 46. 8. Ecce jam in Concilio conclamatum eſt contra me: *Reus eſt mortis*, jam condemnatus ad mortem; ecce aſcendo Jeroſolymam, ut moriar pro vobis: ecce columnam, ad quam flagellabor; ecce ſpinas, quæ caput pungent, ecce clavos, qui manus, & pedes penetrabunt: ecce Crucem, in qua moriar ego, ut vivatis vos. *Quare moriemini?*

nequaquam moriemini, sed vivetis. *Redite prævaricatores ad cor.* Redite à tenebris ad lucem, ab errore ad Veritatem, à peccato ad Gratiam, à morte ad Vitam, à vestris miseriis ad meam Misericordiam: Redite, redite: ecce aperti sunt oculi, ut vos clementer aspiciant; promptæ manus, ut redeuntes excipiant, extensa brachia, ut vos amplectantur, demissa labia, ut vos osculer. *Redite*, antequam sol occumbat supra malitiam vestram; antequam veniat nox, qua nemo potest operari: antequam expiret tempus miserendi. Redimus, redimus jam nunc hac hora, & momento ad te; quia nulla est securitas extra te, nulla voluptas sine te, nulla felicitas nisi in te. Relinquimus omnia propter te, quia non est in mundo qui non consoletur, non est usq; ad unum, præter te. Hodie vocem Misericordiæ tuæ audiemus, clamantis ad nos, *Redite*, ne audiamus vocē Justitiæ tuæ terribilem fulminantis, *Ite maledicti*, sed potiùs vocem illam optabilem, *Venite Benedicti Patris mei.*

*Matt. 25. 34.*

## §. VI.

### *Judæ vana pœnitentia.*

ADhuc in genis Petri calidæ stillabant lacrymæ, cùm ecce nova Christo crescit seges lachrymandi. Vix cœperat, qui ceciderat, stare Apostolus, cùm alius ita cecidit, ut fuerit collisus, Christo non supponente manum; quia pedes ejus veloces ad effundendum sanguinem innocentem, eam fugiebant. Judas hic est: Judas in Christi schola discipulus, in domo contubernalis, in familia œconomus, ad mensam socius, in itineribus comes, cum verba vitæ loqueretur, auditor; cum signa faceret, spectator. Hic Magistro divendito, cui tantum debebat, quantum

homo

homo Deo prope potest debere; præcedens crimen proditionis novo cumulavit scelere desperationis. Redire debuerat miser, unde abierat ad Jesum, hoc est, Misericordiæ sinum; sed diabolus, qui jam intraverat in cor Judæ, ut perderet Judam, duxit illum ad perditos Judæos. Itaq; *Iudas pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens: Peccavi.*

Noverat Judas Christum, & noctu à Caipha, & mane à Concilio damnatum, traditumq; Pilato tanquam brachio sæculari: tunc ratus actum esse de sua vita, cum ille, à quo vitam acceperat, reus esset mortis, qui fuerat seductus avaritiâ, ductus est pœnitentiâ. Neq;, ut putabat ipse, nimis serò, modo satis seriò; sed infelix fuit: neq; enim pœnitentia eum revocavit ad Dominum; sed, quia vana erat, traxit ad laqueum. Mordente, & pungente, & vellicante eum conscientiâ, currit ad illos, qui non possunt succurrere; ad Principes Sacerdotum, *dicens: Peccavi.* Peccavi: hæc formula est pœnitentis & confitentis. Quod confiteris laudo: sed illi confitere, qui habet potestatem ligandi atq; solvendi. Illi, quibus tu confiteris, habent potestatem, sed ligandi ad mortem, non solvendi ad vitam. Si clausum tibi existimes cœlum, illi non aperient, quia illis ut aperiant, non sunt traditæ claves regni cœlorum: si ligatus es, illi te non solvent, neq; à peccato absolvent? si lubet confiteri, confitere Sacerdoti Ecce Sacerdos magnus. Quod dicis: *Peccavi*, probo: sed illi hoc dicas, qui potest confitenti peccata tollere. Ecce, qui tollit peccata mundi. Dices fors: Hominem non habeo, qui peccata dimittat? Ecce homo, ex cujus ore toties audivisti: *Remittuntur tibi peccata tua.* Plurimis te præsente remisit, cur te illius clemen- *Matt. 9. 2*

tiæ non cõmittis? Potest hominis malitia certare cum Dei clementia, sed nunquam vincere. Petro pœnitenda remisit, ferè antequam pœniteret: cur tibi non remittet, postquam pœnitueris? Si angant te tua peccata, accede ad Jesum: *Ille peccatores recipit.* Luc. 15. 2 Prosternere ad ejus pedes: illic mulier in civitate peccatrix dum abluit ejus pedes, eluit suas sordes. Si leprosus es, audies ab illo, per quē *leprosi mundantur. Mundare*, & confestim mundabitur lepra tua. Luc. 7. 22 Mat. 8. 3. *Si cæcus es*, per illum *cæci vident*: audies, *Respice*, & confestim videbis. Luc. 18. 42. *Si æger es*, ipse est Medicus, de quo virtus exibat, sanabitte. Si errasti, Jesus est via: si mortuus es, Jesus est vita. Sed terrebat Judam seu pudor, seu timor, seu dolor. Cum tamen angustiæ ei essent undiq;, ne quidem ausus retinere argenteos, quibus illum, qui est *super millia auri, & argenti*, vendiderat, retulit illos, dicens: Psſ. 118. 72. *Peccavi.* Sed qui seriò peccaverat, non seriò pœnitens se peccasse, incidit in manus Dei Justitiæ, qui fugiebat à sinu ejus misericordiæ. Non sic impii, ut impiissimus Judas, non sic: nolite timere vos: non audiatur ex ore vestro, illud desperantis Caini: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear:* Gen. 4. 13 Audivistis paulò ante clamantem ad omnes, & exclamantem ad singulos Misericordiam: *Redite, redite prævaricatores ad cor.* Quid, inquies, faciam, ubi rediero? Imitare Evangelicum illum debitorem, qui debebat suo Regi centum millia talentorum: debitum prorsus immane. Quid is egit, ut debitum remitteretur? Matt. 18. 26. *Procidens servus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi* quid deinde? *Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Hic servus non remitti, sed differri dũtaxat debitum rogabat. Dominus autem atq; in

Misericordia Dei

eo

eo Christus ait: *Omne debitum dimisi tibi*, Cur hoc? *Quia rogasti me*. Non quia triduo in aqua & pane inediam sustinuisti; nō quia nocturnis te macerasti vigiliis; non quia peregrinando te fatigasti; nō quia pluribus annis cetoso amictu, & flagellis in corpus animadvertisti: non quia in eremum, & solitudinem secessisti: sed *quoniam rogasti me*. Eodē momento quo tu percutis pectus, cōmoventur ei omnia viscera; simul & rogas, & impetras: ubi stillat ex oculis vel una lachrymula, statim accurrit Misericordia, ubi prodiit ex ore tuo illa vocula, *Peccavi*, statim audis ex ore illius: *Remittuntur tibi peccata tua*. hoc est quod innuit D. Cyprianus: *Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec vitæ enormitas, nec horæ extremitas excludit à venia: sed in amplissimos sinus suos mater Charitas revertentes suscipit prodigos*. Ecce hic in ara conspicuū Patrē tot prodigorum, quot peccatorum. Conteratur cor, & loquatur os illud, non Judæ desperantis: *Peccavi, tradens sanguinem justum*: sed illud Regis Judæ pœnitentis: *Tibi soli peccavi*. *Tibi soli*, cui soli debetur omnis honor & gloria. *Tibi soli*, qui est solus Deus, quia non est alius prēter te. *Tibi soli* cui soli debeo omne bonum quod accepi hactenus, & quod acceptur' sum deinceps. *Tibi peccavi*, post tot in me collata beneficia, munera, favores, gratias. *Tibi peccavi*, cui debuissem parere ut Domino, servire ut Regi, diligere ut patrem, venerari ut Deum. Sed licet accuset me os meum, & compellat me dicere: *Tibi soli peccavi*, tamen cogit me quoq; dicere tua Clementia: *In te Domine speravi*: & quia *spes non confundit, non confundar in æternum*.

prompta ad remittenda peccata

*Luc. 7. 48*

*Serm. de Cœn. Dom.*

*Psal. 50.*

*Ps. 30. 2. Rom. 55.*

## §. VII.

### *Sacerdotum ad Iudam responsum.*

QUam non vanè dixerit Sapiens in sacris suis

Prov. 10. 28. adagiis, *Spes autem impiorum peribit*, docebit nos damno suo, utinam fructu nostro, impiissimus ille, prius discipulus Veritatis, nunc magister erroris, Judas. Is sciens pecuniam sibi partam iniquè & acceptam à Judæis, & à se possessam, projecit ad pedes Sacerdotum, dicens: *Peccavi tradens sanguinem justum*. At illi, nihil commoti pœnitentiâ, & testimonio Judæ impudenter dixerunt, *Quid ad nos?* scilicet, quod tu peccaveris, & tradideris sanguinem justum. Cur nobis hoc acclamas, & quasi sceleris tui complices accusas! *Tu videris*, tuum est videre & curare, an hoc feceris, & faciendo rectè feceris. Nostra nihil interest. Abi igitur hinc, & noli nobis esse importunus. Audiant hic omnes, qui *confidunt in divitiis suis*, qui confidunt in brachio carneo, qui confidunt *in principibus hominum, in quibus non est salus*. Judas, ex collegio Apostolorũ, apostata: ex militibus Christi, transfuga, Christi deseruerat castra. Unum sibi elegerat asylum, Principes Sacerdotum. In hac veluti arce spem omnem suam collocaverat. Illorum supercilio, quo tota nitebatur Synagoga, se fulciendum cõfidebat. Ad illorum amicitiam, perfidiæ flagitio irrepserat: ut illis placeret, Christo displicere pẽsi habebat. Non eum fugiebat, totam Synagogam ardere insigni odio Christi; Judæos omnes machinas excogitasse, quibus eum è medio tolleret. Ut ergo mercaretur eorum favorem, vendidit illis pretium mundi. Certus, quamdiu niteretur eorum benevolentia, benè omnia sibi fore, adeoque habiturum se præsentissimum in periculis refugium, in mœrore solatium, in necessitate præsidium. Christo interim ad mortem damnato, condemnabat Judã conscientia, dum accusabat sceleris nunquam remittendi. Tum ipse secum: Vendi-

Fiducia in hominibus vana,

Prov. 17. 28.

Ps. 145. 9

di Sal-

diSalvatorem; quid supereſt, quam ut perdam ſalutem? Tradidi ipſam vitam: quid reſtat, quam ut incurram mortem? Prodidi ſpem meam: quid reliquum quam ut deſperem? Major eſt iniquitas mea quam Caini: quidni juſtius dixerim quam Cain: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam mœrear.* Gen. 4. 3. Unum eſt, in quo ſpero, à quo & ſubſidium expecto, perfugium, Synagoga. Surgam ergo, & ibo ad Synagogam, & dicam: *Peccavi: tradens ſanguinem juſtum* Illo ſurgente & ad Principes Sacerdotum ſe conferente, videor mihi audire Sacerdotem illum magnum, dicentem tacitè illa verba Iſaiæ: *Super quem habes fiduciam, quia receſſiſti à me? Ecce confidis ſuper baculum iſtum arundineum, confractum.* Iſa. 36. 6. Ingreditur Templum Judas, vultu, quo reum decet, mœſto, & oculis lachrymantibus, crebro pectoris pulſu, nec ſine vocis ſingultu, ſceleris ſe inſimulat, dicens *Peccavi. Quid ad nos? Tu videris* Ah miſeremini miſeri: *peccavi, tradens ſanguinem juſtum,* & ecce morior. *Quid ad nos? Peccavi,* & peccatum meum contra me eſt ſemper: & ecce pereo. *Quid ad nos?* Mementote me gratiâ veſtri excidiſſe gratiâ Chriſti. Optabatis Chriſtum capere, ego modum, quo capi poſſet, ſuggeſſi. Volebatis eum tradi, in manus veſtras tradidi. Unum erat omnium votum, eum ad mortem condemnare: mihi debetis, quod jam ad mortem ſit condemnatus. Vendi eum volebatis vili pretio: vendidi eo, quo ſolent in foro pecudes, 30. argenteis. Unum pro tot beneficiis ut rependatis oro: adferre mihi in his animi anguſtiis ſubſidium, alias impendet mihi exitium. *Quid ad nos?* Deſpero ſalutem *Quid ad nos?* Abeo ad laqueum. *Quid ad nos?* Ita miſer Judas ab omnibus derelictus, nuſquam habet perfugium: à Chriſto deſperat auxilium, à Judæis non

Judas ab omnibus desertus desperat.

accipit solatium, à nullo, nec à cælo, nec à terra exspectat subsidium; intus illum terret, & affligit cõscientia accusans, supra Justitia minitans, infra dæmon oppugnans, à dextris homo deserens, à sinistris peccatum persequens. Tum demum expertus est Iudas nihil gravius esse in peccato, quàm peccasse. Itaq; ab Apostolatu, à Religione, à Christianismo exauctoratus, dimissus est secundum desideria cordis sui amari, duri, inhumani, ut qui in Magistrum suum impius, & crudelis fuerat, impiè item in se ipse sæviret. Erigite hic aures vos omnes, qui in hoc mundo estis de mundo. Veniet aliquando illud tempus, & veniet brevi, quoniam *tempus breve est*, quo clamabis, quando jam de vita erit conclamatum: Ah munde! succurre, *angustiæ sunt mihi undique*. Reclamabit sic clamanti illud Iudaicum: *Quid ad nos?* O socii quondam scelerum meorum administri, adeste: quia ecce *circumdederunt me dolores mortis: dolores inferni circumdederunt me Quid ad nos?* O Principes Domini quondam mei, in quorum obsequio oppignoravi sanguinem, exhausi sudorem, impendi vitam, perdidi animam, porrigite manum auxiliatricem: quia nunc *infixus sum in limo profundi, & non est substantia: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Quid ad nos?* Ah caro, cujus ut extinguerem sitim, toto die studui calicibus epotandis? cuj⁹ causa toties surrexi *mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usq; ad vesperum, ut vino æstuarem; Intinge extremum digiti tui in aquam, ut refrigeres linguam meã, quia crucior in hac flamma. Quid ad nos? Tu videris.* Hi sunt Domini quibus consecratis omne vestrum obsequium, vigilias, labores, sudorem, sanguinẽ, vitam, animam, omnia Hi sunt vituli aurei, quos adoratis. Hæc sunt idola quæ colitis, à quibus

In hora mortis, nullum à mundo expectandũ solatiũ.

1. Cor. 7. 29.

Dan. 13. 22.

Ps. 17. 5.

Ps. 64. 3.

Isa. 5. 11.

Luc. 16. 1

dum

dum jacebitis in lecto doloris in novissima hora, dum præ angustiis cordis totum corpus, & singula totius corporis membra frigido, & letali sudore diffluent: dum frangentur oculi, deficiet vox palpitabit cor, non aliud expectandum est solatium, non alia audituri estis verba, quàm, sudet, angatur moriatur, pereat, *quid ad nos?* Valeant ergo, quibus hactenus servivi, non Domini, sed Tyranni; non Patres, sed carnifices. Tibi me servum offero, & fidelem me fore in serviendo spondeo, ex quo aliquando audiam: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* In tua vinea operabor, qui operantibus es *merces magna nimis.* Tibi me, & mea omnia dedico, ad quem si in tribulatione clamavero, non audiã ut Judas, *Quid ad nos.* Sed ut ipse per Prophetam dixisti: *Clamabis & dicet; ecce adsum.* Te in necessitate invocabo, quia *quacunq; die invocavero te; ecce cognovi, quoniam Deus meus es.* Tibi offero omnes meas lachrymas, qui *absterges omnem lachrymam ab oculis meis.* Si cæcus sim, & clamem cum cæco illo, Iesu *Fili David miserere mei,* mox audiam quod ille cæcus: *Quid tibi vis faciam?* Si leprosus sim & tantum dixero, ut leprosus ille, *Domine, si vis, potes me mundare,* statim audiam: *Volo, mundare.* Si post sexcenta peccata dixero quod Iudas, sed non ut Iudas: *Peccavi,* illico audiam: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

*Matt.* 25. 21.
*Gen.* 15. 1
*Isa.* 98. 9.
*Ps.* 55. 10.
*Apoc.* 21. 4.
*Matt.* 18. 41.
*Matt.* 8. 4
*Matt.* 9. 2

## §. VIII.

### *Iudæ desperatio.*

QUàm sit horrendum incidere in manus Dei viventis, docet nos tremendum exemplum Apostoli pereuntis. *Et abiens laqueo se suspendit.* O tristem juxta ac infidelem abitum! *Abiens.* O quam sũt diversa illa extrema, terminus à quo, & termi-

nus ad quem! Unde abiit, quò devenit? Abiens à luce ad tenebras exteriores & interiores, à gaudio ad luctum, à solatio ad mœrorem, à tempore ad æternitatem, à mundo ad Inferos, ab hominibus ad dæmones, à Christo ad Luciferum, à summo bono ad summum malum. Iudas jam proximus exitio, tetras animo volvebat cogitationes: ferales menti occurrebant larvæ, tristes oculis objiciebantur imagines. Aspiciebat cœlum, illud videbatur in eum tonare, fulminare, sulphur & ignem pluere. Despiciebat terram, hæc sub pedibus ejus videbatur dehiscere, & aperiri, ut eum vivum absorberet. Inspiciebat conscientiam, illic videbantur omnes Furiæ ex orco emissæ, in pectore ejus stabulari, ut eum exagitarent. Circumferebat oculos per aerem, illic videbatur intueri dæmones in se debacchantes, & exitium minitates. Respiciebat Christum, ille videbatur ei severissimus Iudex, acerrimus vindex, crudelissimus Tyrannus. Ita omnia latè circumspiciebat, & nusquam solatium: omnia animo volvebat, & nusquam subsidium: omnia anxius, pavidus, solicitus perlustrabat, & nusquam perfugium: singula oculis, menti, memoriæ proponebat, & nusquam non vel impendens exitium, vel exitii imminens periculum. Scelus quod patraverat, videbatur ei inexpiabile. Sceleris veniam impetrare credebat impossibile; sic tamen vivere, erat & intolerabile; pertæsus ergo vitæ, vir mortis, ubi Filium Dei prodidit, se, sua omnia perdidit. Itaq; ingressus domum, quem fortè videbat, arripuit, vel certè quem non invenit, ipse sibi contexuit laqueũ. Et egressus foras, omnia tristibus oculis circumspectans & secum sævum immurmurans illud Job, sed alia mente: *Pereat dies in qua natus sum: & nox in*

Iob. 3. 2.

qua

*qua dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras: obscurent eum tenebræ, & umbræ mortis: occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Et illud Jeremiæ : *Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem, & consumerentur in confusione dies mei?* His & similibus questibus, ac planctibus aera complens, cùm videret se sine arbitris solitarium, inseruit collum in laqueum. Sed antequam spectemus miserrimum ejus casum, causam investigemus cadendi. Ecce hic, quibus gradibus descendatur ad malum summi mali. Primò occurrit animo prava dęmonis suggestio; huic, dum admittitur, succedit delectatio; tum, dum illa non repellitur, subsequitur consensio; deinde actus; ex frequentibus actibus nascitur cõsuetudo; illa vertitur in naturam : tandem ex his omnibus exoritur pertinax, obfirmataque in sceleribus conscisscendis voluntas, quam nulli inferi, nullæ minæ, nulla intentata supplicia dimoveant. Offunditur conscleratissimæ menti horrifica caligo, succedit immanis quidam ad omnia stupor: Exindè durum, inaccessumq; cor, & nulli cœli telis expugnabile: frustra clamant è cathedra oratores : frustra obtrudis pios, quos legant libellos : frustrà obtestaris per Christi patientis, dolentis, morientis, sanguinem, crucem, mortem: frustra commendas Sacramenta. Ridentur omnia; callus obducitur, gratiæ hinc diminuuntur, inde scelera, pestes, hostes corroborantur: conclamatum est Eò malum erumpit, ut neq; pejor esse, neq; fieri melior possit. Quid infelicius? sic obdurata mens obrigescit malis, & quasi designata ad perennes flammas victima, extremum exitium præstolatur. De tali homine rectè dixeris, quod de Juda Christus: *Bonum erat ei,* Ier. 20. 18. Matt. 26 24.

*ei, si natus non fuisset homo ille.* Bone Jesu, qui pro nobis & incarnatus es de Spiritu S., & natus es ex Maria Virgine: hicnè est aliquis ex hoc cætu, de quo in tuo, & Patris arcano Concilio dictum est ab æterno: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille?* Qui æternum planget, hac tristi elegiâ. *Pereat dies in qua natus sum;* Estnè hic aliquis, cui bonum esset non fuisse natum? O Jesu! timore & tremore concutis omnia ossa mea, dum attonas super caput meum illa fulminatrici sententia: *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Hoc est, nescit homo, an bonum erat ei, si natus non fuisset. Iterum voce tua tanquam rugitu leonis tremefacis cor meum, dū illa enuncias verba, ad quæ meritò tinniant aures omnium hominum: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Scio me vocatum, nescio electum. Vocatus fuit Judas, sed vocatus tantum, non item electus. Et tamen quomodo non paveo, & propè præ metu contabesco? Iudas semel te vendidit, & æternum periit; toties ego te vendidi, quoties gravius te offendi; & quasi securus de salute, certus de electione, non tantùm non timeo, non doleo; sed gestio, sed rideo. O Christe! timore pariter, & dolore oppressus, ductus pœnitentia, non illa qua Iudas, ego Iuda pejor, Iuda ingratior, totum me prosterno ante adorandos Majestatis tuæ pedes, quæ se prostravit ad pedes Iudæ, & dico cum Iuda, *Peccavi, tradens sanguinem justum*: sed sanguis tuus sit super me, & super animam meam, & clamet de terra, non Iustitiam, sed Misericordiam. Tu, qui lavasti pedes Iudæ, *amplius lava me*, quam Iudam, *ab iniquitate mea*, ut mundus ab iniquitate mea, sim dignus benignitate tua.

Matt. 26. 24.

Eccl. 1.

Matt. 20.

Ps. 50.

§. IX.

## §. IX.

### *Iudas se suspendit.*

IUdas semen Chanaan, & non Iuda, delusus à Principibus Sacerdotum, repulsus à Synagoga, segregatus à Christi contubernio, separatus ab Apostolorum collegio, destitutus omni solatio, ubi jã aperuit oculos, videns se spe argentei lucri vẽdidisse Justitiam, Misericordiam, innocentiã, animam, cœlum, Deum, omnia; filius confusionis, & perditionis, perdidit tandem illam, quæ nunquam confundit, spem; quare hæc Davidis secum repetens: *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit*: ut ad inferna descenderet, arborem ascendit; seu illa fuerit ficus, ut vult Beda, vel potius ut alii, sambucus, quæcunq; denique fuerit, non fuit arbor bona, quia malum fructum tulit: inserto in collum laqueo, ex ea se præcipitẽ dedit, ut valido corporis impulsu, & libratione, laqueum fortiùs adstringeret, atq; ita se præfocaret citiùs: quæ his paucis verbis perstrinxit Matthæus: *Abiens laqueo se suspendit.*

*Dan.* 13. 56. *Psal.* 87. 5. *Matt.* 27. 5.

Tenet omnes, & in terris homines, & in tartaro dæmones, & in cælo Angelos ingenti stupore attonitos, atq; suspensos, è ferali arbore suspensus, tanti Magistri discipulus, tanti Domini famulus, Christi Apostolus Judas. Numquid hæc audiens, hæc videns, meritò interroget cum Isaia: *Quis audivit unquam tale? quis vidit huic simile?* O vos Angeli, qui hoc vidistis! ô homines, qui hoc auditis! ô dæmones, qui ad hoc instigastis! exclamate cum tota rerum universitate illud Paulinum: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus; & investigabiles viæ ejus!* Siccine discipulus Domini incidit in laqueum diaboli? *Abiens laqueo se suspendit.* Sic miser abiit, obiit, periit.

*Isa.* 66. 8. *Rom.* 11. 33.

periit, Abiit à Christo: obiit in mundo; periit in orco. *Suspensus crepuit medius*; quia Mediatorem Dei, & hominum vendidit. *Diffusa sunt omnia viscera ejus*: quia illum tradidit; in quo erant *viscera misericordiæ Dei*. Laqueo se suspendit, quia laqueũ paraverat pedibus Christi. Postquam *gustans gustavit paululum* mellis: postquam libavit gaudium avaritiæ, quod, ut loquar cum Job, est *ad instar puncti*, statim arborem conscendit, & repentè *securis ad radicem arboris posita est*, & in puncto ad inferna descendit: imò descendit, ut utar verbis Moysis, *usq; ad inferni novissima*: ut impleretur illud Christi, *erunt primi novissimi*. Cui unquam incidisset cogitare, cum videret Judã ex infinita hominum turba eligi in Apostolum, assumi in Christi discipulum, ascisci in ejus œconomum: cum videret eum, ut cæteri Apostoli, ejicientem dæmonia, patrantem miracula: cum videret Christum lavantem ejus pedes, accumbentem cum eo in mensa, Christum pascentem eum carne, & sanguine, osculantem eum, appellantem amicum: cui, inquam, incidisset unquam cogitare, Hic se laqueo suspendet? & tamen *abiens laqueo se suspendit*. O Juda! Iuda, erat tibi parata mensa, paratus thronus; dixerat enim tuus Magister: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, ut sedeatis super thronos judicantes 12. tribus Israel*. Quis te expulit illo regno? quis privavit hac mensâ? quis dejecit è throno? quis exuit spe totac tantorum bonorum, nisi cupiditas, *radix omnium malorum*? Voluisti esse dives pecuniæ: factus es inops gratiæ, & hinc expers gloriæ. Divitiæ *laqueum paraverunt*, non tantùm *pedibus tuis*, ut caderes, sed & capiti tuo, ut te suspenderes. Ex cupiditate orta est proditio, ex

Act. 1. 18.
Luc. 1. 78
1. Reg. 14. 43.
Iob. 20. 5
Luc. 3. 9.
Deut. 32. 22.
Marc. 10. 31.
Luc. 22. 29.
1. Tim. 6. 10.
Ps. 56. 7.

hac

hac nata desperatio, inde secuta perditio. Sed *perditio tua ex te.* Juda. Non debes Filio hominis, quod fueris filius perditionis. Ipse enim ex ore ejus audivisti: *Filius hominis non venit animas perdere sed salvare.* O Iuda! si post projectos argenteos in templo abiens venisses ad Iesum, & osculatus fuisses, non ut proditor ejus, sed ut peccator, pedes; & sic illic ipsa tui Magistri citasses verba, dicens; Tu dixisti: *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Perditus sum, salva me: salva res erat; certò audivisses, quod peccatrix illa; *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* O Iuda! quomodo confusio operiet faciem tuam, quomodo stridebis dentibus in die illa magna, quando videbis Petrum, Ioannem, Iacobum & reliquos, socios olim tuos, tunc Iudices sedentes super duodecim sedes, & inter illos Matthiam, qui tibi sorte successit in episcopatum, sedentem in illa sede, quæ tibi parata erat? tu verò jacebis sub eorum pedibus, ab iis judicandus, & condēnandus? O Iuda, vel ideò miserrimus, quia eo die periisti quo nihil erat facilius quam salvari: in ipso die salutis, quo mortuus est pro mundo Salvator mundi: illo die, quo consummatum est opus Redemptionis: illo die, quo Christus omnem, quem sacratissimis suis venis cōcludebat; effudit sanguinē. O Iudas! *quia si cognovisses & tu, & quidem in die illa qua ad pacē tibi,* dum osculatus es principē pacis! sed hæc abscondita fuerunt ab oculis tuis, quia tu abscondéras ab eo faciem tuam. O Iuda! quantum mihi de impietate cōcedis? Uno hoc tibi, cætera inferior, nequiorq; antesto, quod veniam ab eo, quem plus, quā tu offendi, & sæpius prodidi, sperē, adeò benigno, atq; ad ignoscendū prompto, ut desperare de scelere, sine novo scelere, maximaq; ejus injuria,

*Ose.* 13. 9.

*Luc.* 9. 59.

*Luc.* 7. 40.

*Luc.* 19. 42.

Desperare de Dei clementia, est ultima malitia.

ria, non possim. Gravissima enim, quæ fingi potest, est injuria, de illius desperare clementia: quia qui de ea desperat, quantũ potest Deum destruit: dicit enim plura se posse scelera cõmittere, quam ille possit remittere, atq; adeo sacrilege asseverat, Deum non esse infinitè misericordẽ. Si Deus non est infinite misericors, non est Deus. Cur ergo desperas peccator? Nunquid Deus vult mortem peccatoris, pro quo mortuus est? Desperare nos Deus vetat, sperare mandat. Quid? an veniã petentibus negabit, qui, ut petamus, imperat? quomodo hæc duo simul subsistunt, Christi passio, & Christiani perditio? Christus passus est, ne perirem, & postquam passus est, peribo? Scio Domine, non ideò desiisti esse infinite bonus, quia ego cœpi esse malus: non est major iniquitas mea, quã bonitas tua, majora sunt Filii tui pro me merita, quã mea contra te scelera. Filius tuus mortuꝰ est: pro quo? pro se, an pro me? Ipse peccatũ non fecit, ego in peccatis conceptus, & in peccatis natus sum totus; plus Filius tuus pro me solvit; quã ego tibi debeo solvenda. Age, appẽde in statera, hinc mea debita, inde Filii tui merita, si adhuc inveniar ego minus habens, si plus ego debeã peccator, quam solverit pro me meus Salvator; fateor, reus sũ. Filii tui pro me effusus sanguis, salutis mihi est pignus. Si dicas: Illud quod petis, infinitum est præmium, accipe pro præmio infinitum pretium. Plus valet gutta sanguinis ejus vel unica, quàm tota cœlestis regni gloria. O Jesu! propter te inveni gratiam in oculis Patris tui, & desperabo de misericordia fratris mei? Tu es *spes mea ab uberibus matris meæ*. Licet ego peccaverim, & ideo dignus sim qui puniar in æternum, tamen idem qui peccavi, *in te Domine speravi, non confundar in æternum.*

Spei actus.

CA-

# CAPUT V.

## Christus in prætorio Pilati.

### §. I.

*Accusatur coram Pilato.*

JAm in domo Caiphæ nox præcesserat Christo molestissima, dies autem appropinquabat nobis felicissima, *dies salutis*, utpote quâ mortuus est Salvator; dies plena ingentium prodigiorum, dies fatalis Christo, sed natalis mundo: *dies tenebrarum, & caliginis*; quia tunc impletum est illud celebre vaticinium Joelis; *Sol convertetur in tenebras:* & tamen ne tunc quidem, illo die appropinquante Judæi abjiciebant opera tenebrarum, erant enim ex illis, de quibus Judas Apostolus scribit, *quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* Quare cœlo adhuc albescente, aurorâ vix lucente, vel, ut ait Marcus, *Confestim mane consilium facientes summi Sacerdotes, cum Senioribus & Scribis, & universo concilio vincientes* JESUM, *duxerunt, & tradiderunt Pilato.*

*1. Cor. 6. 2.*
*Ioel. 2. 2.*
*Ioel. 2. 31*
*Iud. epist. 11. 19.*
*Marc. 15. 1.*

Nunquam ab hominum memoria, ullum Concilium, ullum prætorium, ulla curia, ulla basilica, tam celebris fuit hominum accurrentium confessu, quam illo die, Prætorium Pilati. Illuc enim confluxerunt viri totius urbis, auctoritate, scientiâ, prudentiâ, consilio, sapientia præstantissimi, ac selectissimi, summi Sacerdotes, Scribæ, Seniores populi, hoc est Sapientiæ oracula, Scientiæ miracula. Eodem conveniebant plusquam duodecim legiones Angelorum, omnes Angeli pacis, ut egressi foras, id est è cœlo, cum Petro amarè flerent. Conveniebant eodem, fractis inferorum

repagulis Principes tenebrarum, ut Principes Sacerdotum stimularent ad invidiam, Pilatum ad injustitiam, carnifices ad crudelitatem. Aderat in medio illorum, qui medius est inter Patrem, & Spiritum S. Filius Dei, paulò post futurus vix filius hominis; quia *vermis & non homo*; vel si homo, *opprobrium hominum*. Hic omnium, & hominum, & dæmonum, & Angelorum oculi conversi erant in prætorium Pilati. Ingens erat cœlorum, terrarum, inferorum exspectatio, de hoc Concilio, in eoque consiliorum eventu. Facto jam in Concilio alto silentio, omnibus aures arrigentibus, & animum ad dicenda attendentibus, Seniores populi, hoc est, ministri selectiores diaboli, *exacuerunt ut gladium linguas suas*. O Christe! hic opus erit, vel magna, qua te defendas eloquentia, vel maximâ, quâ sustineas patientiâ. Nunc enim implebitur illud, quod tu ipse Davidi olim dictasti de te vaticinium: *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens*. Et illud *Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me*. Audiamus modò quid dixerit tibi os peccatoris, hoc est, os omnium nostrum. Primus insigni majestate consurgens tanquam tertius è cælo Cato veluti oracula è tripode effusurus, sic orsus ab alto est: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram*. Quid ad hæc Christus? Jesus *autem nihil respondit*. Quid? potest. nè hic silere? Nonne scis, quia, *non est in ore ejus veritas*? Nolle propugnare veritatem, est approbare mendacium. Non possum hic imperare mihi ut sileam: quare respondebo ego, & convincam. quia *maledictione os ejus plenum est, & amaritudine, & dolo*. quid ais, subvertit gentem nostram? *Rectè mentitus es in caput tuum*. Non gentem vestram subver-

Ps. 21. 7.
Ps. 63. 4.
Ps. 21. 14
Ps. 148. 1
Ps. 5. 10.
Ps. 9. 7.
Dan. 13. 55.

vertit; sed gentis vestræ inimicos evertit, dũ Pharaonem cum exercitu suo submersit in mari, dum duxit vos per mare rubrum, dum induxit vos in terram lacte & melle fluentem. Hoccine est gentem subvertere? Surgit mox alter: *Hunc invenimus prohibentem tributa dare Cæsari. Rectè mentitus es & tu in caput tuum.* Dixit enim disertis verbis: *Reddite quæ sunt, Cæsaris, Cæsari.* Iubere tributa reddi, estne prohibere tributa dari? Vix secundus siluit, cùm tertius os aperuit: *Invenimus hunc dicentem, se Christum regem esse.* O genimen viperarum! *non es mentitus homini, sed Deo.* Quin potius, *cum cognovisset quod venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, ipse fugit solus in montem.* Sed quid ego Christum defendo? Non defensoribus istis Christus eget. Itaq; ad nos convertatur oratio; nec enim hic deerit accusatio. Non soli Judæi, sed & Christiani Christum accusant in multis. Dũ in obscuro fornice, in tenebricoso angulo, impunè vacant libidini, accusant perspicacissimam ejus intelligentiã cæcitatis, & dicunt cum illis Susanneis nebulonibus: *Ostia pomarij clausa sunt, nemo nos videt.* Quid hoc est, nisi Deus cæcus est? Clausa est porta domus, clausa janua cubiculi, sol occidit, extincta lucerna est, densi in conclavi parietes, oppansa in lecto cortina, nullus arbiter, aut testis; eja, audeamus, impunè peccabimus; quia *nemo nos videt.* Accusant ejus providentiam injuriæ, dum status Reip. turbatur, dum justus patitur, innocens cõdemnatur, Hæretici dominantur, jactantq; cum illis Politicis apud Job: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.* Accusant ejus sapientiam ignorantiæ, dum personata, fictaq; pietate, tegunt impietatem, ac subdola vafritie, & ingeniosa nequitiâ deprimunt Innocentiam,

Matt. 22. 2.

Act. 5. 4

Ioan. 6. 15

Accusãt varii de variis Christũ.

Dan. 13. 20.

Iob. 22. 14

centiam, evertunt Justitiam, affligunt Pietatem, dicentes, cum impiis illis apud Psalmographum: Ps. 72. 11. *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelsis?* Accusant ejus Justitiam iniquitatis, dum imperterriti accumulant scelera sceleribus, quasi parcat, ubi plectere oporteret, & dicunt cum perversis illis: Eccl. 5. 4. *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* Hactenus audivimus fictas accusationes, & falsa contra te, non Judæorum tantum, sed & Christianorum testimonia. Unum adhuc supereſt, in quo te accusem: quod charitate nimia dilexeris me; Sciebas me tibi post tantum amorem mihi exhibitum, fore perduellem; post tot beneficia in me collata, ingratum, post tot supplicia pro me tolerata, impium, post tot favores in me congestos, perfidum; & tu diligebas me. Est charitas nimia. Sciebas me texere, quibus te ligarem, funes: colligere, quibus te flagellarem, virgas: parare, quibus te coronarem, spinas; cudere, quibus te perforarem, clavos: fabricare, cui te affigerem Crucem, & diligebas me. Vere charitate nimia dilexisti me. At ego innumerabiliũ scelerum reus, quo fugiam? quem mihi adsciscam, qui pro me loquatur, patronum? quem mihi adoptabo, qui causam meam defendat advocatum? Audio vocem plenã solatii pro reis, & ni fallor, est vox dilecti; quia est vox discipuli, quem diligebat Jesus. 1. Ioan. 2. 1. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, IESVM Christum justum.* Ego ergo, tot criminum reus, filius iræ, hæres gehennæ, exul cœli, ab hostibus accusatus, à Patre tuo condẽnatus, ab omnibus desertus, accedo ad te, reorum omnium Advocate. Ah! non pudebit coram te dicere, quod non puduit contra te facere. Peccavi in cœlũ, & coram te; imò in te. Desperarem, si vel alium quam te offendissem, vel aliũ pro me

Christi in nos amor.

præter

prẽter te haberem Advocatum apud Patrem. Accedo ergo te cum fiducia, superbus ad humilem, iracundus ad mitem, crudelis ad clementẽ, cæcus ad lucem, sitiens ad fontem, esuriens ad panem, infirmus ad Medicum, impius ad Pietatem, miser ad misericordiam, mortuus ad Vitam. Omnia me accusant de crimine pessimo, cælum, terra, Angeli, homines, dæmones, tempus, locus, singula corporis mei membra; hæc omnia me accusant in multis. Vide ô Advocate an possis causam meam sic agere, ut non peream. *Scio*, salvare potes, es Deus: salvare debes, es Jesus. Sic ergo agas causam meam apud Patrem, ut aliquando ostendas nobis Patrem, & sufficit nobis.

## §. II.

### *Pilatus Christum à Iudæis accusatum excusat.*

FUerat Christus jam damnatus à Judæis in domo Pontificis, voluit & damnari à Gentilibus in domo Præsidis, ut qui venerat pro omnibus offerre vitam, ab omnibus damnaretur ad mortem, reperit tamẽ mitius sibi tribunal profanũ, quàm sacrum, humaniorem erga se judicem Gentilem, quàm Iudæum. quod pronum erit conjicere, si utriusq; voces expendas. Vox Gentilis est: *Quid mali fecit?* Vox Iudæi est; *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Vox Gentilis est: *Nihil invenimus causæ in hoc homine.* Vox Iudæi est. *Commovet populum docens per universam Iudæam.* Vox Gentilis est: *Nullam causam mortis invenio in eo.* Vox Iudæi est: *Debet mori.* His nequaquam territus Pilatus, non præcipitat judicium; statum totius causæ accuratè discutit; rem omnem per viam Iuris, & Iustitiæ terminos vult decidi. Quærit, interrogat,

Judæi iniquiores in Christũ quàm gentiles *Marc.* 15.14. *Ioã.* 18.3. *Luc.* 23.4 *Ioã.* 11.5. *Ioã.* 11. 23. *Io.* 10.74

rem examinat, considerat accusationes, expendit testimonia, discutit omnia Et ecce, reperit in accusatoribus invidiam, in testimoniis versutiam, in omnibus nequitiam, in solo reo innocentiam. Circumspicit Pilatus, ubi sit Christi advocatus, qui ipsius causam defendat; nullus comparet. Exspectat ut videat quid pro se dicturus sit reus silet. Hæret Pilatus ingenti stupore attonitus, perstrictus partim fulgore tantæ majestatis, qui in vultu micabat, partim singulari modestiâ, qualem nunquam aliàs in ullo reo observaverat. Ut ergo vidit omnes contra Christum, nullum pro Christo, tunc dicit illi Pilatus: *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?* quid ergo non respondes? quid siles? cur nihil pro tua causa adfers? cur argumenta non refellis? dic saltem aliquid in speciem. Ipse ego causæ tuæ favebo: experieris me magis patronum, quàm Judicem. Jesus autem *non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer.* Hoc enim verò silentium ingens complectitur mysterium. Agitur hic de Christi honore, fama, fortunis, vita: & silet. Reprehendebatur paulò ante Magdalena à Juda, & loquebatur pro ejus causa, illamq; propugnabat, conveniebat illum Samaritana mulier, & multis cum illa sermocinatus est. Accusabatur mulier inventa in adulterio, & tam disertè ejus causam egit, ut unus post unum exiret. Jã qui pro aliorum causa tam fuit facundus, pro sua est mutus. Libenter offerrem, ô Christe, tibi officium linguæ meæ: sed cogor fateri cum Moyse: *Non sum eloquens, & impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Nihil magis opto, quam in hoc Concilio pro tua causa loqui. Sed quid dicam, nisi cum Jeremia: *A, a, a, Domine, ecce nescio loqui, quia puer ego sum;* Convertam

Matt. 27. 13.

Ier. 1. 6.

tum me ad auditores. Hic adsunt Causidici, Advocati, Iurisperiti, qui norunt innocentium causas discutere, dirimere, defendere. Ecce quem unum habemus Advocatum apud Patrem, ab impiis accusatur ut nocens, condemnandus ut reus, nisi quis pro ipso loquatur. Pater, qui quondam dixit: *Hic est filius meus dilectus*, silet. Spiritus sanctus, qui *scientiam habet vocis*, tacet. Cœli, qui tamen *enarrant gloriam Dei* silent. Angelis loqui non permittitur. Mater abest: Apostoli fugerunt; amici hic nulli comparent. Nullus in cœlo, in terra, in toto universo est, qui pro Christo loquatur, qui pro Verbo Patris verbum efferat. Ipsemet qui *ex ore Altissimi prodivit*, est *sicut mutus non aperiens os suum*. Sic justus perit, & nemo recogitat, nemo loquitur. Ubi es Causidice, qui in foro tanta vocis contentione ad ravim usq; declamas? Quid hic siles Advocate, qui soles etiam iniquas causas tantâ eloquentiâ tueri, ut iniquitas videatur æquitas? Quin jam loqueris Iurisperite, qui in promptu habes omnes regulas Iuris; qui nosti omnes Canones, & Pandectas? Fac modo pro Innocentia, quod soles facere pro pecunia. Hic habet suum patronum, qui in causa, etiam iniqua, loquatur, sordidum scortum, impudicus leno, impius parricida, publicus latro; & auctor Vitæ Filius Dei, Iesus solus non habet qui pro illo loquatur? Reperi, reperi, qui pro Christo loquatur, oratorem, quovis Tullio facundiorem, qui Iudæos confundet, & arguet injustitiæ, qui illorum refellet argumenta. Quis est hic, & adducemus eum ad Pilati prætorium? Nescio quis sit, sed adducam illum coloribus propriissimis expressum à Davide. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum. Locuti sunt adversum me linguâ dolosâ,*

*Matt.* 12 18.
*Sap.* 1. 7.
*Ps.* 18. 1.
*Eccl.* 24. 5
*Ps.* 37. 13.
*Ps.* 21. 13.
*Ps.* 18. 1. & 46.

Silere ad convitia est Christum accusatum defendere.

losâ, & sermonibus odij circumdederunt me. Inimici mi dixerunt mala mihi. En hominem undiq; dilaceratum maledictis, convitiis, contumeliis. Sed quid respondit ad tot convitia? quid opposuit pro sui defensione; quibus verbis causam suam defendit? Audite. *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutionem.* Ps. 38. 14. En oratorem, en Christi patronum. Nullius eget eloquentia pro sui defensione, Innocentia. Christi causa defenditur silentio, non eloquio. Qui audit maledicta mutus, non redarguens, non obloquens, ille est eloquens. Hoc est pro Christo disertissimè perorare; dum impeteris convitiis, propter Christum silere. Hoc silentium majori excipitur plausu à toto cœli amphitheatro, quam olim omnes vel declamationes Quintiliani in foro, vel orationes Tullii in rostris, vel Argumenta Aristotelis in Lyceo. Hoc silentium attentam reddit universam cœlestem curiam. *Mors & vita in manibus linguæ*, ait Sapiens: Si *maledicimur, & benedicimus*; si *blasphemamur, & obsecramus*; lingua nobis est vita. Si *reddamus malum pro malo, maledictum pro maledicto*, lingua nobis est mors. Ut hæc lingua mihi sit vita, *pone*, Domnine *custodiam ori meo, ut non delinquam in lingua mea.* Ostendam mundo, me non diligere te verbo, neq; linguâ, silendo ad opprobria, non loquendo nisi Dei magnalia. Hic in exilio *lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam*, postea, uti spero, in Patria, *Misericordias tuas in æternum cantabo.*

Prov. 18. 21. 1. Cor. 14. 12. 1. Pet. 3. 9. Ps. 140. 3. Psal. 34. 28. Ps. 88. 2.

## §. III.

### *Pilatus Christum de variis interrogat.*

Pilatus, auditis tot cõtra Christum criminationibus, ac deinde Judæorum vociferantiũ tumultibus,

multibus, placuit clam cum ipso reo, abscondito oculis ejus Deo, tusius conferre. Illum ergo solum sine arbitris ad se intrò accersivit, binisq; de rebus sumi momenti scisscitatus est. Primum: *Tu es Rex Iudæorum? Respondit* Jesus: *A temetipso hoc dicis? an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi, Quid feciſti? Respondit* Jesus: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ioan. 18. 39

Væ ergo mundo, si tu non es Rex mundi. Væ isti regno, cujus non idem est rex, qui est Rex regum, id est, Jesus. Valeat mundus, si regnum Christi non est de hoc mundo. Quid mirum si regnum ejus non sit de hoc mundo? quia cum in mundum venit, *mundus eum non cognovit.* Regnum de hoc mundo, si spectes locum, non est nisi punctum. Quid angustius? si spectes tempus, non est nisi momentum. Quid contractius? At Regnum Christi, est *Regnum omnium sæculorum.* Hoc ergo Christi responsum fuit Veritatis pronuntiatum: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Alterum quod à Christo quæsivit Pilatus, fuit illud, *Quid feciſti?* O Pilate! magni, imò maximi ponderis est ista tua interrogatio, quam duabus voculis perstrinxisti, dicens: *Quid feciſti?* Possem tibi brevissimo verborum compendio exponere quid Jesus fecerit, dicendo: *Omnia per ipsum facta sunt.* Sed malo singularia quædam adferre, ut singularem ejus in nos percipias amorem. Tu petis à Jesu: *Quid feciſti?* Ipse tibi id nunquam exponet, vetat hoc ejus modestia: ego illius agam interpretem: hic enim tempus est loquendi. Audi igitur quid fecerit. *In principio creavit cœlum & terram. Formavit hominem de limo terræ, & inspiravit in eum spiraculum vitæ. Omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra.* Regnum Christi est æternum, mundi momẽtaneum, Ioan. 1. Pſ. 114. 13 Ioan. 1. 3. Gen. 1. 1. Gen. 2. 6. Pſ. 13. 46

Evolve librum Geneſis & illic abundè intelliges mirabilia quæ fecit. Denique ſunt tam *multa quæ fecit* Jesus, ut *ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Tu quidem Pilate petis à Chriſto, tanquam Judex à reo, *Quid feciſti?* Sed erit aliquando tempus, quando ipſe ſedebit à dextris virtutis Dei, & àte reo gehennæ ignis, petet: Pilate, quid feciſti? Tùc non dices: *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus;* ſed dices cum Juda: *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum.* Sed quid ego hic Pilatum adduco in exemplum? cùm & mihi ejuſdem ſceleris reo aliquando dicetur: *Quid feciſti?* Nullum eſt fulmen quod ita perſtringat oculos, nulla vox tam terribilis, quæ ita percellat mentes; nullum tonitru, quod ita feriat aures, ac verba illa, & animum percellant, ac corpus concutiant, à Judice prolata coram ſuo tribunali: *Quid feciſti?* Quiſq; hic obiter ſingula totius ante actæ vitæ ſcelera percurrat, & inveniet ſe feciſſe ferè ea omnia, quæ Deus eum facere prohibuit. Chriſtus præcipit: *Diligite inimicos veſtros;* Ego odio habeo inimicum. Clamat Chriſtus: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Tonat, fulminat contra divites: *Væ vobis divitibus, quia habetis hic conſolationem veſtram.* Paupertatem à Chriſto commendatam deteſtor, divitias à Chriſto damnatas conſector. Quod Chriſtus prohibet fieri, facis, & judicas faciendum, & approbas factum. Peccatoris, non ut ejus, qui *peccatum non fecit,* ſcit *reprobare malum, & eligere bonum;* ſed hæc una eſt ſcientia, reprobare optima, eligere peſſima. Nihil utilius animæ, humilitate; nihil inutilius ſuperbiâ: illam reprobat, hanc eligit. Quid hoc eſt quam Chriſtum arguere, vel ignorantiæ, qui neſcivit quid eſſet eligendum;

Ioan. 21. 24.

Ratio factorũ reddenda in judicio terribilis.

Matt. 5.
Matt. 5.
Luc. 6. 24

1. Pet. 2. 22.
Iſa. 7. 15.

dum; vel impudentiæ, qui cùm sciret quid esset eligendum, non rectè elegit, vel reprobavit; Hæc peccatoris est in mente cæcitas: sed non minor est ejus in voluntate perversitas. Quid amas peccator? Quid quid non est Deus? Amas Patrem, quia te genuit: Magistrum, quia te docuit, Medicum, quiá morbum repulit: Chirurgum, quia vulnus obduxit: amas equum, quia tibi commodus, canem, quia fidelis: quodvis jumentum, quia utile: amas vestes tuas, quia te operiunt: ignem, quia calefacit: solem, quia illuminat; panem, quia nutrit: & solum ab amore tuo excipis Jesum? Non amas Jesum, amorem Patris? Quidquid est amabile, per amantissimum Jesum est amabile. Si ab illo petas quod Pilatus: *Quid fecisti?* Audies respondentem: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Si ergo non debuit, nec potuit ultra facere, illene solus, cui soli omnia debes, corde tuo excludetur? Jesum non amas præ omnibus, qui tibi est omnia? Cur non amas præ omnibus, qui non tantum propter te fecit omnia, sed est tibi omnia? Crimen est inimicos non dilexisse: quale crimen erit Christum amicorum maximum non dilexisse? quanti odio habuisse? quid dicam injuria affecisse? Diligit Ethnicus diligentem se, & non diliget Catholicus morientem pro se? Amat Gentilis benefactorem, & non amabit Christianus Redemptorem? Interim mi Jesu, cùm fieri nequeat ut tantum amem te, quantum mereris amari à me, gaudeo Bonitatem tuam esse tantam, ut non possit satis pro merito diligi. Gaudeo, quod tu solus sis, qui te possis satis, ut mereris, amare. Saltem hoc per illum, qui pro me mortuus es, amorem tibi supplico, ut cùm non possim tantum te

Amam omnia præter Christũ.

*Isa.5.4.*

*Lib. de Vir.*

te amare, quantum debeam, tantum amem quantum valeam.

## §. IV.

### *Proponuntur populo Christus & Barrabas.*

QUid, & quantum possit contra Innocentiam Invidia, fulta timidi Judicis nequitia, hodie patebit Judæorum, Barrabam præ Christo eligentium, malevolentia. Pilatus, homo quidem malus sed non omnino pessimus, Judex timidior quam æquior, satagebat Christum, quem sciebat perinvidiam traditum, donare libertate; sic tamen ut & ipse non excideret sua dignitate. Itaque quod unum videbat præsidium sibi relictum ad Christum liberandum, eo uti placuit: illud autem erat solennis apud Judæos consuetudo, die Paschatis, dimittendi unum vinctum. Sic enim Matthæus: *Per diem autem solennem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barrabam, an IESVM?* Cap. 27. 16.

Barrabæ effigies graphicè expressa.

Quæso vos qui hæc auditis, suspendite tantisper vestra judicia, nolite adhuc dare suffragia, retinete paululum calculos vestros, seu ille sit ater, seu candidus, donec utriusq;, qui hic omnibus proponitur, conditionem probe omnes intelligatis, ut hac intellecta, tum demum possitis prudenter reprobare malum, & eligere bonum. Præcedet ordine, quem Pilatus præposuit nomine Barabbas Barabbæ lineamenta atris coloribus adumbrarunt, & graphicè expresserunt Evangelistæ. Hic, teste Marco, *in seditione fecerat homicidium*; teste Joanne erat *latro*; teste Matthæo, erat *insignis* latro. Erat ergò Barabbas homo insigniter barba-

barbarus, atrociter sævus, gnaviter sceleratus, ferociter pernicioſus; omnium qui in Judæa vivebant, longè teterrimus; cujus vel nomen quisque cum audiret, abominabatur: qui propter scelera erat conjectus in vincula, propter homicidia erat inviſus omnibus; propter latrocinia reus mortis; nulla re dignior quàm agi in furcam, & pendere è cruce. In urbe fuerat homicida, in ædibus fur, imò trifur, in viis prædo, in semitis graſſator, in ſilvis latro, ubiq; nequam. Erat peſtis patriæ, fax Jeroſolymæ, turbo Judææ, inſigne odium omnium Judæorum. Fingi prope nullum maleficium poteſt, quo ſe non contaminaverat. Denique omnes eum execrabantur, præter illos qui ei sceleribus erant ſimillimi. Et quis poterat illi monſtro eſſe ſimilis? Illum ergo è nebulonum grege maximè egregium, è carcere eduxit Pilatus, & in conſpectum omnium produxit, nullus dubitans, qui ubi hominem vel aſpexiſſent, diris omnibus devovendum ab omnibus. Hic eſt ille qui comparatur cum eo, qui *melior eſt cunctis pretioſiſſimis; cui omne deſiderabile non poteſt comparari*, id eſt, cum Jesu. Si quid in mundo eſt pretioſum, ideo eſt, quia Jesus illud condidit: ſi quid eſt pulchrum, ideò eſt, quia Jesus illud ornavit: ſi quid amabile, ideo eſt, quia Iesus illud dilexit: ſi quid ſuave, ideò eſt, quia Iesus illud tetigit. Cur adeò omnibus optabile eſt cœlum? quia Iesus illic in gloria regnat. Cur adeò ſpecioſa eſt terra? quia Iesus illam pedibus calcat. Cur adeò ſaluber eſt aer? ideò quia Iesus inde reſpirat. Si quis in hac vita eſt felix, ideò eſt, quia Iesum amat: ſi quis ſecurus, propterea eſt, quia in Iesu ſperat: ſi quis nobilis, ideo eſt, quia Iesu obtemperat, ſi quis lætus, ideò eſt, quia Iesum deſiderat: ſi quis ſapiens,

*Prov. 8. 11.*

A Chriſto bona omnia.

ens, ideò est, quia IESUM audit : si quis castus, ideò est quia de IESU cogitat. IESU servire summa est dignitas, sequi securitas, confidere tranquillitas, osculari castitas, frui felicitas. Pro IESU certare, est victoria; pati, gloria; mori, salus. Satisne capitis, quis, qualis, quantus est Iesus? Nihil dixi de Iesu, si conferatis cum dicendis. Plura accipite. Congrega hic omnes, qui post homines natos fuerunt, sunt modò, erunt olim, nobilissimos terrarum Dominos, Proceres, Principes, Reges, Cæsares, Monarchas; appone omnem eorum potentiam, opulentiam, opes, thesauros, vires, gloriam, honorem: adde omnia omnium terrarum regna, insulas, provincias, urbes : adjice omnium hominum dotes, quibus illos exornavit seu Natura, seu Gratia: Sapientiam Salomonis, robur Samsonis, pulchritudinem Absalonis, scientiam Aristotelis, eloquentiam Tullii. Pone omnes omnium sæculorum homines, & ipsos novem Angelorum Choros. Plus dico: adjice omnes creaturas, quas Potentia immensa valet producere, cum bonis omnibus, quæ sunt vel in cœlo, vel in terra: Deus immortalis! qualis hic erit cumulus ! Tamen hæc omnia in unum acervum conflata, scitis quid sint cum Iesu collata? Respondeat Isaias: *Quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputata sunt ei.* Isa. 40. 17. Plus est unus pilus in capite Christi, quam bona omnia quæ cælorum, terrarumq; complexu continentur. Iam verò talem, qualem jam expressi, Christum esse, asserunt Patriarchæ, confirmant Prophetæ, scribunt Evangelistæ, prædicant Apostoli, docet Fides, annuntiat tota Ecclesia. Et tamen hic tantus cum Barabba comparatur, id est, cum homine omnium hominum sceleratorum scele-

sceleratissimo. Explorata nũc omnibus est, utriusque Barabbæ, & Iesu conditio. Quem jam vultis, Barabbam, an Iesum? Est, inquies, extrema insania hoc petere. Si insania est hoc petere, quãta malitia est hoc facere? & quis nostrûm illam insaniam hodieq; non insanivit? Quis illam malitiam non exercuit? Offeratur vini generosi haustus: illi postponitur Jesus. Promittatur viliſſimus nummus: jam pro illo contemnitur Deus. Objiciatur alicui summum malum, repudiatur summum Bonum. Nunquam crimen aliquod patras, quin Jesum Barabbæ postponas. O quantus ille pro Christo dolor, quantus pro me pudor! Ego minimis rebus postposui te Dominum cœli, tu maximis præposuisti me vermiculum terræ. Nulli sunt dignitate majores quam *Spiritus tui administratorij*, Angeli, & inter illos Cherubini, ac Seraphini; tu illis omnibus me præposuisti, dum mei causâ de cælo descendisti, & factus es non Angelus, sed homo. Inter homines non surrexit major Matre tua, quæ fuit gratia plena; præposuisti me Matri tuæ, quam voluisti affligi usque ad mortem, ut mihi conferres vitam. Rursus, inter homines, innumeri sunt Ethnici, Barbari, Turcæ, Judæi, Hæretici, Schismatici, & inter eos tot potentes, nobiles, divites, prudentes, tot Satrapæ, Dynastæ, Principes, Reges: his omnibus me unum prætulisti, dum illis in caligine errorum relictis, *de tenebris* vocasti me *in admirabile lumen tuum*: lactasti me uberibus sponsæ tuæ Ecclesiæ. Præposuisti me tuo sanguini, quia illum pro me effudisti: tuo corpori, quia illud pro me sivisti mori: tuæ Animæ, quia illa propter me fuit tristis usq; ad mortem: tuo spiritui, quia illum pro me tradidisti Patri. Prætulisti ergo me cœlo, terræ, infinitis homi-

Christus omnibus postponimus, christus nos omnibus præposuit. *Hebr.* 1. 14.

*Pet.* 2. 9.

hominibus, omnibus Angelis, Matri tuæ, proprio sanguini, corpori, animæ, rebus omnibus procreatis, & nihil mihi effertur tam vile, abjectum, sordidum, abominandum, quin in illo oblato statim avertam à te vultum, obvertam tergus, te deseram, contemnam, & omnibus postponam. Fateor hoc feci, sed dimitte mihi; non enim scio, quid fecit: at nunc ubi te novi, *Elegi abjectus esse in domo tua: omnia detrimenta feci, & arbitratus sum ut stercora, ut te lucrifaciam. Præponam te regnis & sedibus, & divitias nihil esse ducam in comparatione tui.* Denique eligo magis calcari tuis pedibus, quàm imperare omnibus Regibus.

Ps. 83. 11
Phil. 3. 8.
Sap. 7. 8.

## §. V.

### *Postponitur Christus Barabbæ.*

Jam fuerat in theatro propositus, & omniũ oculis expositus, Christus spectaculũ factus Judæis, Gentibus, & omnibus, qui ad solennitatem convenerant, hominibus: fuerat & propositus ille, quẽ nemo non oderat, vel certè odisse debuerat, nisi bonorum osor, Barabbas. Quærebatur à Judæis, uter illorũ esset donandus vitâ, vel afficiendus morte. quis cui præponendus, vel postponendus. quis credat posse hominem de hac electione dubitare, aut diu deliberare? Tamen Judæi, verè jam nõ tantum cæci, sed duces cæcorum, auditâ illa Pilati interrogatione, *Quem vultis vobis dimittam, Barabbam, an IESVM,* indignati Jesum vel conferri cum Barabba, sine longa deliberatione, tanquam rabidi præ invidiâ canes, exclamarunt: *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.*

O præ-

O præposterum, detestandum, probrosum Christo Judęorũ Judicium! cum homine Deus, cum vermiculo omnium rerum Dominus, cum latrone Rex, cum reo Innocentia, cum seditioso Charitas, cum impio Pietas, cum perduelli Obedientia componitur: ô dedecus! & postponitur, ô opprobrium! ô horror! ô scelus! quid cogitatis, qui hæc auditis? Miramini magis; an indignamini? Convertite vestram in vosipsos & admirationem, & indignationem: & quod admiramini factum semel à Judæis, invenietis fieri quotidie à vobis, & plerisque Christianis. O quàm turpiter hallucinamur in illa scientia, quæ una est princeps scientiarum; scire reprobare malum, & eligere bonum! Dum proponuntur nobis aliqua vel eligenda, vel reprobanda: quidquid ferè eligimus, est malum: quidquid reprobamus, est bonum. Hinc tam pauci boni, tam multi mali: & quia erramus in hac electione, pauci sunt electi: quia præpostero judicio postponimus pręponenda, pręponimus postponenda. Quis non magis deflet, amissum aurum, quàm cœlum? & tamen minor est comparatio inter aurum & cœlum, quàm inter aurum & cœnum. Quis non malit pati jacturam divinæ gratiæ, quàm pecuniæ? & tamen major est jactura minimæ gratiæ; quàm omnium bonorum, quæ sunt fortunæ, vel naturæ. Quis non præfert momentum æternitati? momentum voluptatis, æternitati omnis felicitatis? & tamen cùm unum sit finitum, alterum infinitum, inter illa nulla est proportio. Quis tanto labore studet acquirendis virtutibus, quanto acquirendis scientiis, & artibus? Quàm multi præferunt siliquas porcorum pani Angelorum! Quis tantum facit pro sua salute,

Cæcitas hominũ in eligẽdis bonis, & reprobandis malis.

lute, quantum pro honore? Pro salute, grave est vel adire templum; pro honore, leve est velinire duellum, ibique periculosa illa jacitur alea, an debeat quis superstes vivere, an in puncto ad inferna descendere. Sic agitur histeron, proteron, & corruptissimo judicio præponimus minima maximis, vilissima pretiosissimis, humana divinis, terrena cœlestibus, temporalia æternis; donec postquam dormivimus somnum nostrum, ingressi jam domũ æternitatis nihil inveniamus in manibus nostris: atque ita utrisque privemur bonis, ut nec retineamus bona terrena, nec possideamus cœlestia: sed & ista, & illa irreparabili jacturâ æternum amittamus. Siccine spurcam, fluxam, vilem, pœnitendam voluptatem præferimus æternæ voluptati? voluptatem, quam prius experimur amissam, quàm sentiebamus admissam? quæ simul est & in ortu, & occasu? quæ eodem momento, quo incipit, desinit? quo oritur, moritur? Quid hoc est, nisi exemplo Judæorum præponere Barabbam Christo? Sed nos detestati Judæos, prodemus nos Christianos, dum ereptum à Judæis honorem Christo, hodie hocce in templo restituemus Loquar igitur ego unus, sed ore & voto omnium, Jesu potentissime, qui in cœlos, terras, inferos, Angelos, homines, dæmones, in omnes, & omnia, quæ sunt, fuerunt, erunt, esse possunt, immenso dominaris imperio, tanquam Rex regum, & Dominus dominantium: cujus regnum est regnum omnium sæculorum, *sub quo curvantur qui portant orbem:* sub cujus pedibus sternitur omnis altitudo in cœlo, magnitudo in terris; cujus vestigia lambunt potentissimi terrarum Domini, cujus imperio venerabundi sese submittunt

*Iob. 9. 13.*

omnes

omnes,& purpurati Principes,& trabeati Proceres, & coronati Cæsares. Jesu, qui ut Deus absconditus sub figuris latitas, sed tanquam *splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ ejus* & ut sol illustras,& ut ignis omnes inflammas. Credo, (& his verbis promptus sum subscribere meo sanguine) credo, te qui hîc lates sub figuris panis, esse eundem qui sedes ad dexteram Patris. Itaque colo te cultu tibi uni proprio, latriæ; adoro te eâdem reverentiâ, qua in regno gloriæ tuæ novem Angelorum Chori: tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus; ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, Deus meus & omnia. *Hebr.* 1, 3.

## §. VI.

*Petit populus dimitti Barabbam, Christum crucifigi.*

Gemini in theatrum prodiêre, ut modò spectâstis, prædones: unus pecuniarum, alter animarum; unus spoliavit facultatibus homines, alter expoliavit Principatus & Potestates: id est, dæmones; unus ex patre diabolo, alter ex Patre Deo, Barabbas, & Christus. Quid cum utroque fieri petierit Synagoga, audite. Hæc vox est totius Synagogæ: *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.* *Luc.* 23. 19.

Acerbo Judæos laconismo perstrinxit divus Chrysostomus: *Latrones petierunt latronem; Dominum autem crucifixerunt.* Hîc item contra clamantes Judæos exclamat D. Anselmus: *O iniquum judicium! Bonus despicitur, & malus præponitur; justus punitur, & peccator liberatur; agnus occiditur, & lupus acceptatur; vita deseritur, & mors reservatur.* Etiam hîc Christiani luculentè prodimus nos esse Judæos, dum exemplo Judæorum eligimus Barabbam, repudiamus Christum. Idem enim T. 2. Ser. 3

Peccatū est aversio & conversio.

est peccatum committere, & Barabbam Christo præponere. Quid enim est peccatum? est quædā animæ aversio & conversio : aversio à Creatore, conversio ad creaturam. Ab eo se avertere, ad hanc se convertere, quid aliud est, quàm Christum Barabbæ postponere? O misera aversio, miserior conversio, miserrima animæ sic se avertentis, & convertentis, conditio! Peccatum est aversio, & conversio à quo ad quid; à Potentia ad fragilitatem, à Fortitudine ad fragilitatem, à Scientia ad ignorantiam, à Sapientia ad stultitiā, à Gloria ad ignominiam, á Majestate ad vilitatem, à Bonitate ad malitiam, à Justitia ad iniquitatem, à Misericordia ad miserias, à Pane ad famem, à Fonte ad sitim, ab Opulentia ad egestatem, à Plenitudine ad inanitatem, à toto ad nihilum, à summo Bono ad summum malum. O hominis cæcitas! ô in Deum impietas! ô execranda indignitas! ô nunquam satis punienda impietas! Quis non stupeat homuncionem vilissimū qui ex limo, quoad corpus, formatus; ex nihilo, quoad animam, creatus; ex se nihil est, nihil boni naturæ vel gratiæ habet, nihil potest, nihil scit, nihil vult facere, vel facit ex se absque peculiari Dei concursu & præsidio, exceptâ solâ peccati malitiâ, cujus ipse auctor est, præponere aut momentaneam aliquam voluptatulam, aut temporale lucellum, aut inanem gloriæ umbrā, aut meram propriæ voluntatis libidinem, Deo summo, infinito, inæstimabili Bono, dum eligeum potius offendere, ejusque & amicitiâ & gratiâ excidere, quàm carere fucatâ illâ, futilique quam in rebus creatis aucupatur, voluptate? Planè par est iniquitas, eadem in Christum injuria, similis malitia, æquale flagitium, & Judæ

Quot Christo fiant in templo injuriæ.

præponentis Christo Barabbam, & Christiani præponentis Creatori creaturam. Tanta est hujus rei indignitas, ut ipse Deus evocet ad stuporē ipsos cœlos, & contra ingratitudinem hominis expostulet his verbis: *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer; duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* (ecce hîc aversio) *& foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas* (ecce conversio.) Ecce hic Barabbam præpositum Christo. Hoc ipsum agis illo loco, ubi hoc agere minimè decet; nunquam oportet in domo Dei, in sacro delubro. Tunc Barabbam Christo præponis, dum sacra limina, & augustos postes, templum inquā, profanas impiis fabulis, sacrilegâ immodestiâ, impiâ irreverentiâ, lenocinantibus oculis; dum majorem exhibes honorem putido scorto, quàm ipsi Christo. Hæc audes, & sine fronte, sine metu audes in domo Christi, in conspectu ejus, ipso spectante judice, vindice, Numine tuo? Hujusmodi homines amarulentâ Satyrâ persequitur Salvianus, dum in hunc modum in eos vehementissimè invehitur: *In templa, vel potius in altaria, atque in sacraria Dei passim omnes sordidi ac flagitiosi, sine ulla penitus reverentia sacri honoris irrumpunt; non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant; sed quia qui ingreditur ad plorandum, non debet egredi ad exacerbandum. Neque enim ejusdem officij est, indulgentiam poscere, & iracundiam provocare. Novum siquidem monstri genus est: eadem penè omnes jugiter faciunt, quæ fecisse se plangunt. Et qui intrant ecclesiasticam domum, ut mala antiqua defleant, exeunt, & quid dico exeunt? in ipsis penè hoc orationibus suis ac supplicationibus moliuntur. Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt: & dum verbis*

Ierem. 2.

De Guber. l. 9.

*præterita plangunt, sensu futura meditantur: & sic ratio eorum rixa magis est criminum, quàm exoratrix.* O Jesu, ut video, magna est velut mare contritio tua. Judæi electo Barabbâ te repudiant, Ethnici te non agnoscunt, Hæretici in te non credunt, Catholici multi te spernunt, omnes te contemnunt. Siccine solvitur Barabbas, vincîtur Jesus? Barabbas liber, Jesus captivus? vivit Barabbas, Jesus moritur? *Obstupescite cœli super hoc!*

## §. VII.

### *Pilati ad populum interrogatio.*

Pilatus alterno veluti æstu omnem in partem fluctuabat, incertus cui vento vela daret: volebat Christum dimittere, sed nolebat Christi inimicos offendere: incertus ergo quid lubeat, velliceat, cùm rabidi Judæi postulâssent dimitti Barabbam,

Matth. 27. 22. *Dixit illis Pilatus: quid igitur faciam de Iesu?* Hæc enimverò exotica est quæstio, & peregrina interrogatio: *Quid faciam de Iesu?* Adcóne res vilis & abjecta est Jesus, ut quasi ad omnia foret inutilis, nesciatur quid oporteat facere de Jesu? Hoc peti solet de putido aliquo cadavere, de cane mortuo, de putrido pomo, de cava nuce, de re nauci, flocci, nihili: Quid faciam de hac re? Tam vilis erat in oculis synagogæ sponsus Ecclesiæ. Audiamus ad hanc interrogationem Judæorum responsum: *Quid faciam de Iesu*, ô Judæi? Tolle, tolle, intoxicat aërem suo spiritu; conspurcat terram suis pedibus; infatuat homines suis verbis; indignus est qui sit in rerum natura. *Quid faciam de Iesu*, ô Pharisæi? Tolle, si possit reducatur in nihilum, homo nihili. Matth. 5. *Quid faciam de Iesu*, ô Scribę? *Tolle, ad nihil valet ultra, nisi ut mitta-*

tur

*tur foras, & conculcetur ab hominibus*; nisi ut mittatur in montem Calvariæ, & crucifigatur à tortoribus. *Quid faciã de Iesu*, ô Principes Sacerdotum? *Suspendatur ad collum ejus mola asinaria, & demergatur in profundum maris.* Matt. 18. 6. *Quid faciam de Iesu*, ô Synagoga? *Ligatis manibus ac pedibus* ejus, *projicite* eum *in tenebras exteriores*: dirumpatur *terra sub pedibus ejus, & aperiens os suum devoret* eum, & *descendat vivus in infernum*: eat maledictus in ignẽ æternum. Matt. 22. 13. Num. 16. 3. Siccine ingrata, barbara, perfida, impia Synagoga repudias sponsum tuum, electum è millibus, & eligis tibi sponsum homicidam eductum è sordibus? I, dabitur tibi Deicida, homicida; dabitur tibi Barabbas, sed tolletur tibi omnis felicitas, nec remittetur tibi in æternum hęc iniquitas. Venit hora, ô Jesu, & nunc est, ut deseras Synagogam, & transeas ad Ecclesiam; ut relinquas Judæos, & convertaris ad Gentiles. Accipite vos Barabbam, & tradite nobis Jesum. Nobis enim natus, nobis datus est. Illi enim dictum est à Patre: *Ecce, dedi te in lucẽ Gentium.* Isa. 49. 6 Dic ergo nunc Jesu, quod Judæis olim dicturus est Apostolus Gentium: *Ecce, convertimur ad Gentes*: Tu ergo surge nunc, & illuminare Ecclesia nova sponsa, jam dedit Synagoga libellũ repudii sponso suo; ecce venit sponsus tuus, exi obviam ei. Sed priùs petit Pater ejus: Quid facies de Jesu Filio meo, sponso tuo? Quid faciam? pete prius quid non faciam? Audiat impia Synagoga, & ringatur prę invidia. Statim ubi intelligam illum venire, exuam me *vestimento viduitatis* meæ, & induam me *vestimento lætitiæ*, & vadam in occursum ejus, & procidens adorabo eum, & dicam: *Osculetur me osculo oris sui.* Tunc magnificabit anima mea Dominum, & exultabit spiritus meus Hebr. 13. 46. Ecclesia quantũ Christũ honoret & æstimet præ Synagoga. Iud. 16. 9 Cant. 1. 1.

in Jesu Deo meo. Mox evocabo ex Oriente Reges, & jubebo ut offerant ei aurum, thus, & myrrham. Imò faciam, ut omnes Reges terræ adorent eum, & omnes Gentes serviant ei. Mittam deinde vocalissimum præconem per totam rerum universitatem, ad cœlos, terras, inferos, qui altissimâ, ut ab omnibus audiri possit, voce, nomine meo præcipiat: *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorũ, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Philip. 2. 10. Tum emittã per omnes omnium terrarum regiones, duodecim Evangelicæ doctrinæ buccinatores, ut prædicent Evangelium Jesu omni creaturæ, ac inter illos destinabo ad ultima terrarum Paulum, ut portet nomen Jesu coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israël: ut ubique prædicet Jesum, quoniam hic est Filius Dei; & instar tubæ exaltet vocem suam, & latè resonanti clangore, annuntiet omnibus illa ipsa, quæ ad Corinthios scripsit verba: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* 1. Cor. 6. 22. Plurimi ex meis propter Jesum relinquent *domum, & fratres, & sorores, & patrem, & matrem, & uxorem, & filios, & agros*: alii circuibunt *in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cavernis terræ*, propter Jesum; alii ludibria & verbera experientur, lapidabuntur, secabuntur, tentabuntur, in occisione gladii morientur propter Jesum. Ego, & mei, exactè observabimus leges Jesu: sequemur consilia Jesu, audiemus monita Jesu. Quidquid potest honoris deferri, quidquid gloriæ fingi, quidquid amoris exhiberi, deferetur & exhibebitur à nobis Jesu. Et post omnia honoris, amoris, cultûs obsequia, post omnia Matt. 19. 29. Hebr. 11. 37.

Fidei,

Fidei, Spei, Charitatis exercitia, post omnia cujuscunque generis officia, prosternemus nos ad ejus pedes, & fatebimur unanimi voce: *Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Hæc & infinities plura propter Jesum facere nos, & pro salute decet, & pro æquitate oportet. Ecce hîc Jesum, ad Ecclesiã repudiatâ Synagogâ, ad nos, spretis Judæis, transiit. Quid interim facis, quid fecisti, quid facies de Jesu, pro Jesu? Quid facies de Jesu, ô avare? Tribus obolis illum vendam. Quid facies de Jesu, ô maledicte detractor? Expuam in faciem ejus. Quid facies de Jesu, iracunde? Colaphis eum cædam. Quid tu politice? Velabo faciem ejus. Et tu impudice? Flagellabo eum à planta pedis usque ad verticem capitis. Et tu superbe? Plectens coronam de spinis, ponam super caput ejus. Et tu ambitiose? Ponam in dextera ejus arundinẽ. Quid tu ebriose? Felle & aceto potabo illum. Denique tu quisquis es peccator, quid facies de Jesu? Rursum illum crucifigam. Hæc non sunt verba mea, sed acta nostra. Quis nostrûm tanti est roboris, qui percussus alapâ præbeat alteram maxillam percutiendam amore Jesu, quia ipse hoc consulit? Estne aliquis tantæ magnanimitatis, ab inimico lacessitus convitiis, contumeliis, maledictis, qui non aperiat os suum, sed cum silentio perferat propter Jesum? Estne aliquis tanti in Jesum amoris, qui pellectus à dyscolis sociis, ut violet leges Jesu audeat mascula voce dicere cum sene illo inter Machabæos heroe Eleazaro, *præmitti se velle in infernum potius*, quàm offendere Jesum? Estne aliquis tanti animi, ut lenocinante carne, & ad peccatum invitante, ex amore Jesu audeat dicere cum D. Anselmo: *Malo insilire in rogum ar-*

*Luc.* 17. 10.

Peccatores varii variis modis Christũ cruciant.

2. *Mach.* 6. 23.

*dentissimum, quàm peccatum ullum admittere sciens in Deum meum?* Quid ergo facis, quid facies propter Jesum? Si à me petas, ô Pater æterne, quid faciam de Jesu? scio quid faciam: Accipiam eum in ulnas meas cum Simeone: procidens adorabo eum cum Magis: lachrymis meis rigabo pedes ejus, cum illa peccatrice: adferam alabastrum unguenti pretiosi, & effundam super caput ejus, cum Magdalena: dum recumbet mensæ, ministrabo illi cum Martha: denique post mille & mille obsequia, in manus ejus commendabo spiritum meum, & expirabo. Hæc omnia ut cupiam, & faciam, est libertatis meæ, & potestatis tuæ, tibi enim à Patre data est omnis potestas. Interim faciam, quantum valeo, cùm non possim, quantum debeo. Opto igitur, quia hoc possum, tantum te amare, quantum vel amârunt, vel amant, vel amabunt totâ æternitate, omnes tui amantes; & quia credo in te, & omnia possibilia sunt credenti; quia etiam spero in te qui fuisti spes mea ab uberibus matris meæ; ideo credo & spero me amaturum te, quamdiu tu eris, ô Amor æterne, & hoc æternùm.

## §. VIII.

### *Christus à Iudæis poscitur ad crucem.*

PEtierat à barbara turba iniquus Judex, quid faciam de Jesu, cùm ecce latrantes canes, ululantes lupi, rugientes leones, mugientes tauri pingues, quem non poterant impetere cornibus, discerpere dentibus, laniare manibus, fatagunt necare vocibus, cùm unâ omnes voce conspirant, & exclamant: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Ait illis *Præses: Quid enim mali fecit? nullam causam mortis invenio in eo. Corripiam ergo eum, & dimittam.*

Matt. 27
Matt. 15.

*At illi instabant vocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur.* Ioan. 19.

Erat hic Christus sublimi in loco velut scopus expositus, in quem tota Judæa odii jacula contorquerent. Judæorum corda erant velut intenti arcus; illa verba, *Tolle, crucifige*, erant tela, quæ in cor amabilis Jesu conjecta, plus illum fodicabant & sauciabant, quàm omnia quæ postea accepit in toto corpore flagella. Nemo erat è tota illa turba, qui non, si potuisset, illum discerpsisset manibus, dilacerâsset dentibus, conculcâsset pedibus. Videbat illic fors præsentes aliquos ex quatuor millibus, quos in deserto satiaverat panibus; ex illis, quibus toties fuerat loçutus verba vitæ æternæ; ex illis, quos sanaverat à variis languoribus. Occurrebat se inter Judæos conceptum, natum, nutritum, tot annis conversatum. Quidquid habuerat sudoris, quidquid lacrymarum jam effuderat, quidquid habebat sanguinis, erat paulò pòst effusurus super Jerusalem. Jam videbat venisse tempus, quo implebantur illa verba, quæ & ipse tacitè secum repetebat: *Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me.* Isa. 1. 2. O quàm acriter feriebat cor Christi ille contemptus, cùm præposito Barabbâ latrone interrogabat Præses populum: *Quid igitur faciam de Iesu?* & audiret inferius è plano, superius è fenestris, ad dextram & sinistram, quanto poterant maximo clamore, & stentoreâ voce vociferantes: *Tolle, tolle, crucifige.* O Jerusalem! quid potui tibi facere, & non feci? Esuriebas, & dedi tibi manducare; sitiebas, & dedi tibi bibere; hospes eras, & collegi te; nudus, & cooperui te; infirmus, & visitavi te; in carcere, & veni ad te.

Cu-

Custodivi te ut pupillam oculi mei; feci te excelsiorem omnibus gentibus & regibus terræ. At illi excæcati invidiâ, inflammati iracundiâ, exacerbati odio, postulabant eum crucifigi. O Patris æterni amor, factus es mundi totius odium! ô gaudium Angelorum, factus es opprobrium hominum! ô Rex cœli, factus es vermis terræ! Pepercerat olim Saülis vitæ, cùm potuisset eum tollere David, & sustulerat tantùm scyphum & lanceã: ac mox ex alto montis vertice excitabat vigiles, & exprobrabat illorum socordiam in custodiendo Rege. Tunc excitatus Saul, & miratus
1. Reg. 26 17. tantum hostis sui in se amorem, *cognovit vocem David, & dixit: Nunquid vox hæc tua fili mi? Vox mea Domine mi Rex*, respondit David. Variæ quidem in hac tam referta hominum turba voces audiebantur: Tolle, crucifige; sed tamen Jesus cognoscit cujusque vocem: quare miratus & te cum Judæis clamare: *Tolle, crucifige*, petit: *Nonne vox hæc tua fili mi?* Vox mea, pater mi Jesu. Ego clamo ad justitiam Patris: Parce; tu clamas contra me: Tolle. Ego clamo, Pater dimitte; tu clamas: Pilate crucifige. Sed redeamus ad Pilatum, jam verè Christi advocatũ: poscentibus enim Christum ad crucem Judæis, ait: *Quid enim mali fecit?*
Matth. 7. 37. Vestrum hoc fuit de eo testimonium: *Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui*: imò & cæcos videre, & claudos ambulare, & mortuos resurgere. Frustra petis Pilate, quid mali fecit is, qui solus est bonus. Vide cuncta quæ fecit, & invenies valde bona. Sed pete à me quid mali fecerint, qui retribuunt Deo mala pro bonis. Quod majus malum, quàm sponte reprobare summũ bonum, & eligere summum malum? *Malum est & amarum reliquisse Dominum Deum suum*: hoc ma-
Jer. 2. 19.

lum

lum ego feci. Malum est comedisse de ligno scientiæ boni & mali; hoc malum ego feci. Denique ego sum inveteratus dierum malorum, qui toties malum coram te feci, ut ascenderit malitia mea coram te. Quid ergo mali non feci ego? Et tu quid mihi non fecisti boni, quid pro me non pertulisti mali, ut auferres mihi mala, & faceres me bonum? Potuisti me liberare ab omni malo leviſſimo cordis suspirio; noluisti nisi graviſſimo mortis supplicio? Poteras mihi remittere peccata mea sedens in tuo solio; noluisti nisi penderes è crucis patibulo. Ipsa, quæ ego facio mala, vertis mihi in bonũ. Quid ergo mihi malo non fecisti boni? Unum post omnia supereſt, ut te possideam omne bonum, & adhæreat anima mea post te, dicens: *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* Psal. 72. 28.

## §. IX.

### *Mittitur ad Herodem.*

PIlatus judex, qui volebat magis videri æquus, quàm esse, volens satisfacere populo, sic tamen, ut non malefaceret Christo, inter sacrum & saxum, nunc hac, nunc illac partes animum divertat in omnes. Offendere Judæos, liberando Christum, videbatur illi grave, sed & condemnare innocentiam nõ erat leve: quare ut se extricaret ex his difficultatibus, statuit Christum mittere ad Herodem, qui illis diebus, utpote Paschalibus, erat Jerosolymæ. Nec hoc displicebat Judæis: spes enim hinc magna illis affulgebat crucifigendi Christi. Extorsuros se facilius sperabant omnes ab Herode, notæ crudelitatis homine, Christi necẽ, quàm à Pilato æqui rectique observantiore. Erat hic Herodes interfector

fector S. Joannis Baptistæ, filius Herodis infanticidæ. Nec hoc factum sine numine divinę providentiæ, ut tot essent Judices profani, quot sacri innocentiæ ejus testes: sacri duo, Annas & Caiphas; profani duo, Pilatus & Herodes, ut *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Cùm Judæi accusantes Christum mentionem fecissent de Galilæa, Pilatus audito hoc nomine, *interrogavit si homo Galilæus esset: & ut cognovit quòd de potestate Herodis esset, remisit eum ad Herodem.*

Matt. 18. 16.

Luc. 23. 7.

Eò igitur adducitur Christus ligatus & stipatus satellitio publico. Deus immortalis, quàm variè fuit Christus per 24. horas, quibus passus est, agitatus! extrahitur ex horto, raptatur ad Annam, protruditur ad Caipham, deducitur ad Pilatum, ablegatur ad Herodem, condemnatur ad mortem, bajulat suam crucem, jacet sub cruce, conjicitur in crucem, suffigitur in cruce, pendet è cruce. Ubique cedit ignorantiæ Sapientia, sceleri Religio, jus & fas injuriæ, Majestas ignominiæ. Et hæc omnia tolerat patienter ut agnus, cùm solo nutu omnẽ creaturã demergere posset in profundum inferni. Sed ad quem mittitur Christus, quem Pater misit in mundum ut salvaret mundum? Mittitur ad Herodem. Quis sit Herodes, pronum erit intelligere, si placet oculos convertere in ejus lineamenta, quę D. Chrysologus suis pigmentis ad vivum expressit: (quæ licèt verius dicta sint de parente ejus, Herode Ascalonita; huic tamen, paucis mutatis, conveniunt.) *Herodes est qui prophanavit templum, sacerdotium sustulit; confudit ordinem; temeravit regnum; corrupit quidquid erat religionis, quod vitæ, quod legis, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ, perdidit & confudit. Herodes sicarius in cives, in nobiles latro, popula-*

Herodis impietas

*pulator in socios, in domesticos prædo, interemptor plebis, occisor filiorum, homicida in extraneos, in proprios parricida.* Ad talem Christus promptissimè vadit, inde redit, nusquam non it, & circuit, ut te ab illo liberet, qui *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*: hoc est, quod asserit idem qui prius Chrysologus: *Ille, cujus majestatem vox fidelium quotidiana testatur, clamans: Pleni sunt cœli & terra gloriâ tuâ, toties propter te circuit, apparet, videtur, & tenetur in locis. Quo se movet immobilis plenitudo? Qua accedit, vel unde recedit, quo sunt plena omnia? Et tamen vadit, redit, descendit, ascendit; & totum se, & propter te, homo, Deus patitur, quia te nimis diligit, nimis amat.* Sic ipse. O quàm sapienter pronuntiavit de æterna Sapientia, hoc est Christo, Sapiens: *Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia.* Quid Christo mobilius, qui nusquam quiescit, nusquam consistit, nusquam non, & nunquam non, se movet, ut nos, qui ut Caini fugimus à facie ejus, quiescamus in eo? O quanta nostra felicitas! quibus ut perveniamus ad eum, qui est Via, non opus est movere pedem, ut carpamus viam. Audi loqueutem Paulum: *Dominus prope est.* Dominus meus, & Deus meus tu verè prope es: quia hîc nobiscum es; es enim Emanuel, nobiscum Deus. Prope es, non tantùm uno unius urbis in templo, sed in omnibus omniũ urbium templis. Tu prope es in hoc templo, in hac ara, unde & nos vides, & me audis: tam prope ut videas non tantùm figuras corporum, sed scruteris renes & arcana cordium: tam prope, ut non tantùm audias loquentium verba, sed gementium suspiria. Verè prope, imò proximè; quia in te vivimus, movemur, & sumus. Quanta hæc mea est felicitas, quia tu, in quo habitat omnis plenitudo divini-

1. Petr. 4.

Ser. 170.

Sap. 7. 24.

Philip. 4. 4.

vinitatis, non tantum es prope me, sed intra me. Tu qui es in me, & ego in te, da ut semper possideam te.

## CAPUT VI.

# Christus in aula Herodis.

### §. 1.

### *Gaudium Herodis ob visum Christum.*

TAndem post multa viarum diverticula, semitarum ambages, callium anfractus, pervenit is, qui est via & veritas, ad illum, qui errabat à via veritatis, hoc est, Christus ad Herodem. Quid illic actum, ita paucis complexus est D. Lucas: *Herodes autem viso Iesu gavisus est valde.*

Luc. 23.

Istud non miror, quòd Herodes viso Jesu gavisus sit, & quidem gavisus valde. Quis non gaudeat præsente eo, *qui est gaudium universæ terræ*?

Tr. 2. 15.

Adhuc latebat Præcursor Domini in utero, & præsente Domino *exultavit in gaudio infans in utero.* Adhuc jacebat omnibus incognitus, Deus ille absconditus in præsepio, & ecce mittuntur cœlestes ex alto præcones, ut omnes ad gaudiũ erigant. *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Tres illi qui venerant ex Oriente Magi, visâ tantùm stellâ, quę ad eum ducebat, *gavisi sunt gaudio magno valde.* Quis ergo miretur si Herodes viso Jesu gavisus est valde? si quod est gaudium in cœlo Patriarchis, Prophetis, Regibus; si quod Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus; si quod est gaudiũ Angelis Dei & omnibus Electis, qui sunt *turba magna, quam dinumerare nemo potest*; illud est gaudium super omne gaudium, videre Jesum. Spongia projecta in medium oceani non tam est plena undique aquâ;

Luc. 1, 44. Gaudiũ summũ Jesum.

Luc. 2. 11

Matth. 2. 10.

Apoc. 7. 9

aquâ, quàm sit anima cujusque electi in cœlo repleta gaudio; & quidem gaudio magnitudine immenso; tempore, infinito: quia gaudium illorum nemo tollet ab illis. Jam verò omnes illi rivi gaudiorum, per omnes Angelos, & beatas mentes longissimè latissiméque diffusi, profluunt ex Jesu clarè viso. Non alium ob finem sumus in mundum educti, nati, creati, redempti, quàm ut totâ æternitate videamus faciem Jesu: unum quod pro omnibus laboribus expectamus præmium, unum quod speramus post hanc vitam bonum; quam optamus, felicitas; & qua fruemur, salus, est videre faciem Jesu. Jesus enim cùm sit homo-Deus, clarè visus est homini plena salus. Quid ergo mirum si Herodes viso Jesu sit gavisus? unum ego miror, quia videtur mihi mirabilium omniũ mirabilissimum, quòd nos Christiani non gaudeamus viso Jesu. Nec enim alium vidit Herodes in aula, quàm nos in hac ara; imò non alium, unde sunt beati, vident Electi omnes in cœlo, quàm nos in templo. Unde, si quod dico ego coram Jesu, quisque crederet, & firmiter crederet esse verum quod dico de Jesu, nemo ex tota hac turba momento uno viveret, sed præ immensa exuberantis gaudii à Jesu emanantis, copiâ deficeret; & sicut cera ante faciem ignis, sic ante faciem Jesu (*est enim ignis consumens*) prę amore liqueſceret. Ecce ille, unde totâ debemus gaudere æternitate; qui unus est gaudium omnium, non longè est ab unoquoque nostrûm. *Gaudete ergo in Domino semper: iterum dico, gaudete; Dominus enim prope est*; sic ut videat nos, & videatur à nobis. Si ita est, *quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Si Herodes insigniter reprobus, incestuosus, tyrannus, Dei inimicus, gavisus est viso Jesu, qui erat

Deut. 4. 24.

Phil. 4. 4.

Ps. 38. 6.

ipsius Judex; cur nos Christiani non gaûdemus viso Jesu, qui est omnium nostrûm pater? An beatiorem te censuisses, si Christum vidisses facie ad faciem, ut Herodes, quàm ut modò vides per speculum in ænigmate, hoc est, per fidem? Erras; quid enim dixit Christus Thomæ? *Quia vidisti me Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, & crediderunt.* Beati ergo nos qui nō videmus, & credimus. Hæc est enim vera fides, credere quod non vides. Si ergo credimus illic esse, quem non videmus, cur non gaudemus? Gaudes te ex nihilo creatum hominem, capacem æternę glorię? Jesus te creavit; cur viso Jesu non gaudes? Gaudes te mortis æternę reum redemptum, Jesus te redemit. Gaudes te evasisse mortem, sperare vitam, te ereptum ex tenebris & umbra mortis, vocatum ad lumen illud admirabile; tot denique, quot nec ausus fuisses sperare, & obtinuisse bona, & evasisse mala? Hæc omnia & effugisti, & obtinuisti solius beneficio Jesu: cur ergo viso Jesu non gaudes? Discutiamus quæ tibi sit materia gaudendi. Turget tibi crumena loculentis aliquot nummis: gaudes; accedit fur, & eripit tibi materiam gaudii, & simul tuum gaudium. Gaudes quòd emendicatis ab ove velleribus, murice tinctis, & bombycum eviscératis exuviis, splendidis, inquam, fulgeas vestibus. Arrepit tinea, corrodit vestes; tollitur tibi gaudium. Gaudes quia rident tibi purpureæ in vultu genæ, candet eburneum collum, fluctuat per cervicem aurea cæsaries, forma tibi immodicè venusta & speciosa est. Corripit te febricula, formæ illa venustas defloratur; tollitur tibi tuum gaudium. O gaudium diarium, imò horarium, ne dicam momentaneum! vix percipitur, mox extinguitur. Si aliunde gaudes quàm ex Jesu, gaudium

Ioan. 20. 29.

Gaudiū è rebus vanis est vanum.

dium tuum quilibet tollet à te. O gaudium cordis mei! Gaudeant alii *ad sonitum organi*: alius *gaudio gaudeat super vocem sponsi*: alius gaudeat *super iniquitate*: alii lætentur *cùm malè fecerint, & exultent in rebus pessimis*. Non invideo illis sua gaudia. In quo ergo tu gaudebis, & exultabis, cùm non possis vivere sine gaudio? *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo* JESU *meo*. Vis ergo gaudium sincerum, solidum, stabile, constans: vis gaudium, quod nulla mundi turbatio, nulla temporis vicissitudo, nulla rerum adversitas, nullus hominum tumultus, nullus fortunæ casus tollat à te? Sit tibi gaudendi causa non tantùm summa, sed sola: quia Deus est Deus. O quanta hîc mihi accrescit lætitiæ seges, cùm tu Deus semper sis Deus! Agitetur mundus bellorum fluctibus, & præliorũ motibus misceatur: alternis casibus alterni succedant casus: súsque déque ferantur omnia: hoc mihi semper & immutabiliter manet, quòd Deus sit Deus. O homines omnes, ad hoc stabile gaudium vos unà mecum invito! Venite, jubilemus, & exultemus, & demus gloriam Deo nostro: sumite psalmum, & date tympanum: plaudite manibus, hymnum dicite, & psallite, lætamini, & gaudete: quia Deus est, & fuit, & erit semper Deus, ab æterno in æternum beatus Deus. O Divi Divæq; omnes, quanta est vestra felicitas, quibus datum est semper in hoc gaudio, per totam consequentem æternitatem, sine cessatione, & cum tota qua potestis contentione persistere! O Jesu omne gaudium meum, quia omne bonum meum! Optarem omnium Angelorum mentes, & hominũ corda solus haberem, quibus gauderem de eo quod es, & per omnem æternitatem eris in splendoribus Sanctorum, & inaccesso lumine SS. Tri-

*Iob.21.12*
*Ioan.3.29*
*1.Cor.13.6.*
*Eccl.2.2.*
*Hab.3.8.*

Gaudiũ verum in quo consistat

nitatis. Delector ultra omnem modum videre te supra Angelos & homines exaltatum, in ipsius Dei solio assidere, omnis ejus gloriæ consortem, Incredibili gaudio perfundor, dum intelligo ipsos adeò Seraphicos spiritus, imò omnes novem Angelorum Choros, & universas cœli Potestates ad tuos pedes coronas suas abjicere, & infinito intervallo te universos orbis Principes & Monarchas transcendere. Præ lætitia me non capio, quando considero, omnes animas, quæ modò cœlesti gloriâ fruuntur, tibi soli debere, quod illis fruantur: illos esse fructus sanguinis, ac spolia laboris tui. Omnes facultates animæ meæ præ consolatione gestiunt, cùm mihi propono diem illum, quo tu triumphantis more, alis Cherubinorum insistens, descendes cum omni pompa gloriæ, sedebis supremus Judex vivorum ac mortuorum. O quale gaudium erit, tunc ex ore tuo audire: *Intra in gaudium Domini tui!* Tunc ubi videro te, Jesu, gaudium cordis mei, gaudebo valde & gaudebo gaudio magno nimis, quia tu magnus, & laudabilis, & amabilis es nimis.

Matt. 25. 21.

## §. II.

### *Christus ab Herode de multis interrogatus, nihil respondet.*

STabat hîc vinctus funibus Rex regum, *qui balteum regum dissolvit, & præcinget funes renes eorum*, coram sacrilego Rege Herode, qui non erat dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, imò nec pulverem pedum ipsius lingere. Herodes, quem disertum faciebat dicax curiositas: *Interrogabat eum multis sermonibus.* Instabat opportunè, importunè; urgebatur ut loqueretur, hortabatur, supplicabat, blandiebatur, nihil non lenociniis, minis,

Iob. 12. 18

Luc. 23. 9.

minis, promissis agebat, ut verbum unum ex ore ejus extorqueret. Quid interim ad tot verba, & quæstiones, & interrogationes, & supplicationes, & obtestationes Christus? Audite Evangelistam, & stupete: *At ipse nihil illi respondebat* Grande mysterium, ubi Verbum Patris servat silentium. Cur non moves linguam, *qui linguas infantium facis disertas?* Cur nullum jam verbum profers, qui *verba vitæ æternæ habes?* Cur non, ut aliquid dicas, aperis os tuum, qui habes *os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarij tui?* Qui loquitur, Rex est; nunc autem scriptum est: *Cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.* Moveat te personæ interrogantis dignitas, moveat audientium celebritas. Qui audiunt, sunt numero plurimi, sanguine nobiles, opibus locupletes, dignitate præstabiles, potentiâ præcellentes, consilio prudentes, Optimates, Magnates, & selectissimi totius Galilææ Proceres. Numquam habuisti tam honorabilem ut loquereris, consessum: numquam tam exquisitum auditorium. Singuli pendent ab ore tuo, stant erectis auribus, omnes sunt intenti ut te videant, attenti ut audiant. Si semel loquaris, indubiè clamabunt, & acclamabunt unâ voce omnes: *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Imò dicent, quod postea dixerunt de Herode: *Dei voces, & non hominis.* Frustra omnia. *At ipse nihil respondebat.* Nimirum: *Tempus loquendi, tempus tacendi.* Non erat nec tempus quando, nec locus ubi, nec personæ quibus judicabat convenire, aut expedire ut loqueretur. Observabat Christus sua, quę olim dixerat, verba: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Non hos elegit Dominus. Cùm sileret Christus coram Herode, Pa-

Sap. 10. 21. Ioan. 6. 68. Luc. 21. 15. Prov. 21. 1. Ioan. 7. 46. Act. 12. 23 Eccl. 3. 7. Matt. 7. 6

Matth.11 25. trem suum indubiè alloquebatur hisce verbis: *Confiteor tibi, Pater cœli & terræ; quia abscondisti hæc sapientibus, & prudentibus, & revelâsti ea parvulis.* Parvulis, parvulis. Stabat in medio vilium piscatorum, & mox *aperiens os suum, docebat eos.* Cum muliere Samaritana, quàm multis differit? Clamabat in plateis cæcus: cum eo mox loquitur, & familiariter alloquitur. Dum enim stipant cæci, claudi, muti, paralytici, hydropici, fæx populi, peripsema totius Jerosolymæ, abjectissimi terræ filii, tunc aperiebat in parabolis os suum: tunc eructabat *abscondita à constitutione mundi:* tunc erat *potens in sermone:* tunc docebat, tunc clamabat. In palatio, coram Rege, in conspectu tot Procerum servat silentium: Et *nihil illi respondebat.* Fortè ideò Christus siluit in Aula, ut nobis omnibus hodie loqueretur ex ara. Ecce quicumque estis hoc loco, Auditores, erigite nunc aures, attendite animos, os Domini loquetur: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Audi adolescens qui sedes in cathedra pestilentiæ, qui jaces in pulvere, imò in sterquilinio, in volutabro carnis & sanguinis: clamat ad te, sed sine strepitu verborum, loquitur ad cor, dicens: *Adolescens, tibi dico, surge.* Clamat ad omnes juvenes Academicos: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Clamat ad omnes & singulos: *Venite ad me omnes.* Qui vocat omnes, nullum excipit. Quod olim locutus est in Synagoga, hoc ipsum jam loquitur in hac Academia, & hac horâ, hoc loco ad omnes Academicos: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternã possidebit.* Hæc vox ubi primùm cœpit resonare per mundum, mox implevit eremos Anachoretis, claustra Virgi-

Luc.7 14 Matth.4. 19. Matt.11. 27. Matt.19. 29. Matt.13. 55. Luc.24. 19. Ps.44. 2.

Virginibus, asceteria Monachis, cellas Cœnobitis, urbes integras viris Religiosis. Tot fuerunt in hac urbe, in hac Academia juvenes, vestræ ætatis, sortis, studii, conditionis, qui audiverunt illa ipsissima verba, & mox jusserunt mundum res suas habere, & relictis omnibus nudi secuti sunt Christum nudum. Eadem planè sunt verba quæ auditis vos, & quæ audiverunt illi; idem qui vobis loquitur Christus; eadem, quę fuit illorum, est & fides vestra. Cur ergo, ut illi, nõ auditis loquentem? Cur non sequimini vocantem? Sed erit qui dicat, Summa votorum est, à Deo vocari: utinam ut illis, sic & mihi loqueretur! jam nunc juravi, & statui, relictis omnibus sequar eum, & sequar quocumque ierit. Hoc si promittis, jam reus es promissi. Hoc enimverò loco, hac ipsâ horâ tibi loquitur, jam te vocat, ut relictis omnibus eum sequaris. Dubitas? sed dubitandi nullus relictus est locus. Age, adolescens, nonne tecum ipse sincerè judicas, prudenter, utiliter, feliciter, & sapienter fecisse adolescentes illos omnes, qui à Christi tempore ad hunc usq; diem mundo, & omnibus quæ sunt mundi, renuntiârunt; &, ut essent suî, reliquerunt omnia sua, & sub disciplina, alii Benedicti, alii Bernardi, alii Francisci, Dominici, Brunonis, Norberti, secuti sunt Christum? Nullus dubito, laudas eorum consilia, probas exempla, imò invides illorum sorti: bene, rectè, prudenter fecisse existimas. Cur ergo, quod ab aliis factum probas, tu facere recusas? Nonne & tu judicas tibi quoque ad salutem expedire, ut illorum vestigiis insistens, adhæreas potius Christo, quàm mundo? viam tibi fore ad cœlum longè expeditiorem? pauciora illic esse pereundi pericula, plura pro salute præsidia, ampliora Dei auxilia, majora

Ad Religionẽ vocari quid sit.

jora solatia? Hæc omnia firmiter credere, clarè cognoscere, certò judicare, est ad illa à Christo vocari. Illa quę tuę menti affulget, qua illa videas lux, est Christi suadentis, ut illa facias, vox. O lux! ô vox! lux primæva, vox æterna. Lux affulge mentibus; vox insona auribus. Loquere Domine, nullus hîc Herodes, non hîc, ut illic sileas. Tu dixisti, & facta sunt; tu mandâsti, & creata sunt. Tantùm ergo dic verbo: Veni; & veniam. Loquere ergo Domine, sed loquere mihi ad cor. Sufficit ex ore tuo verbum tuum, ut post te trahas mundũ totum. Pauca fueras locutus ad Judæos verba, & mox Pharisæi indignati, clamabant: *Ecce mundus totus post ipsum abit.* Nos omnes ex mundo abibimus, & sequemur te, modò audiamus uno tantùm verbo loquentem te. Ergo exemplo illius, quæ teste te, *optimam partem elegit, sedens secus pedes* tuos, ô Domine, audiam *verbum* tuum.

Ioan. 12. 19.

Luc. 10. 40.

## §. III.

### *Christus coram Herode accusatus sitet.*

CHristus non tantùm de multis ab Herode interrogatus, sed de plurimis à Judæis accusatus, patientiâ suâ se involvens, nullum, quo illorum criminationes refellat, adducit argumentum; nullum, quo se defendat, profert verbum. Silent Evangelistæ crimina, de quibus accusabatur; produnt tamen illos, qui illum accusabant; sic enim loquuntur: *Stabant autem principes Sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum.* Etiam hîc solum Christi pro sua causa patrocinium, fuit constans silentium. Hoc admirandum, & omnibus seculis inauditum æternæ Sapientiæ silentiũ, suis momentis ponderatum sufficit ad omnium malè loquentium ora obturanda. In primis illi, qui

qui eum accusabant, erant viri auctoritate maximi, Scribæ & principes Sacerdotum, quorum verba, erant effata; acta, agendorum norma; vita, malorum censura. Unde facilè ut crederet omnia vera esse, auctoritate eorum inducebatur Herodes. Sacerdotes ergo, sub quorum lingua erat venenum aspidum, expuunt in illum omnem bilem, Christus suscipit; loquuntur illi, hic tacet; illi accusant, hic accusantibus nihil opponit; scelera exprobrant, audit; contumelias in eum exonerant, nihil respondet. Sed Christe, vide quid agas: crimina quę tibi objiciunt, probas, dum quę objiciuntur, feciſſe te, non negas. Memineris quid per Davidem facturum te prædixeris: *Respondebo exprobrantibus mihi verbum.* Cùm responsurum exprobrantibus te promiseris, cur in tanta Judęorum exprobratione nihil respondes? An oblitus es tui promissi? *Accusatur Dominus* (ait Ambrosius) *& tacet: & bene tacet; quia defensione nō indiget. Ambiat defendi, qui timet vinci: non ergo accusantem tacendo confirmat; sed despicit, non refellendo. Christus dum condemnatur, & superat; dum judicatur, & vincit. Quid ergo erat ei opus loquiante judiciū, cùm ipsum judicium erat innocentiæ testimonium; calumnia, victoria, &c. Taceat lingua necesse est, ubi ipsa æquitas sibi adest: plenior justitia est, quæ non verbis adstruitur, sed virtutibus fulcitur. Nolo sic defendi justitiā, ut iniquitas solet excusari. Quòd vincit Christus, non orationis, sed virtutis est. Scit enim Salvator, qui est sapientia, quomodo tacendo vinceret; quomodo non respondendo superaret: atque ideo mavult causam suam comprobare, quàm dicere. Quid enim eum compelleret ad loquendum, cùm silentium sufficeret ad vincendum?* O silentium omni eloquentiâ facundius; omni clamore vocalius; omni tubæ clangore clarius! si-

Ps. 118.

Lib. 10. in Luc. Silentiū innocētiæ est patrocinium.

lentium dignum omnium Oratorum linguis prædicari! O quàm disertè hoc Christi silentium accusat linguam meam! quàm illa velox est ad loquendum; quàm tarda ad silendum! Adest inimicus? præsentis calumnior famæ. Abest? absentis lædo honorem, imminuo æstimationem. Loquitur mihi? obloquor ipsi. Dum interrogo, scelera ipsius exprobro. Dum respondeo, dicteriis eum irrideo. Jam provoco ad iracundiam, dum cavillando irrogo injuriam. Denique *lingua* mea *gladius acutus*. Quot profero verba, tot infligo vulnera: vel aliis, dum alienam obscuro gloriam: vel mihi, dum propriam occido animam. Sed te hîc alloquor, quisquis innocens: propone hîc tibi Christi silentis exemplum. Calumnientur tibi maledicorum linguæ, accusent malignantium concilia, contemnent iniquorũ tribunalia. Non opus est consulas in foro, ut tibi consulas causidicos, vel advocatos, vel patronos. Sit causæ tuæ patrocinium, Christi exemplo, silentium. Securè conticet lingua, ubi loquitur vita. Non opus est Aristotele, qui ex Philosophia collectis te accusantes convincat argumentis; non opus Demosthene, qui ex Rhetorica requisitis tuam causam defendat præceptis. Nullius tam facilè tibi patrocinabitur eloquentia, quàm vitæ tuæ innocentia. Integritas, & morum modestia, optima est pro tuî defensione apologia. Sed durum est innocentem debere pati, nec posse loqui. Ecce enim impii *cogitaverunt iniquitates in corde; totâ die constituebant prælia*. Fingunt falsa crimina, adstruunt falsa testimonia: *Acuerunt linguas suas sicut serpentes*: accusant, calumniantur, minãtur. Quid agimus? Silemus; silentium interpretatur ficti criminis testimonium. Loquimur? iniqui judices æquis

Ps. 56. 5.

Ps. 139. 3.

Num. 4.

æquis auribus loquentes non audient. An ergo contra fas & nefas condemnabitur innocentia, cùm nullum habeat, qui ejus causam in terris defendat, Advocatum? Nolite diffidere causæ vestræ, Innocentes. Non habemus, qui pro nobis loquatur apud iniquum judicem, advocatum: *sed Advocatum habemus apud Patrem* Jesum *Christum*. 1. Ioan. 2. 1. Hoc cogit nos innocentes inter calumnias cum Christo silere: inter varias criminationes non loqui: falsè accusantibus non respondere: quia *Advocatum habemus apud Patrem*, Jesum *Christum*. Jesus pro nobis loquitur in cœlis, dum propter ipsum silemus in terris. Ideo siluisti, ô Jesu, coram impio Rege, ut loquereris pro nobis coram Patre. Sed & nunc non tantùm pro nobis, sed & nobis loqueris. Tu ergo Verbum pro me caro factum, tantùm dic verbo, mihi cæco: Respice, & videbo faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere. Tantùm dic verbo, mihi surdo: Adaperire, & audiam verba tua dulciora supel mel & favum. Tantùm dic verbo, mihi muto: Loquere, & loquar magnalia tua. Tantùm dic verbo, mihi paralytico: Ambula, & curram per viam mandatorum tuorum. Tantùm dic verbo, mihi leproso: Mundare, & confestim mundabitur lepra. Tantùm dic verbo, mihi mortuo: Surge, & continuò surgam, & residebo, qui fueram mortuus. Sed audio, ô Sapientia æterna, te dicentem per os Sapientis: *Verba Sapientum audiuntur in silentio*. Eccl. 9. 17. Quantò magis opus est silentio, dum loquitur ipsa Sapientia? Non loquitur Verbum, nisi silentibus. Non est in corde tuo silentium. Pulsat in animo tympanum iracundia: inflat buccinam vana gloria: rixantur spes, & timor: digladiantur amor, & odium: debacchantur tristitia, & gaudiũ: tumul-

tumultuantur audacia & cupiditas: fremunt effrænes affectus: & bello plus quàm civili agitatur pectus. Cor nostrum est campus Martius: plena omnia strepitu, fremitu, tumultu. *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor.* Sit cor tuum solitudo, sit in corde silentium, & tunc loquetur ad cor. *Cùm enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus prosilivit.* O Christe, jam quietum silentium continet omnia: patent aures, ut excipiant verbum tuum. Veniat jam de regali sede, de hac ara, omnipotens sermo tuus; & fiemus nos potentes sermone & opere: si loquaris nobis viatoribus hîc in via, ut olim duobus tuis discipulis; illicò cor nostrum ardens erit. Itaque loquar tibi cum tuo Augustino: *Age Domine, & fac: excita, & revoca nos; accende, & rape; flagra, & dulcesce: jam amemus, & curramus.*

Osea 2. 14.

Sap. 18. 14.

## §. IV.

### *Spernitur Christus ab Herode.*

CHristus, qui non minus verè, quàm magnificè gloriatur: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant*: qui à Joanne vocatur *Princeps Regum terræ*: ille ab impio, sacrilego & abjecto Rege contemnitur ut stultus; deridetur ut fatuus; explodítur ut insanus; *Sprevit illum Herodes cum exercitu suo.* O Herodes! noluit tibi loqui Verbum Patris, cùm tamen *verba vitæ æternæ habeat*: quia tu ex illises, de quibus per Prophetam conqueritur: *Totâ die verba mea execrabantur.* Sed agam ego hîc interpretem Christi silentio suo tibi loquentis. Si bene attendis, audies illum tibi tacitè dicentem, quod mulieri Samaritanæ: *Si scires donum Dei, & quis est*, qui adstat tibi. O Herodes, si scires

Prov. 8. 15.

Apoc. 1. 5.

Ps. 71. 11

Iob. 6. 69.

Ps. 55. 6.

Ioan. 4. 10.

scires quis est: indubiè cum Petro, relictis omnibus, sequereris eum: si scires quis est; cum Thoma exclamares: *Dominus meus, & Deus meus!* ô Herodes, *visitavit* te *oriens ex alto*: sed tu stulte, alta sapiens, non cognovisti *tempus visitationis tuæ*. Ecce abit à te Jesus, & cum illo omne tuum bonum. Relinquetur domus tua deserta; nec videbis illum amodò, nisi in nubibus cœli venientem cum potestate magna. Tunc regnum tuum tolletur à te, & conjicieris miser in tenebras exteriores. Quid hîc dicam, nisi quod credo te, ô Jesu ab Herode spretum dixisse: *Confiteor tibi, Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis. Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.* An & nos inter parvulos? utinam! nam illud ad salutem est necessarium; *Nisi enim efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Sed unde hoc nobis, ô Domine! stans ante Herodem spectabilis, nec te agnoscit: stas absconditus ab oculis nostris, & agnoscimus te Dominum ac Deum nostrum. Cur non te illi, ut nobis, revelâsti? *Quia sic placitū fuit ante te.* Idem es qui adstabas Herodi in aula, & qui adstas nobis in ara: Herodes te sprevit; nos te adoramus. Cur te manifestas nobis parvulis, & abscondis Regi maximo? *Quia sic placitū fuit ante te.* Et modò, quot sunt, qui nos & sapientiâ, & potentiâ, & opibus, & viribus, & aliis naturę dotibus antecellunt? Quot sunt inclyti sanguine, illustres gloriâ, conspicui sceptro & purpurâ Proceres, Magnates, Principes, Reges, qui possent gratiâ, imperio, auctoritate: qui tamen omnes *jacent in tenebris & umbra mortis*: quibus *sol justitiæ non illuxit*; destituti *fide*, sine qua *impossibile est placere Deo*? Cur illis relictis, præ illis tamen multis, tam magnis ele-

Ioan. 20. 28.
Luc. 1. 78
Luc. 14. 19.
Matt. 18. 25.
Matt. 18. 3.
Luc. 1.
Sap. 5.
Heb. 11. 6

elegisti nos parvulos? *Quia sic placitum fuit ante te.* Sic tibi placuit aspicere parvulos, despicere maximos. O Christe, quia sic placitum fuit ante te, eligere nos; dum Herodes te dimittit ex aula sua, nos te admittimus in corda nostra: & quia honor tibi ablatus est in Herodis palatio, ego illum tibi cupio restituere in hoc templo. Ego ergo hîc coram tota rerum universitate protestor, hanc me æstimare maximam gloriam, posse pro nomine Jesu pati contumeliam. Hæc mea est libertas, Jesu servire; dignitas, Jesu subesse; felicitas, Jesu placere. Licèt hîc mihi proponerentur omnes Principum purpuræ, Regum sceptra, Cæsarum diademata, & reliqua honorum insignia: licèt mihi offerrentur omnes opes, aurum, argentum, & omnes terrarum thesauri, & quæcumque humana ambitio magni æstimat: hæc omnia abjicerem, & arbitrarer ut stercora, ut Jesu serviam: mallémque substerni Jesu mei pedibus, quàm imperare omnibus terrarum Regibus. Sed non possum solus honorem Christo ablatum restituere: itaque vos, ô cœli! ô terræ! ô inferi! concurrite mecum, vos vestras cum meis conjungite voces, omnésque strati ad pedes Christi, mecum hæc verba, maxima cum animi submissione
2. Tim. 1. 17. pronuntiate: Jesu Christo, *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor & gloria.*

## §. V.

### *Induitur veste albâ, & remittitur ad Pilatum.*

CHristus coram tota curia Herodiana, tantáque Procerum frequentia, câ stabat vultûs placidissimi amabilitate, eâ totius corporis modestissimi compositione, câ oculorum serenitate, & oris suspiciendi majestate, totiúsque frontis con-

constantissimo colore, qui fiduciam causæ ostenderet etiam apud iniquum tribunal. Dixisses ibi stare non hominem innocentem, sed ipsam innocentiam. Licèt lingua ei sileret, tamen frons, oculi, vultus, tota deniq; totius corporis relucens modestia loquebatur, in eo esse aliquid humano majus. At Herodes cùm Christum videret ad omnia, quæ sciscitabatur, obmutescentem, ut stolidum & bucconem quemdam habuit; & supra insanos omnes insaniens, stultitiæ, qui erat Sapientia Patris, insimulans, & in eandem insaniam Palatinos omnes præcipites trahens, postquam eum sprevit; *illusit indutum veste albâ, & remisit ad Pilatum.* Luc. 23. 11. Hîc repente à toto exercitu in eum plenis buccis effunduntur scommata, dicteria, contumeliæ, opprobria. Audit fanaticus, amens, stultus, bardus; trahitur, imò rapitur per publica Jerosolymæ compita; confluunt certatim hominũ undæ; replentur fores ædium, & fenestræ: ille sordibus ipsum impetit, alter vestibus in solum protrudit; ille calcibus percutit, alter manibus; omnes plaustra injuriarum in eum exonerant. Verè jam dixeris, ô Christe: *Prodigium factus sum multis;* Ps. 70. 7. imò ludibrium omnibus. Hęc inulti spectatis, ô magni hujus Domini famuli? Siccine otiosi conspicitis ex alto sperni vestrum Regem hîc in terris, quem vos tectâ alis facie adoratis in cœlis? jam, jam tempus est, ô Pater, ut apertis cœlorum cataractis effundas Noëmicam pluviam, & deleas omnem substantiam, quæ est super terram. Quin jam, ô justitia, pluis super Jerusalem sulphureos nimbos, & in cineres redigis illos, tanquam pulverem ante faciem venti, qui cùm sint pulvis & cinis, immensam Filii tui majestatẽ vilipendunt, à cujus tamen nutu illi omnes dependent? Sed

quid

quid ego ista vel contra Herodem, vel Herodianos? Non unus est qui Christum spernit Herodes; multi sunt hodieque, & quidē hoc loco Herodiani, qui Christum illudunt indutum veste albâ. Parcite mihi, si vobis non parcam; date veniā, si securim ad radicem ponam; nolite mihi succenſere, si stringam hîc *gladium spiritûs, quod est verbum Dei*, contra eos qui spernunt Verbum Patris. Sunt qui hoc sacratissimo loco, ubi nullus deberet esse locus, nisi pietati, impiè exemplo Herodis, verè magis Herodiani, quàm Christiani, Christum spernunt indutum veste albâ. Verè sub albis speciebus panis, *vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix*. Vos itaque illuditis illum *indutum veste albâ*; quia non videtis regiā divinitatis ejus purpuram; illud, inquam vestimentum, in quo scriptum est: *Rex regum, & Dominus dominantium*: spernitis eum. Itane verò? Illius violatis honorem, cui soli (ut antea audîstis) debetur omnis honor? si quis debetur honor in cœlo Angelis & Superis; si in terra Principibus, Regibus, Pontificibus; si magistris, si parentibus, si ulli homini, ideo debetur illis honor, quia sunt membra Christi, cui soli debetur omnis honor. Et vos illum spernitis? Pater æternus honorat suum Filium honore infinito; & *vos* (ait Christus) *inhonorâstis me*. Anima quidem nostra est immortalis, sed primo illo momento, quo corporis jam soluta vinculis prodibit in conspectum Christi, quando videbit infinitum illum, immensę majestatis latè evibrantem splendorem, Angelos omnes tantâ submissione honorantes, totam cœlestem curiam intentam, & occupatam laudando, honorando, venerando Christum, tanquam totius universi Dominum; hæc sciens, & videns anima, & memor quanta se olim

In tēplo Christus spernitur.

Eph. 6. 17

Matt. 17. 2.

Apoc. 19 16.

Honor omnis debetur Christo.

Ioan. 8. 49.

olim coram Christo gesserit irreverentiâ, prę pudore & indignatione, tota deficeret, & in nihilum redigeretur. Sed hæc omnia abscondita sunt ab oculis vestris, quia Christus est hîc Deus absconditus. Interim mi Jesu, Rex cordis, non ita es absconditus oculis meis, quin videam; & hîc coram omnibus agnoscam, tantæ te esse excellentiæ, ut omnium obsequiorum, amorum, honorũ, & cujusvis subjectionis, quam res ulla creata potest adhibere, debitor existam. Dum te ibi in âra existentem, ut verum Deum considero, ut Sapientiam Patris æterni, ut splendorem ejus claritatis, ut speculum ejus pulchritudinis, ut vivum characterem ejus substantiæ: animis deficio, caligant oculi, stupet intellectus: & aliud nihil possum, quàm mirari, laudare, adorare sine fine incomprehensam majestatem tuam, infinities ingeminans: *Tu es Deus, & non est alius præter te.* Iudith 9. 19.

## CAPUT VII.

## Christus in atrio Pilati.

### §. I.

### *De Flagellatione Meditatio prima.*

SPectaculum sacro plenum horrore, nobis hodie exhibebit Synagoga plena iniquitate; quare & attentas exigo, dum exponitur, aures; & intentos, dum proponitur, oculos Nos interim, ô Christe! si invenimus gratiam in oculis tuis, supplices obsecramus, ut qui & surdos fecisti audire, & cæcos videre, aperias & aures, ut cum fructu auditores; & oculos, ut cum sensu spectatores hîc nos sistamus. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Ioã. 19. 1. Itane verò Evangelista, tanta, tam augusta, per omnia om-

nium ætatum curricula, nunquã satis explicanda mysteria, unius verbi perstringis compendio, *Flagellavit?* Non invitas, antequam hoc verbum pronuntias, ad silentium cum Moyse, cœlum & terram, dicens: *Audite cœli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei?* Non evocas ad stuporem totum cœlorum theatrum, cum Jeremia, dicens: *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer?* Non clamas, antequã hoc explicas, cum Michea: *Audite populi omnes, & attendite, terra & plenitudo ejus, & sit Dominus Deus vobis in testem?* Non ruis, antequam hoc scribis, cum Ezechiele, in terram, & ejulando exclamas: *Heu, heu, heu, Domine Deus! Flagellavit?* Stupet lingua, horret mens, pavet animus, deficit spiritus. *Flagellavit?* Quò hîc me convertam? an ad Romanos crudelissimos, qui flagellârunt? an ad JESUM piissimum, qui flagellatur? an ad nos Christianos, pro quibus flagellatur? Sed quid juvat vel irasci Judæis, vel invehi in Romanos? in te convertito bilem. Dicat quisque cum Davide: *Ego, ego sum qui peccavi;* & ideo ego sum qui flagellavi. Sicut enim per Adamum omnes peccavimus; ita per Pilatum omnes Christum flagellavimus. Quare dum hîc barbaram satellitum refero carnificinam, scito quia de te narratur non fabula, sed historia. Interim dum præludo ad rei enarrandæ seriem, considedete omnes. Sedet in tribunali Pilatus Judex ipsius Justitiæ, sed reus injustitiæ: assident in subselliis Principes Sacerdotum, jam principes omnium flagitiorum; circumsident Seniores, pleni dierum, sed vacui virtutum; in humilioribus subselliis adstant Scribæ, quorum nomina scripta erant in libro mortis, & Pharsæi, hypocritæ isti, *intus pleni rapinâ & immunditiâ.* In plano solo

Deut. 32. 1.
Ier. 11. 12
Mich. 1. 2
Ezech. 9. 8.
2. Reg. 24 17.
Matt. 23. 25.
Matt. 23. 33.

solo consistit circumfusa fæx Judaicę plebis: *Serpentes omnes, & genimina viperarum.* Denique hunc in locum coacti erant omnes ex tota Judæa selectissimi Proceres, vel potius carnifices, impleturi ad cruentam columnam patrum suorum mensuram. Dum avidè quem flagellent, & flagellando perdant, perditi illi expectant: credo JESUM cordead Patrem conversо, hęc verba Prophetæ protulisse: *Me expectaverunt peccatores, ut perderent me.* Adest tandē quem expectant, *expectatio Gentium,* non Judæorum. Ingressus in atrium, supplicii sui theatrum, jam spectaculum factus Judæis, Gentibus, Angelis, Deo, conversus ad circumfusæ multitudinis coronam, quam animo singulis optabat, eam capite omnibus salutem impertiebat. Aspicitur hîc splendor Patris à filiis tenebrarum, & despicitur; nam *cæci illi, & duces cæcorum* videntes non videbant, quia invidebant; *excæcaverat enim illos malitia eorum.* Comprehenditur à servis peccati, Princeps libertatis, juvenis ille *speciosus formâ præ filiis hominum*, in quo paulò pòst non erit *species, neque decor.* Traditur manibus impiorum Pietas ipsa, cui omnia à Patre erant tradita. Videor audire eum tacitè conquerentem, ut olim in fimeto suo Job: *Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.* Exuitur vestibus propter filios nudos Adæ, qui *induerant maledictionem sicut vestimentum.* Nudatur, cui *omnia nuda sunt*, ne amplius timeret Adam, eò quòd nudus esset, dum videret fratrem suum in omnibus sibi similem. Apparet interim filius Patris *dilectus, candidus, & rubicundus.* Candidus innocentiâ, testante Pilato: *Non invenio in eo causam.* Rubicundus verecundiâ & confusione; *Confusus sum, & erubui: quia sustinui opprobrium.* Dum nudatur,

*Ps.* 118. 9
*Gen.* 49. 10.
Putat Salmerō Judæos quoque adfuisse in flagellatione.
*Matt.* 15. 14.
*Sap.* 2. 21
*Ps.* 44. 3.
*Isa* 53. 2.
*Iob.* 16. 12
*Ps.* 108. 18.
*Heb* 4. 13
*Cāt.* 5. 10
*Ioā.* 19. 6
*Ier.* 31 19
*Ier.* 31. 19.

tur, illudit ei, & irridet noverca Synagoga, ut filia
2. Reg. 6. 20. Saülis Davidem: *O quàm glorioſus fuit hodie Rex noſter, diſcooperiens ſe, & nudatus eſt quaſi ſi nudetur unus de ſcurris.* Sed quem ut ſcurram expellit Judæorum Synagoga, ut Regem admittit Chriſtianorum Eccleſia. Tantò jam nobis charior, quantò pro nobis vilior. Sed non ſoli hujus ſceleris ſunt rei Judæi: veniunt in ſocietatem horum ſceleratorum etiam Chriſtiani. O noſtram impudicitiam! non audeo, quæ cogito, proferre, ne vel locum hunc, vel linguam meam, vel aures veſtras contaminem; tantum enim eſt illud quod animo volvo, flagitium, ut vix ſine flagitio poſſit vel commemorari, vel audiri. Sed bene intelligenti, & malè facienti pauca. Nudare, ô Juvenis, ſed amore pudicitiæ cum Joſeph tuendæ, qui dum veſtem exuit, crimen excuſſit, & relictis quibus detinebatur exuviis, ſpoliatus quidem, ſed non nudus aufugit, qui jam erat tectior indumento pudoris, quàm pallio tergoris. Non eſt nudus, niſi quem culpa nudaverat gratiâ. Si ſit, quæ veſtem detinet, & ad crimen invitat, tunc vel relictâ ſindone nudus aufuge. Relictis etiam laceris veſtibus corporis, ſequetur te integritas animi. Quæris cur Jesus nudatus veſtibus? ut te indueret veſte nuptiali: non illâ qua in nuptiis utimur profanis; ſed qua in ſacris, dum animam dilectam deſponſat ſibi in fide, quam *in charitate*
Ier. 31. 3. *perpetua dilexit.* Jam itaque nudus eſt Jesus; nunc omnia nobis dedit, ſua, & ſe; nihil ſibi retinens, præter amorem noſtrî. O Jesu! nudus egreſſus es de utero Matris, nudus regredieris ad ſinum Patris; ſine interim, dum nudus es, ut nos, qui
Gen. 27. pauperes, & cæci, & nudi ſumus, induamur *veſtibus* tuis *valde bonis* primogeniti noſtri fratris, ut

his

his induti adeamus Patrem nostrum, & tuum, ut ipse sentiens *vestimentorum fragrantiam benedicat nobis.* Te interim, cùm aliud non habemus, nudum operiemus sacco nostræ ignominiæ, ut à te induamur *stolâ gloriæ*, dum judicandi audiemus ex ore tuo: *Nudus eram, & operuisti me.* *Isa.* 15. 5. *Matt.* 25. 36.

## §. II.

### *Ligatur ad columnam.*

STabat jam nudus in humana figura Deus, & qui adstabant, veriti ne fugeret, qui ubique est, injiciunt manibus funus; ne fortè quem ligaverat amor, solveret timor: quasi verò fortiora essent vincula crudelitatis quàm funicula charitatis. Stringunt illum arctissimè funibus, à quo Sampson acceperat robur rumpendi *vincula, quasi fila telarum.* Stat vinctus ad columnam, à cujus nutu *columnæ cœli contremiscunt & pavent.* Sed quid opus est, Judæi, funibus? *Oblatus est, quia ipse voluit*: ad columnam ligatur, quia voluit: flagellatur, quia voluit. O *charitas!* (exclamat Laurentius Justinianus) *quàm magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit! Nullum vinculum Filium Dei ad columnam tenere potuisset, si charitatis vinculum defuisset.* Interim dum in atrio Pilati proponitur grande illud spectaculum, Deus nudus & vinctus ad columnam, sub illa columna, quam stringebat brachiis, *Brachium Domini* Fortitudo Dei, tota Inferorum regio imis concussa sedibus tremebat. Tota hæc rerum universitas in antiquum ruitura chaos, funditùs periisset, nisi cœlorum fabrica, & terrarum machina toto pondere in nudos Christi humeros tunc inclinata, recubuisset. Jesu Christi columna erat fulcrum terræ, basis cœli. Jacent ad pedes columnæ aculeatæ virgæ, nodosi *Iud.* 16. 12. *Iob.* 26 11 *Isa.* 53. 8. *In ligno vitæ, c.* 4. *Isa.* 51. 6.

dosi funes, hamata flagella, ferreæ catenæ, instrumenta dicam crudelitatis humanæ, an charitatis divinæ? quibus inspectis Jesus conversus primùm ad Judicẽ, tum ad carnifices, deinde ad spectatores, tandẽ ad Patrem tacitè his verbis offert
Ps. 37. 18 totum cum sanguine corpus: *Ego in flagella paratus sum.* Para te, ô mitissime Agne; quia ingens tibi ex tetra Synagogæ nube imminet tempestas: quia
Deut. 15. *si juxta mensuram delicti erit plagarum modus,* profectò cùm delicta, quæ suscepisti expianda, sint innumera, erit & plagarũ modus sine modo & numero; accipies verbera sine mensura. *Paratus sum.*
Ps. 31. Quòd si *multa sint flagella peccatoris;* Tu qui voluisti Patri pro omnibus satisfacere peccatoribus,
Luc. 12. *plagis vapulabis multis. Paratus sum.* Quòd si in nobis
Isa. 1. *à planta pedis usque ad verticẽ capitis non est sanitas;* à planta pedis, usq; ad verticem capitis, necesse est flagelleris, ut sit sanitas. *Paratus sum.* O misericordia in miseros! ô pietas in impios! Tu ad omnia fanda & nefanda pro me nefando perferenda es paratus; at verò de me quid dicã? Tunc tantùm paratum est cor meum, dum possum affligere cor
Prov. 1. tuum. Si dicant seductores: *Sortem mitte nobiscum,*
11. *marsupium unum sit omniũ nostrum,* Paratus sum. Si
Isa. 56. dicant helluones: *Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate,* Paratus sum. Si invitant cosmophi-
12. li: *Venite, fruamur bonis, & utamur creaturâ tanquã*
Sap 2. 6. *in juventute celeriter: coronemus nos rosis,* Paratº sum.
Matt. 19. Sed si tu dicas, quod illi olim adolescenti: *Veni se-*
21. *quere me,* nõ tantùm hic non audis me paratũ; sed
Luc. 14. illud: *Rogo te, habe me excusatum.* Quoties ego dixi
19. cum Propheta: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor*
Ps. 56. 8. *meum?* at cùm video manum tuã paternam armatam flagello, ut errantẽ filium castiges, clamo cum
Iob. 13. 22 altero Propheta: *Manum tuã longè fac à me.* Quoties

iterum

iterum magno promissor hiatu, jactavi cũ Petro: *Tecum paratus sum, & in mortem, & in carcerẽ ire?* Sed quod profiteor lingua, diffiteor vitâ: tam tardus operis executor, quàm velox exequendi promissor. Unde illa tam desultoria levitas, & constans inconstantia? Quia nõ sum columna, sed palustris arundo, quæ vento nunc plausûs, nunc honoris, nunc adversitatis, nõ tantùm agitor, sed dejicior. Qui tibi adhæret, stabit in prosperis, perstabit in adversis, sibiq; semper sui similis constabit, omnibus circa se cadentibus, velut columna. Talis erat Paulus, vinctus Christi Jesu; hinc ipse Christo alligatus, ausus est, quidquid formidabile est, lacessere, cùm masculâ voce exclamaret: *Quis nos separabit à charitate Christi?* verè *crura ejus columnæ marmoreæ.* Quid miraris? Audi loquentẽ: *Ecce alligatus ego spiritu.* Audiant *carnales, & animales: Alligatus spiritu.* Si finis te ligari à lupa aliqua, à Dalila; ligaberis, ut Samson, ad columnã, sed ad tuã ignominiam; ad columnam, sed quæ tibi pariet ruinam: ad columnam, sed quæ tibi non gloriæ erit monumentum, sed vitæ sepulchrum. At revocat me ad suam columnam, sed nudus, & vinctus Jesus; qui frigore tremulus, expectat ab homine verbera, ut nova homini conferat beneficia, Dum Filius Dei, nudus vestibus, quasi scurra; vinctus ad columnam, quasi latro; condemnatus ad flagella, quasi trifur, in amplo illo theatro omnium ludibrio, sannis, contumeliis, quasi totius mundi probrum; terræ peripsema, hominum odium, exponitur: videor eum audire conversis ad nos & homines omnes luminibus, quibus *illuminat omnem hominem*, has amoris, quas dolor exprimit, tacitè deponentem querelas: Ego æterna sum Sapientia, & nemo me consulit: Veritas, & nemo

Luc. 21. 33.

Rom 8. 15

Cant. 5.

Act. 20. 22.

1. Cor. 33.

Ioan. 1.

credit: Bonitas, & nemo amat: Misericordia, & nemo sperat: Justitia, & nemo timet: Pulchritudo, & nemo aspicit. Sum lux, & pauci ad me sua lumina vertunt: sum dux, & vix est qui me sequitur: sum via, & omnes à me fugiunt: sum Rex regum, & pudet omnes mihi servire: sum vera & sine felle voluptas, & omnes me fastidiunt: sum facilis dare multa & magna roganti, & nemo me rogat. Si ergo, ô homo, post tot præsidia pereas, non hoc defectus est bonitatis meæ, sed culpa voluntatis tuæ. Perditio tua ex te, ô homo. Ita est; sed & redemptio mea ex te, homo Deus. Scio quia ex me perditio mea: Tu enim, fili hominis, *Luc. 9. 56* *non venisti animas perdere, sed salvare.* Perdo me, dum desero te. Ne ergo ego sim ut filius ille perditionis, qui se perdidit, dum te deseruit, adhærebo firmiter tuæ columnæ: sed ne ab illa avellar umquam, injice tua hîc vincula, & ita illa stringe, ut nullus illa solvat, nisi quæ solvit vincula corporis, mors. O sacra columna! Mihi adhærere tibi, bonum est. Tenebo te. Te nixus vincam quidquid me vel oppugnare audet, vel expugnare potest. Hanc tenens columnam, spero victoriam, & post victoriam in regno tuo columnæ constantiam, sic te prædicente, & promittente: *Apoc. 3. 22.* *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.*

## §. III.

### *Flagellatur.*

HOrror & stupor, ubi estis? ô Justitia! averte oculos furoris tui, ne fortè moriamur. O Misericordia, huc advola; salva nos, perimus. Nam inter flagella *Isa. 57. 1.* *Justus perit, & non est qui recogitet.* *Isa. 1.* *Obstupescite cœli super hoc.* Qui in principio crea-

creavit cœlum & terram, hic in terra, spectante cœlo, pro homine flagellatur, & adhuc ab homine non amatur. O Jesu! veneretur meum silentium, tuum supplicium. Non possum eloqui, quod tu voluisti perpeti. O Pater æterne! moritur Filius tuus inter manus peccatorum. Sed noli irasci: quia *expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Ioã. 11. 5. O Pater æterne! miserere meî pereuntis, propter Filium pereuntem. O Fili! *Pater misericordiarum*, miserere meî toties rei, & propter flagella tua, dimitte peccata mea. O Justitia! miserere, quia venit tempus miserendi. Clamant è limbo captivi patres, è cœlo Angeli pacis amarè flentes, è terra homines pereuntes: Miserere. 2. Cor. 1.

## MEDITATIO II.

### §. I.

*Nudatur Christus.*

HActenus in minoribus præluimus: jam ventum est ad Triarios, jam velut signo dato totis concurrunt viribus hinc Christi amor, inde hominis furor. Jam inter misericordiam & Justitiam, velut decretoriâ pugnâ decernetur de summa rei, quando in medio terræ, *Dei & hominum mediator* stabit ad columnam vestibus nudus, funibus vinctus, flagellis cæsus. 1 Tim. 2. 5.

Pilatus importunâ Judaicę feritatis rabie coactus, populi Christum ad crucem poscentis vociferationibus victus, metu civilis tumultûs compulsus maluit summo cum flagitio violare Justitiam, quàm tanto cum periculo propugnare Innocentiam. Fateor, fecerat Pilatus, ut Christum liberaret, quidquid ferè potuit, non tamen quidquid debuit; benignus in Christum, & simul offi-

cioſus in hoſtes Chriſti. Sed tandem ceſſit iniquitati Æquitas, & ne diſpliceret peſſimis, placuit plectere innocentem. Vocabat ergo Pilatus Jesum intra prætorium, his, aut id genus verbis affatus: Ecce in confeſſo tibi eſt, quanto gens tua ardeat odio tuî; Nemo eſt, qui non ſitit tuum ſanguinem, qui non depoſcit te ad mortem, qui non exoptet tibi crucem. Quid agam? Non poſſum unus reſiſtere omnibus. Hæc fax odii & invidiæ non extinguetur niſi ſanguine tuo. Quare ad flagella te præpares neceſſe eſt, patientérque feras, ac boni conſulas: quod quidem ego non tantûm invitus, ſed coactus facio. Eſt regula ab omnibus uſurpata, ut ex duobus malis imminentibus id quod minus eſt, eligamus, ut majus evitetur. Leve eſt flagellari, dum quod graviſſimum eſt, redimitur, mori. Ero in te ſeverus, ut ſim benignus; non parcendo, parcam; flagellis excipiam, ne mortem inferam; punieris, ne moriaris. O Pilate! convinceris à dæmone hoc argumento. Peſſimè philoſopharis. E duobus malis eligendum eſt minus. Aſſentior. Sed minúſne eſt malum flagellari Deum, quàm offendi Judæum? Ignorabam eſſe Deum. Sciebas Juſtum. Fuerat graviſſimorum criminum accuſatus. An etiam convictus? Jam illum in concilio condemnaverant Principes Sacerdotum. Hoc eſt, primi nebulonum. Timebam tumultum populi. Tuum erat vel compeſcere, vel contemnere. Vitæ metuebam. Pro defenſione Innocentiæ vitam perdere, eſt ſalutem conſervare. Non perieras, ſi ſic periiſſes. Sed quid ego pro cauſa altercor cum Pilato, cùm Chriſtus pro cauſa mea flagellari non metuat, ſed ambiat? Cùm ergo Pilatus non poſſet liberare Chriſtum, nec per atteſtationem

ejus

ejus innocentiæ, nec per delegationem cauſæ ad Herodem, nec per conſuetudinem liberandi unum vinctum in Paſchate, nec per alia, quæ excogitaverat, præſidia: *Tunc apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit.* Matt. 20.

Debent, ô Chriſte, impleri tua verba, ne videaris falſus Propheta. Dixiſti: *Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum.* Præceſſit illuſio, ſequetur flagellatio; impleantur Scripturæ. Trahitur in Prætorium, ſequitur trahentes qui brevi omnia ad ſe trahet mitiſſimus Agnus: exponitur omnium oculis, quos ipſe diligebat ut pupillam oculi ſui. Solvunt carnifices vincula, & extrahunt veſtimenta. Cùm jam omnium oculis nudus pateret, tum demum *benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei.* Ad Tit. 3. 4 Ubi es nunc miſer Adam? Quid trepidus fugis ad folia ficûs, ut tegas nuditatem carnis? Tu pavidus latitas inter arbuſta, dicens: *Vocem tuam audivi in paradiſo, & timui, eò quòd nudus eſſem.* Gen. 3. 10 Noli timere, progredere ex horto paradiſi ad prætorium Pilati: non eſt quòd timeas, quia nudus es. Habes jam nuditatis ſocium, ipſum Dei Filium. Si memineris, audiviſti ex ore Dei in paradiſo: *Ecce Adam, quaſi unus ex nobis factus eſt.* Gen. 3. 22. Jam tu illi impropera: Ecce Deus quaſi unus ex nobis factus eſt. Ego homo, & Deus homo; ego nudus, & Deus nudus. Et nos filii Adæ nudi egredimur ex utero matris, ſed tamen nudi non admittemur in regnũ Patris. Illic enim nudo dicitur illud Evangelicum: *Amice, quomodo huc intrâſti, non habens veſtẽ nuptialem?* Matt. 22. 12. Et tunc dicet Judex tortoribus: *Ligatis manibus & pedibus, ejus projicite eũ in tenebras exteriores.* Qui ergo nudi naſcimur, providendũ eſt ne nudi moriamur. Omnes enim *domeſtici* Dei *veſtiti ſunt duplicibus*: veſtimento gratiæ,

Nuditas animæ quomodo tegenda.

Prov. 31. 21.

tiæ & gloriæ: omnes cives cœlestis Hierusalem
Apoc. 7. *amicti sunt stolis albis*, nullus illic admittitur nudus.
31. Sed ego qui stolam meam primam amisi in paradiso, ubi illam recuperabo? Illic, ubi filius prodigus: Abiisti miser *à Patre, profectus es in regionem*
Luc. 15. *longinquam*, & ibi ut peregrinus ille Jerichontinus incidisti in latrones; qui etiam despoliaverunt te: ita ut de te dici possit illud Apocalyptico:
Apoc. 3. *Tu miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Quid consilii? Audi quid dicat tibi nudo
Ibid. v. 18. Jesus nudus: idem quod sequitur in Apocalypsi: *Suadeo tibi à me emere aurum ignitum, probatum, ut locuples fias; & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ.* Imitare nudum prodigum; Surge, & redi ad Patrem; expone illi peccata, denuda conscientiam; die singultienti
Luc. 15. voce, corde contrito & humiliato: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te.* Illico clamabat Misericordia: *Citò proferte stolam primam, & induite eum.* Idco denudatur in prætorio Pilati vestibus Rex gloriæ, ut nuda anima induatur stolâ gloriæ. O Jesu, nos nudi ad te nudum confugimus. Quid aliud hîc coram te dicemus, nisi illud Apostoli:
1. Cor. 4. *Ecce esurimus, & sitimus, & nudi sumus?* Esurientibus nobis prospexisti, cùm dedisti nobis corpus
11. Matt. 26. in cibum, dicens: *Accipite, & comedite.* Sitientibus reliquisti calicem sanguinis, dicens: *Bibite ex hoc*
26. Vers. 27. *omnes.* Itaque non amplius esuriemus, sed tamen illud adhuc superest: *Nudi sumus.* O quàm dura est animæ nuditas, ubi in animo refrixit
Deut. 32. charitas! Sumus hîc *in loco horroris, & vastæ solitu-*
10. *dinis*, ubi *frigidus ventus Aquilo flat*, & ecce *nudi su-*
Eccl. 43. *mus.* Tu jussisti per Prophetam tuum: *Cùm videris*
22. *nudum, operi eum.* Vides me nudum, operi me,
Isa. 58. 7. Jacent ecce vestimenta tua in terra: his me in-

due, & scio, propter illa Pater tuus benedicet mihi, & ero benedictus.

## §. II.

### *Ligatur.*

OMnia vincit amor. Sed homo fortiter impius ut vinceret amorem Christi, voluit vincire Christum, quasi tunc esset victus, dum vinctus. Christus ad columnam accedens, eandem amplexatus est, ut ostenderet se illi alligatum, non quia homo ligare potuit, sed quia ipse ligari voluit. Fuit autem manibus, & pedibus, & collo columnæ adstrictus; ne fortè fugeret, scilicet qui venerat fugientes à se quærere.

Quod postea discipulus Christi Paulus, hoc modò Magister illius discipuli Christus dicit. Is dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Christus dicit: Quis me separabit à charitate hominis? *An tribulatio, an angustia?* sed *tribulatio & angustia invenerunt me. An fames?* Quadraginta diebus jejunavi, donec esurirem, *An nuditas?* Hîc nudus consisto. *An persecutio? Multi qui persequuntur me, & tribulant me. An gladius? Tanquam ad latronem* exiverunt, *cum gladiis & fustibus comprehendere me.* Quid ergo separabit me à charitate hominis? Certus sum quòd neque vincula, neque flagella, neque alapæ, neque spinæ, neque clavi, neque crux, neque mors, neque creatura ulla poterat me separare à charitate hominis, propter quem factus sum homo. Dubitas adhuc, ô homo, de amore Jesu in te? Quod certius exigere potes argumentum amoris, quàm ejus, quem effudit pro te sudorem in molestis itineribus, lacrymas in ferventibus precibus, sanguinem in horrendis cruciatibus. Sic te amat Jesus, ut nisi omnipotentia divinæ ejus naturæ

*Rom.* 8. 35. *Ps.* 118. 143. *Ps.* 118. 157. *Matt.* 26. 55.

susti-

sustineret, & corroboraret naturam humanam, vinctus & nudus ad columnam, antequam ullum percepisset ictum flagelli, præ magnitudine amoris expirâsset. Non hoc sufficit ad testandum Jesu tui in te amorem? Nulli potest esse dubium, quin Angeli omnes & Cœlites impensissime ament SS. Trinitatem: tamen Christus plus amat animam unam suî amantem, quàm omnes novem Angelorum Chori, quàm omnes beatæ Mentes simul amant SS. Trinitatem. Et adhuc post tantum amorem invenietur aliquis, qui non amat Jesum? Certè debuisset hoc æstimare maximum, quod umquam in terris visum, vel auditum fuisset prodigium; inventum fuisse unum hominem in mundo, qui non amaret Jesum. Imò debuisset ad conspectum illius hominis, tamquam ad insolens & abominabile monstrum, obstupescere cœlum, sol subtrahi, sidera obvolvi caligine, concuti à fundamentis terra, scindi petræ, hiare saxa. Tantum æstimari deberet hoc portentum, unum inventum fuisse hominem, qui non amaret Jesum. Et tamen inventus est homo, & homo non unus, sed mundus totus in maligno positus, qui redderet illi odium pro dilectione sua. Numquid, quando hîc vides Filium Dei ad columnam vinctum, & nudum, dicere potes: *Ecce positus est in signũ cui contradicatur*. Numquid omnes dicunt dignum, qui vestibus operiatur? ideo vestibus exutum denudant. Numquid omnes dicunt indignum illum, qui instar viliſſimi mancipii, virgis, flagellis, loris laceretur? ideo ad columnam eum vinciunt. Numquid hic verè positus est in scopum, in quem omnes injuriæ, odia, calumniæ, contumeliæ, opprobria, maledicta, cædis & interitûs machina-

Christũ nõ amari à nobis prodigiorũ maximum.

*Luc.* 2. 14

chinamenta collinearent? Nonne vides hîc extensa omnium hominum brachia, armatas flagellis omnium hominum manus, ut cruentent, concidant, dilanient corpus Jesu? Nos quotquot hîc sumus; antequam essemus nati, Christum percussimus: neque enim, quæ Christum flagellârunt, fuerunt Judæorum brachia, sed nostra & parentum nostrorum scelera. Audite æternum Patrem loquentem de Filio percusso: *Propter scelera populi mei percussi eum.* Quis est ille populus, propter quem percussus est Dei Filius? An Judaicus, an Gentilis, an Christianus? Quisquis commisit scelus, est Jesu percussi reus. Qui ergo immunis est à scelere, is jactet se mundum esse à Christi sanguine. Nos ergo, qui deliquimus, iidem & percussimus. Quid dico, percussimus? Id præteritum est. Etiamnum in præsentiarum percutimus. Nec hoc satis est: adhuc sæpius percutiemus. Fortè unâ horâ antequam ad hunc locum conveniistis, illum percussistis, vel lascivo oculo, vel impudicâ manu, vel pravâ cogitatione, vel malevolâ mente, vel maledicâ linguâ. Fortè & nunc illum percutitis, dum Jesum fuisse percussum auditis sine dolore mentis, sine suspirio cordis, sine sensu animi. O cautes! ô rupes! ululat percussus canis, & doletis: vapulat Filius Dei, & ridetis! Jesus præ dolore prope expirat: nemo præ amore Jesu vel suspirat. Fluit sanguis copiosus ex omnibus venis corporis: non stillat vel lachrymula ex nostris oculis. Hiant undique immania in percusso corpore vulnera, nec nos semel percutimus pectora. O Jesu! quid tu ad hæc? Si tu olim antequam esses homo, antequam sudâsses pro homine, antequam vapulâsses ab homine, dixeris: *Pœnitet me fecisse hominem;* Isa. 53. 8.

Gen. 6.

*nem*; quid nunc dices, dum inter omnes homines non sit homo, qui te non odit, maledicat, persequatur: expoliet vestibus, vinciat funibus, moliatur interitum? *tunc tactus dolore cordis intrinsecùs*, tonabas ex alto, & minabaris: *Delebo omnem hominem quem creavi, à facie terræ.* Quæ jam metuenda sunt nobis ex ore tuo tonitrua? Quæ non expectanda fulmina? Quæ spes redemptionis post tot injurias in Redemptorem? O me miserum, cùm jam non *sit qui redimat*, *neque qui salvum faciat*! Quomodo ausim tot inter mihi timenda dicere cum Davide: *Redime me, & miserere mei*? Quid times, ne redimaris, anima mea? Sic loquitur per suum Prophetam, qui posuit pro te animã suam: *Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu.* Si ergo sim tuus; dicam ego ad te: *Tuus sum ego, salvum me fac.*

Gen. 7. 3.
Ps. 25. 11.
Isa. 43. 1.
Ps. 118. 94.

## §. III.

### *Flagellatur.*

PRopositurus plenum immensi stuporis, aciniti amoris sacramentum, priùs tanquã ad celeberrimum totius rerum universitatis theatrum, convoco cœlos & terras, homines & Angelos; quin & dæmones, sævos justitiæ satellites, ut eum intueantur, qui in atrio Pilati *spectaculum factus est mundo, & Angelis, & hominibus.* O Pater! adsis hujus tragœdiæ spectator, cujus ego fui auctor. Hoc tamen obtestor, ut si videris manum peccatoris extentam super corpus Filii tui; si videas manus nostras plenas sanguine, manum tuam longè facias à nobis; quia Filius tuus, idem qui à peccatoribus cæditur, pro peccatoribus patitur. Adsis & tu, ô Justitia! & videas usque ad novissimum quadrantem soluta nostra debita.

1. Cor. 4. 9.

Nec

Nec ergo posthac ulla potest timeri punitio, ubi pro puniendis tam copiosa est redemptio. Interim quietum silentium contineat omnia in terris, dum in medio terræ operatur salutem nostram Salvator noster. Non hîc audiantur lamenta super flumina Babylonis sedentium, & flentium; non hîc resonet lyra Davidica: *Miserere mei Deus.* Non opus est, ut *inter vestibulum & altare* plorent Sacerdotes: *Parce Domine, parce populo tuo.* Non hîc audiatur vox prodigi: *Peccavi in cœlum.* Pro salute omnium sufficit vox una; vox sanguinis fratris nostri. Sed ut audiatur hæc vox sanguinis, aperiantur flagris omnia membra corporis. Tantum, quantum non potest intelligi, necdum exponi, Dei in humano corpore flagellati mysterium, accipite per compendium. Ita illud perstringit D. Hieronymus: *Sex carnifices accedunt: duo eorum virgis spineis; duo lorîs nodosis: duo catenis ferreis; incipiuntque primi totis viribus eum percutere; adduntur vulnera vulneribus, decurrit sanguis. Primis defessis succedunt secundi, & novis vulneribus vetera cumulant; quos mox tertii subsequuntur, qui uncinis carnem ac pellem avellant.* O cœlum! ô terra! ô Superi! ô inferi! ô quidquid usquam sentit, aut sensûs expers est! ô si quid est quod præterea appellare possum! Numquid hîc meritò dixerim cum Jeremia: *Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis* generatio filiorum hominum? *Verbum caro factum est*, ut salva fieret omnis caro: sed homo pati non potest, Deum esse hominem. Itaque homines tanquam in rabidas feras conversi, prius ipsi humanitatem omnem exuerunt; tum Jesu Humanitatem per atrocissimas pœnas funditùs delere satagunt; quasi ferre non possent, ut Jesus esset Deus. &

*Ps 50.*
*Joel.2.17*
*Luc.15.*

Relatus à Glossa ordinaria.

*Ier.18.13*
*Ioan.1.*

maneret homo. Toto ergo furoris impetu in Verbi Incarnationem incumbunt, ut Humanitas tot cruciatuum impatiens occumbat. Flagris, loris, verberibus ingeminatis velut super incudem ictibus cutem à carne, carnem ab ossibus validè & atrociter avellunt: quin & humani corporis compagem, & speciem, quantùm illis licuit, destruxerunt. Nihil, ut in illis relictum vellent, non sanguinem in venis, non integritatem in nervis, non robur in membris, non nexum in artubus, non carnem in ossibus, non agilitatem in manibus, non firmitatem in pedibus, non pilos in capite, non formam in facie, non spiritum in corpore, imò ne speciem quidem hominis in homine; ita ut numquam verius, quàm nunc, possit usurpare illa sua apud Davidem verba: *Ego autem sum vermis, & non homo. Numquid vox hæc tua,* Pater *mi? vox mea* est, fili mi. *Vermis, & non homo.* Fui quondam *speciosus formâ præ filiis hominum*: at nunc per te, *vermis sum, & non homo.* Tu quidem, ô homo, indueris purpurâ, & byssо, & epularis quotidie splendidè, ducis in bonis dies tuos: at ego propter te *vermis sum, & non homo.* Et tu, mi amantissime Jesu, in hoc rerum statu, vel potius casu; in his tuis injuriis, doloribus, cruciatibus inter flagella & vulnera, in laceris membris, in convulsis artubus, in apertis venis, in fracto ac cruento corpore, quid agis? quæ tibi mens? quod consilium? quæ inter tot afflictiones, sunt tibi cogitationes? *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Cogito, non quomodo te in terris flagellem, sed in cœlis coronem. Cogito, non de sumenda vindicta, sed remittenda culpa. Cogito, quid adhuc possim facere vineæ meæ, & non feci. O

Ps. 21. 7. 1. Reg 26. 27. Ps. 44. 3. Ier. 29. 11

Jesu,

Jesu, verè nunc sponse sanguinis, clamamus omnes ad te, eâdem, qua Judæi, voce; sed non eâdem mente: Sanguis tuus super nos, & super animas nostras. Sanguis tuus, quem in Prætorio Pilati expressit non tam hostium furor, quàm tuus in hostes amor, super nos: Sanguis tuus à Spiritu sancto formatus, ut sanctissimus sit super nos: Sanguis tuus à castissimis Virginis visceribus haustus, ut castissimus, sit super nos: Sanguis tuus, ut remittantur peccata nostra, sit super nos: quia *sine sanguinis effusione non fit remissio*: Sanguis tuus ex sacrosancto corpore effusus, ne simus rei corporis & sanguinis tui, super nos. Denique sanguis tuus ex sacrtissimis tuis membris, pro tuis membris (sumus enim membra unius corporis) super nos, & animas nostras: ut postquam dealbaverimus stolas nostras in sanguine tuo, possimus à te redempti, cum omnibus tuis Electis, modulari illud sacrum carmen: *Redemisti nos Deo, in sanguine tuo.* *Heb. 9. 22*

*Apoc. 5. 11.*

## III. MEDITATIO.

### *De eodem Mysterio.*

MYsterium grande, quod omnem excedit fidem, præter illam, quæ est supra naturæ vires, & à Deo infusa, est Dei ab hominibus pro hominibus flagellati cruentum sacramentum. Quod sic est plenum, nescio quo horrore, ut scelus sit illud audire, nec eo audito ad scelera detestanda permoveri. Idcirco quisquis hîc adstas, eorum quæ referuntur, auditor, præmoneo, & admoneo, ut componas & disponas animum ad

detestanda tua scelera, propter quæ tanta ac talia passus est scelerum vindex, & sceleratorum Judex. Et quia hoc punctum pro more perstringemus tribus punctis, cum illis miscebimus tres principes Virtutum actus, FIDEI, SPEI, CHARITATIS: ut funiculo hoc triplici charitatis, qui difficilè rumpitur, vinciamus nos ei, qui est Charitas.

Nihil non egerat Pilatus, ut Christum morti eriperet; nihil non agebant Judæi, ut Christum morte tollerent. Hinc dum unus contra omnes illum morte eximere; contrà, alii omnes contra unum, morte tollere certant: inter omnia quæ agebat, vidit se actum agere Pilatus. Itaque partim pro Christo, partim contra Christum, quem non fuit ausus per nefas occidere, voluit contra fas corripere. Sic enim ad Judæos: *Nullam invenio in eo causam: corripiam ergo eum, & dimittam.* Luc. 22. 22.

Nec mora, irruunt furore accensi sex lictores in atrium, rabie efferati, immanitate truculenti, odio immenso inflammati: emicat toto è vultu crudelitas, & jam prius illum castigant oculis, quàm brachiis. De illis hîc non immeritò dixerit Christus: *Collegit furorem suum in me, & comminans mihi infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.* Iob. 16. 10. Sic Deus olim totus terribilis, nunc totus amabilis, nulli nisi dæmoni formidabilis, nullo prolato verbo, summâ modestiâ, & pari patientiâ, quasi omni exutus potestate, tradit se potestati carnificum, sinit se trahi, rapi, convelli, rideri, spoliari, vestibus exui nudari, ac nodosis funibus arctissimè ad columnam constringi. Quibus porrò funibus magnus ille Sampson ligari potuit? Respondet

Lau-

Laurenttus Justinianus : *Tui itaque Genitoris te impellente gloriâ, meâ me trahente infinitâ miseriâ, divinâ te arctante justitiâ, & supernâ atque ineffabili in te habitante gratiâ, his funibus ad columnam ligaris.* De trinu Agn. 6. 14.

Sed à Christo ligato, ad vos, qui ligastis, sermonem converto. Adest hic Christus olim in atrio Pilati pro vobis, & à vobis ligatus. Quid si exponeretur hic omnium oculis, eo schemate, quo fuit in prætorio Pilati nudus, & ad columnam vinctus, nonne quivis nostrûm, misericordiâ motus supra Patrem misericordiarum, accurreret, manus applicaret, nodos solveret, vincula confringeret, funibus eximeret? Huic tam pio, juxta ac optabili operi manum admovere, in vestra est manu. Certum est, nulla esse nec esse posse vincula, quibus ligetur infinita Christi potentia. Non ergo fuerunt, quæ illum ligârunt lictorum brachia, sed tua flagitia. Tu ligatis manibus ac pedibus eras mittendus in tenebras exteriores : ideo manibus & pedibus voluit ligari Salvator tuus. Si ergo tua scelera fuerunt Christo vincula, cùm tibi sit arbitrarium efficere ut absolvaris à tuis peccatis, est quoque tibi integrum, Christum solvere suis vinculis. Istud potes facere loco hoc, horâ hac, si corde contrito & humiliato accidas ad pedes Sacerdotis, ibiq; amaro animo confitearis delicta tua. Statim ubi Christi Vicarius pronuntiat illa verba : *Ego te absolvo à peccatis tuis*, absolvitur Christus à vinculis suis. O fides! quid non cogit nos credere? Nos infirmos posse pro libitu Omnipotentem ligare & solvere? Sed quia tu, mi Jesu, stas ibi ligatus vinculis ad columnam, ut quod fecisti, & ego faciam, habeo & ego, quibus anima mea ligetur, vincula habeo & columnam, ad quam ligetur.

De hac columna loquitur servus tuus, magister meus Paulus: *Vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Habeo & funem, quo huic columnæ alliger, qui est Fides. Hîc ergo *in captivitatem* redigens *omnem intellectum in obsequium Christi*, ligo hîc & intellectum, & omnes sensus, totamque cum omnibus facultatibus naturam. Itaque hîc ligato intellectu ad hanc columnam Veritatis, clamabo dissimili quidem voce, sed simili cum Paulo fiducia: Quis me separabit ab hac columna? à veritate fidei? Certus sum quòd nec lapides Stephani, nec crux Petri, nec gladius Pauli, nec lancea Thomæ, nec fustes Jacobi, nec craticula Laurentii, nec tela Sebastiani; imò nec omnes omnium Martyrum atrociſſimi cruciatus & tormenta poterunt me separare ab hac columna. Nihil adhuc dixi. Promptissimus sum omnes pœnas, quas vel hominum potest concipere crudelitas, vel dæmonum inferre malignitas: atque adeò paratus sum omnia potius sustinere Inferorum tormenta, quàm vel ad latum unguem discedere ab ullo Fidei articulo, quàm negare jota unum, vel unum apicem à te, ô Christe, expressum, vel prolatum. Nolo penitus ut ratio mea judicium de iis ferat, quia rationem superant; sed eidem impero, ut tibi se submittat, infraque te abjiciat, & inconcussâ Fide sanctissimæ tuæ sententiæ subscribat, quantumcunque captu difficiles videri possint veritates illæ, quas doces. Jam verò inter illas veritates, quas docuisti, mihi verius & certius est, te esse in Eucharistia cum tota divinitate & humanitate, quàm sint mihi certæ omnes, quæ adferri possunt, demonstrationes, definitiones, axiomata, principia lumine

1. Tim. 3. 13. Fidei actus. 2. Cor. 10 5.

lumine naturæ nota ; quàm omnia quæ videmus, audimus, gustamus, odoramus, palpamus, vel ullo sensu comprehendimus. Hæc est columna, à qua non prius separabor, quàm anima separabitur à corpore. Ego ad hanc columnam fixus & firmo pede stabo & perstabo ; pugnabo, vincam, triumphabo, donec ab hac columna solutus, in templo tuo, tanquam columna firma, nullo unquam tempore removenda, perstem, & consistam.

## §. II.

### *Flagellatur.*

HActenus præluſimus ad tragœdiæ cataſtrophen. Poſt vincula ſequuntur verbera. Sex igitur validi, nervoſi, ac lacertoſi carnifices expediunt crudelitatis inſtrumenta ; qui alternis, integri fatigatis ſuccedentes immitiſſimè in mitiſſimi Jesu carnem ſæviebant. Hi ſanguinem eliciebant, alii carnem tundebant, molebant, atterebant ; poſtremi etiam fruſta evellebant, & in auras excutiebant. *Tam durè* (ait S. Bernardus) *flagellatus eſt Dominus, ut ſanguis ejus in aera reſultaret.* Ita certatim totis lacertis, conjunctis viribus, in tenerrimum corpus contenditur, ſanguis undique defluit, venæ diſſecantur, arteriæ comprimuntur, nervi franguntur, caro tota diſſolvitur. Miramini totam ſævitiam ? Non pauci è SS. Patribus exiſtimant, dæmones in lictorum corpora, ut atrocius in eum ſævirent, inſiliiſſe ; atque adeò ſingulos carnifices fuiſſe à dæmone obſeſſos. Et ſic intelligunt illa verba : *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Alphonſus & Adul-

*Tract. de Paſſ. c. 3.*

*Luc. 22. 53.*

Ita Salmeron de Flagellatione. *Sap.* 11. 21

Adulphus putant, illi inflicta fuisse verbera ad 15 millia 370. Scribit Lanspergius, revelatione divinâ fuisse cognitum, sanguinis Christi guttas flagellis elicitas fuisse supra ducenta & triginta millia. De Dei providentia dicitur: *Omnia in pondere, & numero, & mensura disposuit.* Sed omnia patiens hæc omnia transgreditur & excedit. Pondus ictuum, numerus plagarum, mensura durationis, excessum habent, si patientis dignitatem cum delinquentium indignitate, aut delictorum gravitate compares. At ictus tamen leves sunt, paucæ plagæ, momentanea perpessio ad amorem patientis, & desiderium plura patiendi collata. Hæc enim excessum habent, pondus non recipiunt, numerum excludunt. Tantus erat amor Christi, non tantùm erga totum genus humanum communis, sed erga te, quisquis hæc audis, singularis, ut promptissimus fuisset pro tuî solius salute accipere tot ictus, quot sunt in littore maris arenæ; tot plagas, quot cœlum numerat stellas; effundere tot guttas sanguinis, quot atomi continentur in regione aëris. Paratus fuisset non horam unam, sed jam inde à primo mundi die ad usque novissimum jugiter flagellari. A tuî sic amante quid non potes, imò debes sperare? Nunc ergo in spem te erige, anima; & quàm te prius in credendo fortem, tam nunc in sperando audacem te exhibe. Primùm hîc expende, quanta sit peccati indignitas, quanta personæ peccato offensæ dignitas. Tanta est nostra, dum peccamus, in æternum Numen injuria, ut si homo aliquis esset præditus gratiâ infinitâ, imò etsi innumeri mundi conderentur pleni hujusmodi hominibus, qui gratiâ pollerent infinitâ; tamen illi omnes quidquid agerent,

quid-

quidquid perferrent, vel æternitate totâ pro noxa una mortali, etiam minima, divinæ Justitiæ satisfacere non possent. Tanta est peccati malitia. Quanta verò sit Christi præstantia, jam expendite. Ubi omnia opera omnium hominum & Angelorum, licèt essent multitudine infiniti, non sufficiunt ut satisfaciant Deo pro peccato vel unico, & quidem minimo; actio Christi unica, & minima tanti est meriti, tam immanis pretii, ut possit ex æquo, & summo justitiæ rigore satisfacere pro peccatis omnibus, quæ unquam commissa sunt, vel olim committentur, imò fingi queant posse committi; licèt essent homines numero infiniti, qui peccarent. Si quælibet Christi actio, etiam minima, unicum suspirium cordis, verbum oris, cogitatio mentis tanti sit apud Patrem meriti, pro me pretii; quid jam non audeo sperare per tantam, quam effudit pro me, sanguinis copiam? Hîc ergo erigere, Anima; aspice, & suscipe quos hîc in Christo habes thesauros. Sufficit una gutta sanguinis Christi, ut impetres fidem Abrahami, castitatem Josephi, patientiam Jobi, mansuetudinem Moysis, sanctitatem Davidis, ut acquiras charitatem Apostolorum, fortitudinem Martyrum, pudicitiam Virginum, perfectionem ipsius Matris Dei; denique gratias omnes Sanctorum in cœlis, & Angelorum. Licèt solus haberem omnes gratias, & virtutes, & bona supernaturalia omnium hominum, quæ sunt, erunt, fuerunt; adhuc plus meretur unica Christi actio. Cùm ergo jam omnia bona tua sint mihi à Patre tradita, non possum tot ac tanta sperare, quin plura & majora & tu mihi sis promeritus, & ego immeritus possim impetrare. Nunc ergo con-

Peccati gravitas.

Christi merita quanti valoris.

Spes sumenda ex Christi meritis.

fido, nullum esse impetum carnis, mundi, dæmonis tam validum, quem non sustinere; nullum vitium tam altè radicatum, quod non extirpare; nullum peccatum tam importunum, quod non declinare; nullam virtutem tam arduam, quam non acquirere; nullum donum tam excellens, quod non consequi possim, meritis tuis per gratiam tuam mihi applicatis; imò quia dedisti mihi omnia tua, jam certissimè spero, quia omnia jam possum per te. Spero igitur tuo illo sanguine tam copiosè pro me effuso, reserandas mihi portas Regni tui. Cupio igitur ossibus meis omnibus insculpi, & sanguine è venis meis
Ps. 141. 6 hausto, obsignari hæc verba: *Deus meus, tu es spes mea.*

## §. III.

### *Pia Christi jam flagellati ad homines querimonia.*

SUperest tertius funiculus, quo Christo te ad columnam adstringas, Charitas. Quo ut sic te constringas, ut nullus te possit ab eo separare, illum nunc inducam ad te loquentem, quem modò spectâsti pro te patientem. Christus à planta pedis usque ad verticem capitis, jam vix aliud quàm unum vulnus, sanguinolentos oculos à columna ad te retorquens, hisce amabilibus verbis, plenus ipse amore alloquitur, quibus
Gen. 27. 23. alloquebatur olim filium suum primogenitum Esau, Isaacus: *Et tibi ultra hæc, fili mi, quid faciam?*
Christi in nos amor. Fuit, fili mi, tempus, quando non eras, & tamen etiam tunc amor meus tecum erat: & qui non eras, & ab æterno nihil fueras, cœpisti esse per me

me,& ex me. Vix esse cœperas,& mox perieras, quia in peccatis conceptus, totus & in peccatis natus, hæres eras gehennæ, quia filius iræ: sed per me adoptatus in filium gratiæ, factus es & meæ cohæres gloriæ. *Et tibi ultra hæc fili mi quid faciam?* Sed mox oblitus factoris tui, fugiebas vagus à facie mea, & ambulabas per viam latam, quæ ducit ad perditionem; perdens te, & alios tecum: sed ut perditum quærerem, descendi de cœlo, & ingressus locum hunc horroris, & vastæ solitudinis, cucurri in sudore vultûs mei, ut te, qui ut ovis errabas, reducerem ad ovile, & deducerem per vias rectas: & sic pro tua salute laboravi, ac si ego futurus fuissem miser, nisi tu esses beatus. *Et tibi ultra hæc, fili mi, quid faciam? Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam*; & ideo dedi tibi omnia bona mea, & suscepi omnia mala tua; propter te factus homo, suscepi omnia, quæ erant infirmitatis humanæ: pro te esurivi & sitivi, jejunavi & vigilavi; amore tuî pertuli vincula & verbera, alapas & opprobria: deformatus est sanie vultus, offusi lachrymis oculi, lividæ genæ, evulsi capilli, cutis lacera, caro discissa, apertæ venæ; patent viscera, hiant vulnera, totum corpus opertum est sanguine; ex ore, naribus, oculis, cruoris exundant rivi. Quidquid habeo, dedi; quidquid potui, pertuli; quidquid valui, feci. *Et tibi ultra hæc, fili mi quid faciam?* Pater mi, quid tibi vis faciam? O Christe verè Deus Charitatis, scio quid à me velis, & quid à me ambis. Petis, quasi bonorum meorum indigens, cor tibi præberi. At vecors sim, & excors, si alio fine velim habere cor, quàm ut eo toto, te totum diligam, in omnibus, & super omnia; qui es summa mea felicitas,

2. *Reg.* 11. 26.

tas, primum principium, ultimus finis, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: omnia enim, quæ sunt, & esse possunt, sunt veluti rivuli supremæ tuæ bonitatis, radii æterni tui luminis, scintillæ immensi tui amoris, & exiles particulæ infinitæ tuæ magnitudinis. Quid me juvet esse intellectu præditum, nisi ut te cognoscam? instructum voluntate, nisi ut te diligam? donatum memoriâ, nisi ut tuî semper reminiscar, numquam obliviscar? O cur non habeo tantum amoris, quantum spiritus Seraphici, & omnes Cœlites! O utinam haberem tot corda, quot sunt in cœlo stellæ, in igne scintillæ, in aëre atomi, in mari guttæ, in terra pulveres, quot tua omnipotentia potest creare: ut omnibus illis te super omnia possem amare. Sed quando alius dignior amor nullus est, qui possit meritis & magnitudini tuæ par esse, quàm amor tuus æternus, infinitus, & ejusdem tecum naturæ, eum tibi, Deus meus, offero. Tu te ama, quantum es amabilis, mihi autem da te tantum amare, quantum ab aliquo possis amari, ô Amor amoris mei.

# MEDITATIO IV.

## De eodem Mysterio.

### §. I.

*Nudatur.*

HActenus verba & minæ. Clemens hucusque fuit Judæus, mitis Romanus: dum crudelitati famulata fuit sola lingua. Quidquid auditum est hactenus, non fuit nisi orationis proœmium: quidquid spectatum, fuit tantùm certaminis simulacrum: quidquid factum, fuit tantùm tragœdiæ præludium. Jam non sunt minæ, jam mappa projicitur ad curriculum, jam signum datur ad præludium: jam res magna geritur intus in Prætorio Pilati. Priusquam tamen producam in sanguinariam barbaræ crudelitatis arenam, Filium Dei, qui etiam flagellatus referret coronam, quia ibi spectaculum factus est mundo, & Angelis, & hominibus: testes hujus spectaculi cito mundum, Angelos, homines. Mundum, quia cùm *mundus per ipsum factus est: mundus eum non cognovit*: nunc autem cognoscit, & agnoscit cum Samaritanis illis: quia *hic est verè Salvator mundi.* Est etiam *Agnus, qui tollit peccata mundi.* Vos Angeli, adeste, in vobis enim jam debet impleri illud de vobis vaticinium: *Angeli pacis amarè flebant.* Sistite & vos præ cæteris hîc, ô Homines, ut intelligatis quia verè *Deus homines vult salvos fieri.* Coram tot, tantisque & testibus & spectatoribus, plenus ingenti pavo-

Ioan. 1. 10

Ioan. 4. 42.

Ioan. 1. 29

Isa. 33. 7.

1. Tim. 2. 4.

re,

re, aggredior mysterium, plenum immenso amore, quod *absconditum fuit à sæculis & generationibus.*

Coloss. 1. 26.

Hucusque Synagoga velut umbratili tantùm certamine præluserat ad decretoriam crudelitatis cum Christi charitate pugnam: jam dispositâ velut acie canit classicum, evocatque selectissimam Romanorum legionem; expertura, plusne posset pœnarum perferre Christi charitas, quàm inferre lictorum crudelitas. Trahitur in Prætorium Filius Dei, pro illis ipsis sanguinem fusurus, à quibus erat effundendus. Imperant abjecti terræ filii cœlorum Regi, ut exuat vestimenta, quorum vel fimbriam tetigisse salus erat tangentium. Paret Rex regum mandatis carnificum; & partim se ipse sponte exuit, partim ab aliis ad pœnam festinantibus exuitur. O Pater æterne! ecce Filius tuus *descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones, qui despoliaverunt eum.* Nudus est. Tu per Prophetam tuum præcepisti: *Cùm videris nudum, operi eum.* Vides nudum: cur non operis eum? vix prodierat in conspectum patris seminudus filius ille prodigus; & ecce pater, cùm adhuc longè esset, accurrens, dixit ad servos suos: *Citò proferte stolam primam, & induite eum.* Ecce prodigum in amando Filium tuum; nudus est: cur non dicis ad servos tuos, ad spiritus illos tuos administratorios: *Citò proferte stolam primam, & induite eum?* Proferte, ô Angeli, illud vestimentum, in quo scriptum est: *Rex regum, & Dominus dominantium.* Sed dum ego solicitus sum ut Christum nudum operiam, video dilectum totum jam candidum, & rubicundum, quia non minus graviter functus est suo munere hîc in atrio Pilati, Pudor; quàm

Luc. 10. 30.

Isa. 58. 7

Luc. 15. 22.

Apoc. 19. 8.

quàm in horto Getsemani, Timor. Omnem enim sanguinem, quem timor contraxerat ad cor, pudor inde evocavit ad extimas corporis partes: quasi jam ultrò se offerret sacratissimus ille sanguis, ut egrederetur. O peccator! quid huic adstas spectaculo, indutus byssо & purpurâ, sed nudus gratiâ! de vestimento quid solicitus es? Quid, inquam, tam solicitus es pro corpore, dicens: *Quo operiemur?* Nunquid brevi *subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes?* Tu, qui nudus egressus es ex utero matris, nudus reverteris illic. Tunc exuet paludamentum Imperator, trabeam Rex, purpuram Satrapa, sagum miles, togam senator, pallium Philosophus. Omnes enim ante tribunal nudi Jesu pares stabimus, id est, nudi. Exuere ergo vestimentis gloriæ tuæ, & indue saccum & cilicium, reus venturus ad thronum Justitiæ. Pone hîc ante pedes nudi Jesu omnia excusationum integumenta; pone velamina fraudum, fallaciarum pallia, æquivocationum diploides, hoc est, duplices amictus, ne pro confessione, quam paras, *induaris sicut diploide confusione tuâ.* Hisce me omnibus exuam, & obtemperabo servo tuo Paulo adhortanti: *Induimini Iesum Christum,* ut sic tectâ jam nuditate meâ, *Cùm mortale hoc induerit immortalitatem*, audiat anima jam corpore exuta, à Patre tuo: *Induere vestimentis gloriæ tuæ.*

Nudi omnes post mortem. *Matth. 6, 31.* *Isa. 14. 22.*

*Ps. 108. 29.* *Rom. 13. 14.* *1. Cor. 15. 53.* *Isa. 52. 1.*

§. II.

## §. II.

### Ligatur.

Matt. 22. 13. JAm pridem tulerat è suo tribunali illam in hominem reum sententiam, Dei Justitia: *Ligatus manibus ac pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Hæc vincula ut solveret Christus, finit sibi ligari manus ac pedes. Offert ergo amabilis JESUS vinciendas illas manus, quarum vel Isa. 40. 12 una *appendit tribus digitis molem terræ.* Illi furore rabidi manus benignè oblatas arctè ligant, & tam arctè, ut prius sanguinem eliciant vincula, quàm flagella. Sed qui eum ligavit, non fuit tortor, sed Amor. Amor, qui illum novem mensibus in utero Matris religavit. columnæ alli- Luc. 2. 7. gavit; Amor, qui illum *inclinavit in præsepio*, inclinavit ad columnam: Amor, qui *pannis eum involvit*, funibus constrinxit. O quale spectaculum pro cœlo & terra, videre eum, qui *in principio creavit cœlum & terram*, in medio terræ ad columnam nudum, & vinctum, & ad flagella pronum, tanquam omnium quæ commissa sunt, & committentur, scelerum reum! Apoc. 8. 8 Credo hîc, ut scribit in Apocalypsi Joannes, *factum fuisse silentium in cœlo quasi mediâ horâ*, cùm perageretur hæc scena, & omnes novem Angelorum choros ad tantæ rei insolentiam è cœlo descendisse; & oculos convertisse, nunc ad æternum Patrem, expectantes ejus imperium, ut totum genus humanum funditus delerent; nunc ad homines, ut viderent, num quis tam projectæ esset audaciæ, tam effrænis impuden-

dentiæ, qui auderet extendere manum suam in Christum Domini, nunc in ipsum Christum, ut observarent, quid esset facturus, per quem facta sunt omnia Sed Jesus, non jam Deus exercituū, sed Deus Pacis, in silentio cordis cogitabat cogitationes pacis. Tunc mens illa magna, in afflictione illâ maximâ, cogitabat de me, & pro salute meâ offerebat Patri sanguinem suum. O quis hæc cogitans, non deficiat præ amore! Christus, cui tam immane imminebat supplicium, de me vinctus cogitabat, ut me irato Patri conciliaret, ut me ægrum sanaret, ut me captivum solveret, ut me reum absolveret, ut me perditum redimeret; Tanta illa Majestas cogitabat de abjecto terræ vermiculo; tanta potentia de infirmo; tanta misericordia de misero; tanta sapientia de stulto; tanta bonitas de impio, perduelli, sacrilego Et tu quid umquam cogitasti, vel egisti in gratiā Christi qui nihil non egit in gratiam tui? Profectò necesse est, ut sit causa immensi ponderis, ut omnipotens vinciatur quasi reus, puniatur innocens, confundatur Majestas, deformetur gloria, vapulet virtus, flagelletur Deus. Heu me miserum! quò me vertam? ad quem me convertam? Filius Dei me aversatur, Pater æternus mihi dirè minatur, conscientia accusat, peccata sunt plurima, supplicia maxima, dæmones feroces, pœnitentia nulla, mors propinqua, tempus breve, ingratitudo magna, justum judicium, culpæ manifestæ, comminationes severæ; Deus fortis, & potens, ego debilis, & nocens. Si cui lubet cognoscere penitus gravitatem peccati, non opus est ascendat cœlos, ibique proponat sibi ob unicum delictum solâ cogitatione & voluntate commissum, tot Angelorum myriades cœlo proscriptas; non sibi obji-

Peccati gravitas cognoscitur ex Christi passione

objiciat, ob peccata, cœlorum cataractas apertas, & ruptos fontes abyssi magnæ, totumq; genus humanum fluctibus haustum; non opus est cogitet Pentapolim sulphure, & pice, acigneo nimbo fumantem, non opus est descendat ad inferos, ibique lustret sæva & dira supplicia, quibus reprobi cruciantur: sed si ignoret gravitatem peccati, ingrediatur Prætorium Pilati, spectet ad columnam Deum nudum, vinctum cæsum. Ex medicina cognoscet gravitatem morbi, expretio intelliget enormitatem debiti, ex immanitate pœnæ assequetur atrocitatem culpæ. Nunc ergò ne despondeas animos: non enim venit Jesus perdere, sed salvare animas. O Pater, averte oculos à columna, ne videat hominis crudelitatem; converte ad Filium hominis, imò tuum, ut intelligant ejus charitatem: dum enim Filius tuus, frater meus, stat nudus, ut operiat nos nudos; vinctus, ut solvat nos vinctos; expectans flagella, ut avertat flagella tuæ iracundiæ: tanta misericordia, tanta pietas, tanta charitas Redemptoris quid aliud clamant, quàm *Nolo mortem impij, &* peccatoris.

Ezech. 18.

## §. III.

### *Flagellatur.*

INgredimur arenam non indecoro sanguine sordidam, in qua sordes eluit omnium peccatorum, qui peccatum non fecit, Christus Jesus. Hoc est mysterium, quod deberet vel auditum, vel lectum, vel cogitatum non elicere lacrymas, non exprimere sudorem, sed ex omnibus venis extorquere sanguinem.

Ade-

Aderat tandem momentum, quo Pater, qui mundum sic dilexit, ut Filium suum unigenitum daret, eundem pro mundi redemptione flagellaret. Ad hoc uti voluit Romanis militibus. Adsunt illi veloces ad effundendum sanguinem, utpotè viri sanguinum. Expediunt nodosos funes, aculeatas spinas, uncinatas catenas. Aspicit benigno oculo feralem istum furoris apparatum, & crudelitatis pompam, promptior verbera excipere, quàm lictores infligere. Ille ipse qui cædebatur, vires illis, ut cæderent, suppeditabat. Ad hoc supplicii spectaculum è cœlis convenêre geminæ sorores, quas inter lis acerbissima fuerat, jam indè à mundi nascentis incunabilis usque ad diem illum, de homine vel perdendo, vel redimendo, hinc Justitia, indè Misericordia, & utriusque arbiter æternus Pater. Ut autem & salvaretur homo, & placaretur ab homine offensus Deus, ab eo dependebat, qui erat Homo-Deus. Volebat quidem salvari hominem Justitia, sed ut salvaretur, exigebat à Salvatore novissimum quadrantem. Misericordia plus miserta miseri peccatoris, quàm illius, qui venerat peccatores salvos facere: satisfacere eum Justitiæ quidem volebat, sed ita ut cùm sit Verbum Patris, & verbo redimere sit potens, non tam potenter tormenta patiatur: sed Justitia cupida lavare manus suas in sanguine peccatoris, volebat effundi ejus sanguinem, ut & peccatores lavarent stolas suas in sanguine Agni. Jesus autem justus & misericors ut justitiam placaret, conversus ad misericordiam: *Sine modò*, inquit, *sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Tunc, ut impleretur quod præceperat Justitia, & permittebat Misericordia, ministri justitiæ impetum fecerunt unanimiter

*Matt. 3. 15.*

in eum. Cæditur ergò validis lacertis, & jam caro livida intumuerat, & propè sanguis stillabat. Interim movebantur viscera Misericordiæ, unde clamabat ad sororem: Parce, parce: quæ enim utilitas in sanguine Justi? Contrà clamabat Justi-
Heb. 9. 22. tia: Plecte, plecte; *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Jam dilectus æterni Patris, electus è millibus tria acceperat ictuum millia, nec adhuc placabatur Justitia: quia enim magna erat, quæ volebat remittere, copia scelerum, volebat ut copiosa esset redemptio sceleratorum. Annuebat Justitiæ Redemptor, & qui facit misericordiam in millibus, ad multa adhuc millia verberum offert corpus, ut quia omnis caro corruperat viam suam, sic cæderetur, ut posset dicere cum Pro-
Ps. 38. 4. pheta: *Non est sanitas in carne mea.* Non erat jam sanitas in carne, erat tamen charitas in corde: & propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, etiam pro nobis humiliatus est nimis, dum qui erat primus in cœlis, factus est novissimus virorũ in terris. Jam penè ô Pater, Filium tuum morte delevit homo, cur non modò, ut olim, minaris:
Gen. 6. 7. *Delebo hominem, quem creavi, à facie terræ.* Causam
2. Cor. 5. 19. accipite ex Paulo: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Anteà Deus erat in cœlo, hoc est, in Justitiæ throno: indè tonabat, fulminabat, pluebat flammam, & sulphur, aperiebat cataractas cœlorum: unum illi erat negotium, cædere, furere, sævire, ferocire, nulli parcere. Sed nunc Deus est in Christo, hoc est, in illo, qui venerat non perdere, sed salvare animas: in Christo, hoc est, in
Luc. 15. illo, qui *peccatores recipit.* Erat in Christo, hoc est, in Agno qui tollit peccata mundi. Erat in Christo ad columnam nudo, vincto, flagellato. Erat in Christo, ergo & in venis, & in sanguine Chri-

sti.

sti. Sanguis ejus extinguebat fulmina Patris, ignem justitiæ, ardorem ejus iracundiæ. Quid mirum si Deus tunc non sæviret ut leo, cùm esset in Agno? Deus erat in Christo; ergò in misericordiæ throno. Sed dum Christus, & in Christo Deus, totus jam lacer, lividus, cruentus, spectat suum in terra tam copiosè profusum sanguinem, audio mœstum, flebilem, & querulam ejus vocem: *Quæ utilitas in sanguine meo?* Vox illa fuit quondam David, sed eadem nunc est & Jesu filii David. Hic sanguis sufficiebat, ut homines non tantùm multi, sed omnes salvarentur: & tamen salvandorum pusillus est grex: pauci quoque electi, multi verò qui intrant per viam latam & spatiosam, quæ ducit ad interitum. *Quæ utilitas in sanguine meo!* Meus sanguis fusus est, ut tu esses humilis, & es superbus; ut esses castus, & es impudicus; ut esses pius, & es sacrilegus; ut esses fidelis, & es perfidus. *Omnes declinaverunt simul, & inutiles facti sunt. Quæ utilitas in sanguine meo?* An propter hunc meum sanguinem pro te ex omnibus venis profusum, stillavit unquam vel una ex oculis lacryma? ascendit vel unus è corde gemitus? percussum est vel semel manibus pectus? an vel semel ideò à peccato ullo abstinuisti? quapropter *quæ utilitas in sanguine meo?* Seminat agricola? metit, & quidem cũ fœnore fructus. Colit vineam vinitor? recipit uvas. Ego seminavi in agro semen bonum, & non reperio nisi tribulos, & spinas, & zizania. Ego plantavi vineam electam, & expectavi ut proferret uvas, & protulit labruscas. *Quæ utilitas in sanguine meo?* Nulla utilitas ex tot lacrymis, sudore, sanguine; nulla ex tot vulneribus, plagis, flagellis; nulla ex tanta humilitate, patientia, mansuetudine, paupertate. O quis hîc nõ stupeat simul,

*Ps.* 29. 10

Sanguinis Christi exiguus fructus.

*Ps.* 13. 3.

& doleat, illum sanguinem nostræ salutis pignus etiam conculcari ab hominibus? Deberent post fusum illum sanguinem omnes amare Christum, ut ipsi Seraphini in cœlis Deum: qui jam peccaret, non deberet ex toto hominum genere reperiri vel unus; & tamen ecce, *qui faciat bonum non est usque ad unum.* Quis non miretur tot hominũ perditionem post tam copiosam redemptionẽ? O Christe, ostendisti hodie in medio terræ, te non tantùm esse misericordem, non tantùm misericordiarum Patrem; sed ipsam misericordiam. Ergò coram te hîc nudo, vincto, cruento, non alia ex me misero audietur vox, quàm quæ solet à miseris, *Miserere.* Quare stas illic ad columnam nudus, & ligatus? Nunquid in gratiam meî? Ergò *Miserere mei* Quis te compulit, ut tot excipe-

Ps. 13, 3.

Ps. 50, 1.

res verbera, tot admitteres vulnera? Cur tot flagellis non tantùm es cæsus, sed propè concisus? Nunquid amore meî? Ergò *Miserere mei.* Quare omnem, quem in sacratissimis venis tuis continues sanguinem, tanquam aquam effudisti? numquid causâ salutis meæ? ergò *Miserere mei:* & quia scis magnam esse miseriam meam, *Miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam.*

## CAPUT VIII.

## Coronatio.

### §. I.

### *Exuitur Vestibus.*

IN hoc porrò, quod nobis hodie aperiet Synagoga, proscenio, tres insignes affectus personam suam continuè sustinebunt, Amor, Pudor,

dor, Dolor. Amor, dum nudatur vestibus, Dolor, dum coronatur vepribus, Pudor, dum subsannatur à militibus. Ordiamur ab Amore. *Et milites Præsidis suscipientes Iesum in Prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Matt. 27. 27.

Amor Deum sub humani corporis schemate abditum, flagellis ita laceraverat, ut totus homo Deus, non esset nisi unum vulnus. Non hic quiescit, sed quasi lateret adhuc, nec pateret satis, ut se detegeret, & aperiret omnibus, voluit eum nudari coram omnibus. O Christe! illa, quam de filio prodigo quondam narrasti, parabola, de te est historia. Tu es, qui cùm in paternâ domo felicissimè degeres, dixisti, ut prodigus ille, Patri: *Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit,* Luc. 15. 12. *Exauditus es pro tua reverentia.* Dedit tibi corpus affabrè efformatum, dedit sanguinem ex inclyto Regum stemmate profluentem, dedit animam infinitis muneribus instructam; dedit vestes, dedit robur invictum, valetudinem firmam, eloquentiam incomparabilem, scientiam immensam, virtutes omnes: denique in te uno concluſit omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ suæ. Tu hoc divino apparatu instructus, è domo Patris *peregrè profectus es in regionem longinquam.* Luc. 15. Regio planè longinqua, chaos magnum, intervallum propè immensum. Inter cœlum & terram. In hac regione mortis dissipasti omnem substantiam tuam cum peccatricibus animabus. Nunc enim omnia, usque ad extremam nuditatem inter perditos perdidisti. Pater tibi dederat firmissimam corporis valetudinem, membrorum omnium integerrimam sanitatem: & ecce, à *planta pedis usque ad verticem capitis, non est* in te *sanitas.* Isa. 1. 6.

Omnia sua ut prodigus hic dissipavit.

Dissipasti sanitatem. Pater dederat tibi elegan-
Ps.43.3. tissimam formam, & oris speciem: eras enim spe-
Isa.53.2. *ciosus forma præ filiis hominum*: & ecce, *non est tibi species, neque decor: putavimus te quasi leprosum.* Dissi-
pasti omnem pulchritudinem. Dederat tibi cor-
Heb.10.5 pus digito Dei efformatum, ut ipse fateris: *Corpus*
Matt.26. *autem aptasti mihi.* Illud dedisti in cœna, dicens:
26. *Accipite, & comedite: hoc est enim corpus meum.* Dede-
rat tibi regium sanguinem: curasti tibi incidi, &
aperiri omnes venas flagellis ad columnam, &
eum omnem effudisti. Sic & sanguinem dissipa-
sti. Dederat tibi divitias infinitas: unde ipsemet
Prov.8. magnificè gloriabaris: *Mecum sunt divitiæ, & glo-*
18. *ria, opes superbæ*: tu verò ita eas dissipasti, ut coga-
Ps.39.18. ris dicere: *Ego autem mendicus sum, & pauper.* De-
derat tibi sapientiam immensam: de te enim scri-
Ps.146.5. psit tuus scriba: *Sapientiæ ejus non est numerus.* Il-
lam ita dissipasti, ut te tamquam stultum, indu-
tum veste alba illuserit Herodes. Dederat elo-
quentiam planè divinam; sic ut qui te loquen-
tem audirent, attoniti tanta facundia exclama-
Ioan.7. rent: *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo*: &
46. illam dissipasti; nam accusatus à Scribis tacuisti,
Ps.37.14 *sicut mutus non aperiens os suum*: & interrogatus à
Matt.26. Pilato, non respondisti *ei ad ullum verbum.* Denl-
14. que miserat te Pater in regionem hanc, homi-
nem undequaque perfectissimum, & omnibus
bonis Naturæ & Gratiæ instructissimum; tam-
quam opus suæ Sapientiæ, Potentiæ, ac Bonita-
tis absolutissimum: & ecce, sic dissipasti omnem
tuam substantiam, ut ipse, qui es Veritas, fatea-
Ps.72. ris: *Ego ad nihilum redactus sum.* Pater tibi tradidit
22. sua omnia: sic te testante: *Omnia mihi tradita sunt*
Matt.11. *à Patre meo*, & tu retinuisti nihil. Dedisti omnia
27. tua, imò & te. O verè Filium in amando prodi-

gum!

gum! Ecce, ut hic post se, sua omnia homini ex amore tradita, stat nudus, à planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo nisi nuditas. Quid mirum? à plantâ pedis usque ad verticem capitis, non est in eo nisi Charitas. Amor est nudus; Jesus est amor, quid miraris nudum? Et nos, necdum eum vel sic amamus? Adeòne molestum est amare Jesum, quem nisi ames, Pater ejus æternum minatur supplicium; quem si ames, æternum pollicetur præmium? quem ut ames, cum illo dedit nobis omnia sua. Adeòne durum est, amare Amorem? Audiatur hic vox Augustini, verè Theophili. *Quid mihi es? Miserere, ut loquar. Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas à me; & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Parvane est miseria, si non amem te?* Potestne vel ab homine timeri, vel ab Angelo concipi, vel à Deo inferri major miseria, quam non amare Jesum? quam odisse Amorem? O Jesu, idem qui te nudavit vestibus Amor, & cor nostrum nudet omnibus affectibus; nam tu unus sufficis amanti. Nudamus nostram voluntatem omni alio amore, & dicimus cum Apostolis: *Ecce nos reliquimus omnia*: ut aliquando à te audiamus, quod à Patre frater prodigi; *Fili, omnia mea, tua sunt.* Matt. 19. 27.

## §. II.

### *Coronatur.*

AMori succedit Dolor; quo dum pro dilecto patitur, se maximè probat. Scilicet non satis se amor prodiderat, dum pro nobis fuit proditus; non satis se detexerat, omnibus vestibus exutus: non satis se aperuerat post tot aperta amo-

ris ostia, quot hiantia patebant vulnera: non satis nos sibi vinxerat, pro nobis funibus vinctus. Dum novas comminiscitur pœnas Synagogæ crudelitas; veterum oblita, excogitat nova beneficia, divina Charitas. Interim conferunt inter se consilia, invidia, & malevolentia: quæ exhaustis propè omnibus viribus, in excogitandis pœnis, & novis cruciatibus, tandem quasi jam veniissent ad ultimam crudelitatis lineam, imposituræ illi coronidem: *Plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum.* Ioan. 19. 2

Quis hic interpretabitur, sitnè major in corpore dolor, an in pectore amor? Dicat jam corpus: *Videte si est dolor sicut dolor meus.* Dicat & pectus: Videte si est amor, sicut amor meus. Uterque est summus. Quid stupes? Qui patitur, est summum bonum: & ideò patitur, ne homo incidat in summum malum. Sed ut prius amor, ita modò dolor, suas in scena partes agat. Vix fuerat Christus ingressus Prætorium, cùm milites aculeatum, & pungentibus vepribus horridum, adornando vertici, diadema non leviter imponũt, sed fortiter imprimunt. Interim aperiuntur undique sacrosanctæ venæ, ex quibus quot fluxerunt amoris guttæ, tot germinaverunt amoris rosæ. Sic quæ fuerant illi supplicia, vertit nobis ad gloriæ instrumenta. Dum hinc lictor infligit doloris vulnera, indè Redemptor emittit amoris jacula: iisdem quibus læditur caput spinis, utitur quasi telis, quibus vulneret cor Patris. Hoc tormentum non potest concipi, & tamen debet credi. Hic dolor superat fidem, & tamen crimen est vel dubitare de ejus fide. Nonne cùm fama fuisset, coronandum hîc in terris Regem regum, ex- Thren. 1. 12.

expectâsset quilibet legendas ex campis Elysiis selectissimas rosas, vel ex Erythræo freto pretiosissimas gemmas, vel ex Indico solo mundissimum aurum? sed spinas? Pungit mentem hæc cogitatio, ut spinis coronetur ille cœlestiũ bellatorum in triumphanti Ecclesia coronator? Nimirum ad insolens hoc tormenti genus, quod vel audire est tormentum, Christum adegerunt tot cincinnati gnatones, calamistrati trossuli, comati Absalones, quorum capita unguento pretioso madent, cæsaries capitis nescio quo peregrino pulvere olet, quorum ora generoso massico spumant, quorum lingua nil sonat, nisi molle illud: *Coronemus nos rosis.* Qui domi inter pectinẽ & speculum toto mane occupati, inerti negotio operosi, nihil agunt: qui malunt Rempublicam turbari, quàm suam comam, & solicitiores sunt de capitis decore, quàm de animæ salute; comptiores, quàm fortiores; qui ducunt in bonis dies suos, & noctes; de die rident inter rosas, de nocte jacent inter plumas; in mensa inter epulas, in foro inter fabulas; ubique inter rosas, nunquam inter spinas. Non est quod illi delicatuli, pleni rosarum, aliud expectent post odoriferas rosas, quàm tartareas flammas. Erras ergò, ô juvenis, toto cœlo à cœlo, si putes gradum facere per viã lacteam & roseam, in qua nil nisi rosas, & lilia, & calathos teras ad cœlum, nec ullam vepriculam, vel minutissimum aculeum persentiscas Non itur de deliciis ad delicias. I munde, mitte rosas tuas & margaritas ante porcos. Nos similes mercatori quærenti bonas margaritas, inventâ unâ pretiosâ margaritâ vendemus omnia & emem⁹ eam. Hæc margarita, hæc spina non est illa quæ pungit caput tuũ, ô Christe, sed quâ configi optabat

*Sap. C. 2. v. 8.*

Ps. 118. 20. tabat servus tuus, cùm diceret: *Confige timore tuo carnes meas.* Hac spinâ timoris cõfige carnes meas ut postea rosis amoris corones animas nostras.

## §. III.

### *Illuditur.*

EXpectatis in hoc ultimo puncto ut tertius affectus, Pudor, in theatro crudelitatis, agat suam personam? Sed, ut video, venit non incomitatus, neque solitarius: stipãt latus hinc dolor, inde amor. Hæc enim illum pati, nõ tantùm fuit insignis pudor, sed acutissimus dolor; nec tantũ dolorem sustinuisset, nisi Amor suppeditâsset & vires, ut posset; & animos, ut vellet tanta pati. Sed loquatur Evangelista: *Et posuerunt arundinem in dextra ejus, & genuflexo ante eum illudebant ei dicentes: Ave Rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.*

Romani milites à Judæis mercede conducti ad exercendas omnes vires acerbitatis & immanitatis in Christum, postquam ornâssent caput spineo diademate, manus fragili arundine humeros lacero murice, ne quid deesset ad ludicri Regis opprobrium, sannis ei illudunt, in faciem expuunt, caput percutiunt. Quantus pudor! Eũ, Coloss. 1. 15. *qui est primogenitus omnis creaturæ*, despici ut novissimum virorum? illum, in cujus magnificentissimi paludamenti augustâ orâ adamantino charactere scriptus est ille plenus majestatis titulus: Apoc. 19. 16. *Rex regum, & Dominus dominantium*; hic ab impudoratis sannionibus & vernis cum scommate salutari: *Ave Rex Iudæorum?* Illum, qui Isa. 40. 12. *appendit tribus digitis molem terræ*, manu tenere arundinem?

Flexo

Flexo genu à spurcissimis sycophantis per ludibrium adorari, coram quo flectitur omne genu? Illam faciẽm conspui à petulantissimis nebulonibus, quam vel vidisse salus est videntis? Comitabatur Pudorem dolor; hic enim illi occurrebat quocunque oculos flectebat. Absentia & praterita respiciebat: Illic videbat Matrem, cujus magna erat velut mare contritio, nec erat qui eam consolaretur: sciebat se à Juda proditum, à Petro ter negatum, ab Apostolis desertum, à militibus captum, à Scribis falsò accusatum, à Judæis illusum, ab Herode spretum, à Sacerdotibus rejectum, à Romanis flagellatum, à Pilato condemnatum, ab omnibus derelictum. Aspicit præsentem statum; O quantus hic dolor! Conjectus in fœdum domûs angulum, insidet duro & frigido saxo, præ frigore contremiscens, undique lacer, & totus cruentus; patent undique vulnera, caput pungitur spinis, oculi fluunt lacrymis, frons perfunditur cruore, vultus illinitur spinis, corpus percutitur arundine, manus vinctę sunt funibus, capilli evelluntur à militibus, ab omnibus illuditur, à nemine cognoscitur, & ita, ut peripsema totius mundi, ut opprobrium hominum, ut abjectio plebis, ab omnibus contemnitur. Si futura prospiciat, videt gentem suam dilectam, totamque Synagogam exultantem ob suam mortem; videt parari immanẽ crucis trabem, clavos, malleos, se binos inter latrones inaudito cum dedecore deducendum ad montem Calvariæ, affigẽdum cruci, deridendum ab adstante populo, à Patre deserendum, atque illic inter ultimos cruciatus se moriturum. Itaque quocunque oculos circumfert, ad præterita, præsentia, futura, undique circumdederunt eum dolores mortis. Si unquam,

Christi dolor.

Isa. 33. 3. quam, nunc verè ei convenit ille titulus: *Vir dolorum.* Videor jam audire Christum tacite alloquentem his verbis populum sibi dilectum: *Populus meus, quid feci tibi, aut quid contristavi te?* Nonne dicit (ait Chrysologus) *Si divinitas ignota est, vel caro sit nota; videte, videte in me corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, ossa vestra, vestrum sanguinem. Et si quod Dei est, timetis: quare quod vestrum est, non amatis?* Quomodo potuisset Dei Filius plus amare hominem, & plura pro homine pati, si quilibet homo tanto Christi arsisset amore, quanto supremus in cœlo Seraphinus? Contrà, quomodo potuisset plus odisse Filium Dei homo, etsi is homini omnia mala intulisset, quæ dæmon ipse etiam inferre optat? Hoc triste spectaculum, vivum hominis funus, animatum Dei cadaver, quod totam rerum universitatem in suî commovit commiserationem, peccator otiosus, siccis oculis, nec semel mutato colore intueris? Nulla tibi præ pudore rubet pars genæ? nullum præ timore tremit membrum? nulla præ amore stillat ex oculis lacryma? nullus præ dolore erumpit è pectore gemitus? non tantùm eorum, quæ commisisti pœnitenda, te non pœnitet; sed & nova cogitas scelera, ut nova infligas vulnera? non metuis illius è cœlis justitiam, cujus in terris despicis clementiam? nimirùm hoc tibi proprium est, Jesu, semper misereri, & parcere, diligere inimicos tuos, orare pro persequentibus te, orare pro his qui oderunt te. Hæc tua est indoles, ô Jesu, lavare pedes illius qui te vendit, osculari qui te prodit, sanare auriculam ejus qui te capit, ignoscere ei, qui cum juramento te negat: percuti, & non repercutere, accusari, & silere, flagellari, & pati: denique omnibus semper, & ubique benefacere.

Chrysol. serm. 108

Christi clementia.

facere, solius est Jesu. Agnosco tuam naturam, & ideo plus spero de tua Clementia, quàm timeo Patris iracundiam. Perge misereri, ô misericordia! donec te videam in gloriâ, ubi *misericordias tuas in æternum cantabo.* Ps. 88. 2.

## §. IV.

### *Producitur coram populo.*

VOluit qui latuerat in Prætorio, ex umbra in solem, è latebris in conspectum omnium prodire ut suum proderet, & quo urebatur dolorem, & quo accendebatur, Amorem. Sic enim de eo Joannes: *Exivit iterum Pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis, quia in eo nullã causam invenio.* Stabat densum humeris vulgus, & immensa Judæorum multitudo extra Pilati Prætorium, expectans Christum foras à Pilato producendum. Quod cùm sciret Pilatus, exivit iterùm foras in Lithostroton, & dicit confertissimæ hominum multitudini: *Ecce adduco eum vobis foras.* Jam saltem spero tanto ejus supplicio, factum satis vestro desiderio: sic enim illum corripui, ut dignior sit misericordiâ, quàm invidiâ. Si illum odistis, digna vestro odio sustinuit, illud ergo deponite: & quis in eo adhuc locus esse potest vestræ invidiæ, ubi non est locus amplius ulli, quam invidia optare potest, pœnæ? Si malus est: quidquid imprecari ei potestis, mali pertulit. Deindè *adduco eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam,* vel Romani imperii læsi, vel publicæ rei perturbatæ, vel sceleris admissi. Nullam invenio noxam, ob quam auferam ei vitam. Audivi quæcumque contra eum protulistis testimonia, quæcumque ei objecistis crimina; & illa quidẽ non leviter audivi, sed exactissimè singula Ioan. 19. Innocentia Christi.

gula ad rrutinam Justitiæ ponderavi: totam adhibui industriam meam, ut excogitarem, an salva æquitate possem quidquam invenire morte dignum: quæsivi, & non inveni. Iniquum autè est condemnare ad mortem, qui nihil cõmisit morte dignum. Hoc ergò protestor cœlo, & terrâ, & vobis omnibus testibus; post omnia, singula, universa cõtra eum allegata, & maturè expensa, *Nullam invenio in eo causam.* Gratulor Innocentiæ tuæ, ô Jesu: Jam saltem toti mundo constat, teste etiã iniquo Judice æquam esse causam tuam. Sic ergo morieris; morieris, non quòd nocẽs mori debueris, sed quòd innocens volueris. Hic me confundit pudor, & invadit undique dolor, cogitantem quoties, mi Jesu, te offenderim, cùm tamen offendendi nullam inveniam in te causam. Ego sum (& quid pudet hic palam dicere, quod non puduit cœlo teste facere?) ego sum, qui tuo sacro vertici spinas illas tam altè infixi; ego sum, qui tot immania corpori tuo inflixi vulnera, & ego sum, qui è sacratissimis tuis venis extorsi omnem sanguinem: & tamen hæc faciendi nullam invenio in te causam. O quoties in silẽtio cordis mei clamat, dum te volo offendere, Conscientia mea cum Pilato: *Non invenio in eo causam!* Christus nil jam pænè nisi ulcus, paucis his verbis nos interrogat cum Job: *Quare persequimini me?* Quid vos respondere possitis, vos videritis: Conscientia mea respondet: Persequendi eum *nullam invenio in eo causam. Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Cur ergo ille tibi displicet? cur offendis? cur transgrederis ejus mandata? cur spernis consilia? Quære, finge, excogita, si potes, aliquam causam. Frustrà quæro: scio, quia ubi venit Jesus, *venerunt mihi omnia bona pariter*

Iob. 19. 22.

Deut. 32. 16.

Sap. 7. 11.

cum

*tum eo. Nullam, nullam invenio in eo cauſam.* Hoc demum eſt omni ſtupore majus: JESUM offendendi nullam invenimus cauſam, diligendi cauſas infinitas; & tamen quolibet propè momento JESUM offendimus; vix unquam, ut par eſt, diligimus. Nunc mi JESU, cùm me cogat tua erga me bonitas, & in me charitas fateri, quia nullam invenio in te cauſam offendendi te; ego nunc te interrogo: Quam inveniſti cauſam diligendi me? cauſas habuiſti infinitas puniendi me, peperciſti; perdĕdi me, ſervâſti; ulciſcendi injurias tibi factas, remiſiſti. Ego tibi maledixi, ſilebas; ego extendi cŏtra te manum meam ut te percuterem, tu extendiſti manum tuam ut me lapſum erigeres; ego te vulneravi, tu me vulneratum ſanâſti. Quam inveniſti cauſam hæc faciĕdi? Cur poſt tot injurias, contumelias, odia, ſcelera contra te, adhuc voluiſti me ſalvari? Silet JESUS; loqui enim nimius dolor non patitur; ſed remittit me ad Davidem, in cujus metris cauſam invenio, cur Salvator meus me voluerit ſalvum, nimirum: *ſalvum me fecit, quoniam voluit me.* Unica ergo cauſa ſalutis meæ non ſunt tam merita mea, quàm voluntas tua. Adoro hanc ſacroſanctam voluntatem, quâ, tot aliis relictis, voluiſti me: amo amorem tuum quo elegiſti me. Quoniam ergò ita placitum fuit ante te, ut eligeres me quoniam voluiſti me; fiat voluntas tua, & ſalvum me fac, quoniam voluiſti me. *Pſ. 17. 20*

## §. V.

### *Ecce Homo.*

PIlatus, Judex in Chriſti cauſa timidior, quàm æquior, ut tandem ſaturaret rabidum Judæo-

rum in Christum debacchantium furorem, ac odium; voluit coram oculis proponere hominis commiseratione, quàm indignatione dignioris

Ioan. 19. spectaculum. *Exivit ergò ESVS portans coronam spineam, & purpureum vestimentum; & dicit eis: Ecce homo.*

*Ecce homo.* Hoc dixit quia pecudem excoriatam credidisset populus, ni dixisset: *Ecce homo.* Ita enim erat plagis contusus, flagris contritus, alapis contusus, pugnis lividus, sputis deformatus, ut in homine homo quærendus fuisset. *Ecce* homo imbellis, miser, infirmus, miserabilis, pauper, ridiculus, non jam formidandus, sed miserandus. *Ecce* correctum, si malefactor: *Ecce* flagellatum, si trifur: *Ecce* coronatum, si Rex: *Ecce* an non immanius sic flagellari, quàm crucifigi? Hæc ad populũ Pilatus: alia ego ad vos de hoc homine. Quotquot hoc estis in loco præsentes, ut sitis vobis ipsis præsentes, ora, oculos, mentemque totam cõvertite ad aram. Creditis illic candido ineluctum

Iob. 9. 13. orbe illum *sub quo curvantur, qui portant orbem?* Ecce homo, per quem facta sunt omnia, sine quo

Christi dignitas. factum est nihil. *Ecce homo*, sine quo omnes morimur, per quem omnes salvamur: qui ab æterno ante omne principium Deus, *in principio creavit*

Gen. 1. 1. *cœlum & terram.* *Ecce homo*, cui *data est omnis potes-*

Matt. 28. *tas in cœlo, & in terra.* Ecce homo, in quo *vivimus,*

Act. 17. 28. *movemur, & sumus:* ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. *Ecce homo*, cujus omnis actio, nostra est instructio; cujus vita, norma est vivendi; cujus verba veritatis sunt dogmata: cujus vitæ vel momentum unicum, pretio & excellentiâ omnem cœlituum æternitatem exsuperat: quem adorant omnes, præter eum qui adoratur ab omnibus: cui servire, summa est dignitas; parere, liber-

libertas; ſubjici, honor; ſubeſſe, gloria; amare, felicitas. Si times mala, ſi ſperes bona: *Ecce homo*, cujus ſolius beneficio potes declinare omnia mala, & acquirere omnia bona: bona corporis, bona animæ, bona temporalia, bona æterna, bona Naturæ, bona Gratiæ, bona Gloriæ, bona terræ, bona cœli. Denique *Ecce homo*, à quo uno, & ſolo dependet tota noſtra, quam ſperamus, ſalus, omnis, quam exſpectamus, gloria, quã optamus, beatitudo. Hic tecum cogita, quantum, ô homo! debeas illi homini Deo. Creavit te, cùm nihil eſſes, conſervavit te, poſtquam cœpiſti eſſe, redemit te, ut tibi ſemper benè eſſet: illius ſole fuiſti illuſtratus per diem, & lunâ per noctem: illius igne calefactus, illius aëre recreatus, illius pane nutritus. Teipſum tibi reddidit, poſtquam per peccatum eſſes venundatus, inſeruit te filiis Eccleſiæ, fecit te participem omnium Sacramentorum ſuorum, Regni ſui hæredem, & ſecum cohæredẽ, verbo, in totius vitæ curriculo nec momentum fuit unicum, quo non infiniti momenti tibi contulerit beneficium. *Ecce homo*; qui hæc omnia fecit, poſtquam tu malum coram eo feciſti. O homo ſimul, & Deus! *quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuiſti mihi?* Si dedero tibi quidquid ſum, quidquid habeo, quidquid poſſum, pro minimo tuo beneficio, ut quòd uno momẽto me ſervaveris, perinde eſt, ac ſi nihil darem, aut facerem: quid reſtat pro aliis beneficiis? Erſi hoc momento omnes atomi verterentur in linguas, quibus te laudarem, in manus, quibus tibi ſervirem; in corda, quibus te amarem: adhuc nihil eſſet, ad tua in me merita. Illud mihi certum eſt, quando tibi omnia mea dedero, nihil te rerũ mearum accepturum, quod non pluribus nomi-

Chriſti in nos beneficia.

*Pſ.* 115. 12.

Oblatio ſui Chriſto.

nibus antè sit tuum, quàm meum: tamen quia ita vis, volo ut omnia ad suum fontem redeant. Ego igitur dico, dedico, ac reddo meum esse, corpus, animam, vitam, sanitatem, libertatem, vires, fortunas, commoda, jura, & quidquid sum, aut unquam ero: Reddo, & restituo me Tibi, voloque ut quidquid à me, sive in tempore, sive in æternitate, proficiscetur, meæ cogitationes, dicta, facta, meæ calamitates, consilia mea, solitudo, cõgressus, res secundæ, adversæ, læta, tristia, amores, odia, & quidquid potest ad me spectare, tuæ Majestatis obsequiis sint consecrata: Omnia ad Jesum, & propter Jesum; quia omnia ex Jesu, & in Jesu. Pro his omnibus unum te obsecro, ut tu, Salvator meus, quod & mihi ad salutem sufficiet, ducas me ad conspectum Patris tui: & hæc pauca pro me loquaris verba: Ecce homo, pro quo Ego Filius tuus, factus sum homo.

## §. VI.

### *Iudæi rejiciunt Christum.*

SCena illa Judæis à Pilato proposita, (hoc est Christus tam miserabili schemate illorum oculis expositus) debuisset illorum placare furorem: at Judæi canibus, & tygribus truculentiores, furiosè vociferantur: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Monstrum amove, odium hominum, ludibrium terræ, opprobrium cœli, pestem gentis suæ, catherma, maledictum, peripsema totius mundi, Deoque, atque hominibus invisum caput. *Tolle, tolle, crucifige. Ait Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt: Non habemus Regem, nisi Cæsarem: si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*

Miseri

Miseri Judæi, qui jam nullum habent sibi proprium Regem, nec Cæsarem, nisi ex orco dæmonem, tenebrarum Principem; & ideò ipsi nunc jacent in tenebris, & in umbrâ mortis. O quàm est homini noxium, nolle sibi Christum habere Regem! Patet hoc ex verbis Christi: *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.* Audis verba illa: *Qui noluerunt me regnare super se*; Audesne affirmare, quòd Christus regnet super te? Circumspice te intus & foris, à capite ad calcem, à manè ad vesperum. Nulla deberet esse facultas animæ, nulla pars corporis, nulla actio manuum, nullum verbum oris, nulla cogitatio mentis, nullum desiderium cordis, super quod Christus non regnaret, ut Christus dici possit regnare super te. Nam si vel unum deesset, tu ex illa parte ab ejus regno subtractus esses, nec proinde super te totum regnaret. Estnè vel una pars ita illi subjecta, ut in eâ vel solâ regnet? Regnatne Christus in oculis? ô lascivi, ô petulci, ô lenones oculi! Quoties tu illos eò convertis, ubi tu perverteris? Regnatne Christus in linguâ tuâ? ô lingua dicax, procax, petulans, contumeliosa, quæ ut gladius acutus, tot lædit, cædit, vulnerat, mactat, jugulat, quot propè verba pronuntiat. Regnatne Christus in digitis tuis? Discute quas scribis literas, vide an de iis dici possit: *Digitus Dei est hic*; an non potiùs digitus Ovidii, Catulli, Tibulli est hic. Quoties illi digiti scribunt iniqua, & subscribunt sententiæ iniquæ? Regnatne Christus in cogitationibus, desideriis, affectibus, negotiis tuis? Nonne ibi potiùs concupiscentia prævalet, ut magis sequaris naturæ impetum, quàm gratiæ motum? Cur ita porrò, nisi quia vis ita premi,

*Luc.19.*

Rex nobis sit Christus.

*Exod.8.*

quantum necesse est, ut Christus regnet super te? Ier. 2. *Confregisti jugum meum: rupisti vincula mea, & dixisti: Non serviam.* O fortem & amabilem reprimẽdæ concupiscentiæ necessitatem, quâ compellor, aut negare Christum Regem meum, & dicere cum Judæis: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*: aut omnem illi subjicere concupiscentiam! Quid hic statues anime? Quid deliberas? Quid proponis? Hom. 4. super Missus. Audi hic loquentem S. Bernardum: *Veni Domine Iesu, aufer scandala de tuo regno, quod est Anima mea, ut regnes tu, qui debes in illa. Venit enim Avaritia, & vendicat in me sedem: Iactantia cupit dominari mihi, Superbia vult mihi esse Rex: Luxuria dicit: Ego regnabo. Ambitio, Detractio, Invidia, Iracundia certant in me ipso, de me ipso, cujus ego potissimum esse videar. Ego autem, quantum valeo, resisto, & renitor quantum juvor, Dominum meum Iesum reclamo: ipsi me defendo, quia ipsius me juris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum Dominum teneo, & dico: Non habeo Regem nisi Dominum Iesum. Veni ergò Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mãdas salutes Iacob.* Ita S. Bernardus. O felix, ter felix, cui is solus est Rex, qui est Rex Regum, cujus Regni non est finis. Clamemus conspirantibus vocibus contra Judæos vociferantes: *Non habemus alium Regem nisi Cæsarem.* Nos non habemus alium Regem, nisi Jesum. Vos reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: nos reddemus quæ sunt Christi, Christo, tanquam Regi nostro. Quapropter in signum, quòd te cognoscam, & jam nunc eligam in Regem meum, totum me tuis manibus, potestati, ac imperio committo & submitto, ut tanquam Rex de me in omnem partem, qua tibi videbitur, statuere velis. Hinc perindè mihi fuerit, sive sim pauper, sive dives; sanus, sive in-

infirmus; sive sim abjectus, sive æstimatus; tristis, sive hilaris: modò sim talis qualem me esse cupis. Hæc est summa votorum meorum, hæc mea maxima, quam mihi opto, felicitas: nec aliud nisi hoc unum cupio, sive in cœlis, sive in terris, sive in tempore, sive in æternitate, quàm me totum tuæ infinities adorandæ submittere voluntati. Adoro proniſſimâ mente divinam providentiam tuam, neque desidero momentum unum vitæ, vel tantillum sanitatis, aut sensum ullum gaudii; imò nec gradum unum gratiæ aut gloriæ supra id, quod à te mihi decretum est. Nolo quidquam meo arbitrio permitti in iis, quæ conditionem vitæ meæ, horam, aut genus mortis meæ attingunt, aut in quavis alia dispositione quæ se mihi posset offerre. Amputa, rescinde, aufer, everte omnia consilia mea, quæ tuæ circa me destinationi adversantur: statue de me ut voles, tanquam Rex meus, & Dominus meus; ita ut quidquid possum, sit in obsequium tuum; quidquid habeo, sit tuum; sim totus tuus, & tu sis meus; ego servus tuus, tu Rex meus.

## §. VII.

### *Conatur Pilatus placare populum, sed frustrà.*

PIlatus, homo callidè vafer, & popularis auræ captator sedulus, consuetus attendere magis quæ aliis placerent, quàm quæ se Judicem decerent, facilitate crudeli perdidit semetipsum, & Deum. Quantumcunque esset cautus & solers, ne ipse quidem servire duobus Dominis potuit: in eo veniâ non dignus, quòd deteriorem re-

revetitus, nimirùm Cæsarem; meliorem contempserit, videlicet Christum. Tamen commotus rabidorum Pontificum ac populi prorervià postulantium unâ voce, ut Christus crucifigeretur, dicit eis: *Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Ioan. 19.

Audite juris & legisperiti: *Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori.* Judæi legem habent, secundùm quam licita est innocentis oppressio, justi condemnatio, justitiæ violatio. *Nos legem habemus, secundùm* quam licet Deum offendere, imò occidere. *Nos legem habemus*, secundùm quam, quidquid nobis lubet, licet. O præclaram legem, quæ leges omnes divinas & humanas miscet, confundit, violat, abrogat! Hæc lex approbata à Judæis, necdum est abrogata à Christianis Hodieque passim viget illa in curiis, in conciliis, in aulis, in Academiis; nusquam non. Ingredere Advocatorum musæa, mone legem Dei prohibere, cuiquam injuriam facere; suum cuique tribuendum. Audies illicò: Quid ais? Tu legisperite tam es peregrinus in lege? *Nos legem habemus, & secundùm legem nostram* nullum est crimen opprimere innocentes, affligere viduas, deserere pupillos. Convenias in aula nobilem, qui ad singulare certamen progreditur; ingere auribus ejus: Illustrissime Domine, scisne legem Dei esse, *Non occides*? Quid ais? inquiet: Dic illa Monachis; nos de mundo sumus, & secundùm leges mundi licet, honoris tuendi causâ, descendere in arenam, inire singulare certamen, percutere, lædere, interficere. Admone virum eruditum, sed maledicum, moneas, Do-

Leges mundi faciunt homines exleges Christi.

ctis-

ctissime Domine, scisnè ex mente Pauli, quia *Detractores Deo odibiles*? Quid? tunè tam hospes es in Theologia? Nos habemus legem, novam sententiam ex nova Theologia, & secundùm illam detractio, contumelia, nullum est peccatum. Sic in conviviis helluones legem habent, & secundùm illam legem licet ad æquales haustus certare; licet ad sanitatem amici circumferre immanem craterem, & funditùs exhaurire, donec rationis usurâ, ut insani, priventur. In curiis Politici legem habent, & secundùm illam legem licet habere potiorem rationem statûs, Regis, Cæsaris, quàm pietatis, virtutis, religionis, salutis Dei. Ita hoc seculo omne vitium, quia est publicum, videtur licitum. Sic violare legem Dei, est secundùm legem mundi. Sic etiam prava aliqua in urbe consuetudo, noxia pseudo-politicorum axiomata, pessima pessimorum exempla, sunt multis velut lex, quam plerique amplectuntur, & dum secundùm eam legem vivunt, æternum pereũt; quia Deus habet legem, & secundùm legem Dei hujusmodi homines, qui vixerunt secundùm legem mundi, debent mori. Quisquis juxta has mundi leges vixisti, hîc tibi propone horam illam, quâ desines vivere: Finge tibi dici illa Joannis tristissima verba: *Fili, novissima hora est.* Veniunt ad lectum tuum fatalem illæ vanitatis pedissequæ, quarum legibus obtemperâsti. Adest pulchritudo. En tibi hominem, ô pulchritudo, qui majorem vitæ suæ partem in obsequium tuî impendit, inquietus die, insomnis nocte, decoris & blandis oculis aspiciens, calamistris inurens cincinnos, ad speculum fulvam cæsariem discriminans. Quid ei pro his officiis impendes, ô pulchritudo? *Nos legem habemus, & secundùm legem*

*Rom.* 1. 30.

*1. Ioan.* 2. 18. In hora mortis omnes quibus adhæsimus vanitates, nos con-

demnabunt. *nostram debet mori.* Ecce honor, jacet ibi in lecto plenus angustiarum homo, qui nullum non movit lapidem, nulli labori pepercit; ut gloriolæ, aut popularis favoris aucuparetur umbram: totum se tibi mancipavit, noctes dieſque trivit Magnatum limina, affectavit Procerum clientelas, unum illi fuit studium placere pessimis. Quæ tot meritis præmia proponis? *Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori.* Ecce ô Voluptas, hominem tibi penitùs consecratum, cujus in te unâ fixa felicitas, qui honore postposito, despectâ salute, Dei legibus neglectis, te unam semper amplexus officiosissimè coluit. Quam illi mercedem dabis? *Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori.* Tunc tibi sigillatim occurrent quæcunque unquam commisisti peccata; socii illi discoli, auctores, vel complices sceleris; aderit & proditor mundus, actor diabolus, judex Christus; una tunc erit vox omnium: *Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori.* I nunc colmophile; sequere mundum, & ejus voluptates inanes; vive secundùm leges mundi, quas ubi ad amussim observaveris, erit tempus, quando secundùm legem Dei debebis non tantùm semel mori, sed semper pati. Hoc si ita est, cupio in Mundi legibus esse exlex: satagam potiùs, ut sim peritus legum divinarum, quàm humanarum, cœlestium, quàm civilium. Tu Christe legem habes, & secundùm legem tuam, *Beati sunt pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum*: secundùm illam, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* O beatam legem, quæ sui sectatores reddit beatos! Itaque spretis mundi legibus, *scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde*

Matth. 5.

Ps. 108.

mio:

*meo:* Tunc in pace in idipsum dormiam; quia *pax multa diligentibus legem tuam.* *Ps.* 118. 165.

## §. VIII.

### *Pilatum cogunt Iudæi minis, ut Christum condemnet.*

HActenus Pilatus virum se præbuerat, & pro Christo se fortem ostenderat, sed tandem excusserunt ei omnem ex animo æquitatem, & incusserunt formidinem illa verba, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Ioan. 19.

Hic fuit velut decumanus fluctus, quo oppressa, & submersa fuit Justitia, tunc submisit fasces Æquitas iniquitati. Illa verba, *Non es amicus Cæsaris*, nimium quantum turbarunt animum Præsidis. Tunc ipse secum: Pereat potius Christus, quàm ut Pilatus non sit amicus Cæsaris: amica Justitia, amica Innocentia, amica quæcumque virtus, sed magis amicus Cæsar. Inimicus potiùs sim ipsius Numinis, quàm non amicus Cæsaris: tollatur potius innocens ex hac vita, quàm Pilatus excidat Cæsaris gratiâ. Evertantur jus, fas, Æquitas, Pietas, omnia potius, quàm ut solvatur inter Cæsarem & Pilatum amicitia. O dira cupiditas complacendi hominibus! O crudelis metus displicendi! O humani respectus, de illa cupiditate, metuque conflati, quàm potentes estis, & ad omne facinus perpetrandum parati! Ecce hoc unum potuit permovere hominem ad condemnandum Jesum: quod neque Pharisæi suis calumniis, neque Pontifices, aut sacerdotum Principes suis prætentis legibus, neque populus universus suis inconditis clamoribus extorquere potuit,

Respectus humani quàm pernicioſi.

potuit, unus obtinet reſpectus humanus. Sic maximus Dei deſpectus, eſt humanus reſpectus. Porrò humanus reſpectus quid tandem eſt? Nil niſi intemperans quædam, vel placendi hominibus cupiditas, vel diſplicendi formido; ideoque ut hominibus placeas, ne diſpliceas, opus bonum omittere, malum ei oppoſitum committere. Quàm multi ſalute excidunt, & exitium incurrunt, propter illa verba, Quid dicunt homines? Si in templo, dum rei interſum Divinæ, geminos flectam poplites, ſi manus conjungam, ſi oculos contineam, ſi eâ quâ decet & oportet, reverentiâ, coram Chriſto me geram; Quid dicent homines? Si percuſſus non repercutiam; ſi
1. Pet. 3. 9 quod Chriſtus jubet, reddam *bonum pro malo*; ſi illatam injuriam non ulciſcar; Quid dicent homines? Quòd ſi in ſplendido convivio, dum alii famam alienam convitiis traducunt, amarulentis contumeliis denigrant, illis detrahendo non obſecundem, & pariter detrahendo non applaudam: ſed ſilentio, vel ſupercilio, illorum dicaciſſimam petulantiam condemnem: ſi aliis peccantibus non ſim complex peccati: ſi aliorum impudentiæ me pudeat, nec cum impudentibus ſim quoque impudens: Quid dicent homines? Ergò, ne diſpliceam hominibus, valeat virtus, poſtponatur Chriſtus, contemnatur Deus: cedat Pudicitia impudicitiæ, Modeſtia petulantiæ, Verecundia impudentiæ, Æquitas iniquitati, quælibet virtus cuilibet vitio. Deſpiciantur leges Dei, præcepta Eccleſiæ, conſilia Chriſti: mihi eſt inſtar omnium, placere populo, ſatisfacere hominibus. Nonnè id eſt ad unguem exprimere perſonam Pilati? Qui volens ſatisfacere populo, non eſt veritus graviſſimo, quod fingi poſ-

posset, conscientiam suam contaminare sacrilegio? Sic multi ut placeant homini, displicent illi, qui propter nos homines factus est homo. Cur tu, qui toties ingeminas: Hoc si faciam vel omittam, quid dicent homines? Cur non dicis: Si hoc faciam, quod nefas est facere, quid dicent cœlites? Quid Angelus Tutelaris? Quid Angelorum Regina? Quid Christus? Quid Deus? Quid omnes & in terris justi, & in cœlis beati? Quid dicent tunc cùm sudabis ultimum sudorem, cùm jacebis in extremis angustiis, cùm post omnia, quæ in hominum gratiam egisti, animam ages, ab hominum consortio segregandus; cùm ab hominibus omnibus desertus, nullus tibi poterit esse adjutor, nisi is solus, quem spreviſti Deus? Quid tunc illi dicent, nisi illud Davidis, qui sic Justos inducit non tam loquentes, quàm irridentes? *Videbunt justi, & timebunt, & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.* Et illud: *Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Ac ille amarus sarcasmus, *Ubi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* O Pilate, jaces modò, & ardes in loco tormentorum, Ubi sunt Dii tui, in quibus habebas fiduciam, ut propter illos tam atrociter peccaveris contra Justitiam? Ubi jam sunt illi tui Dij, Judæi inquam, quibus tantopere timebas displicere? ubi Romani, quibus volebas placere? ubi Cæsar, cujus ut persisteres amicus, inimicus factus es Dei? *Surgant nunc, & opitulentur tibi, & in necessitate te protegant.* Itaque cum ab illis nullum sit sperandum auxilium, nullum exspectandum solatium, tunc cùm maximè illorum ope indige-

Placuisse hominibus nocebit in morte.

*Ps.* 51. 8.

*Ps.* 52. 6.

*Deut.* 20.

Placere Deo soli, summa felicitas.

gebo, ego, spretis omnibus, ubi de cultu tuo, ô Christe, agetur, hominibus, memor verborum, quæ dixit tui amans discipulus, gentium Magister: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non esset.* Nunquam quiescam, nec mihi placebo, nisi illud assequar, ut possim, sicut tu de Patre tuo, sic ego de te dicere: *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Itaque malo tibi soli placere actu uno, momento unico, potiùs quàm placere omnibus, qui sunt, erunt, fuerunt hominibus totâ æternitate: imò pluris facio placere semel tibi, quàm semper potiri imperio totius mundi. O quanta est & felicitas & dignitas, posse tibi placere! Fieri enim non potest, ut tibi placeam, quin me diligas: si diligis, etiam benefacis: si benefacis, benè mihi erit in corpore, & in anima, in prosperis & adversis: quia si hic peregrinus, quæ placita sunt tibi facio semper, *placebo* tibi quoque, *Domine in regione vivorum.*

Gal. 1. 10

Ioan. 8. 29.

Ps. 114. 9.

## §. IX.

### *Admonetur ab uxore Pilatus, ut Christi causam excutiat.*

HOdiè meditandi argumentum nobis suppeditabit, optatissima Christo, felicissima mundo, exspectatissima SS. Patribus in limbo, terribilissima diabolo, mortis in auctorem vitæ pronuntiata sententia. Quam sententiam iniquissimam fuisse, testata est uxor Pilati suo somnio, ac deindè Pilatus ablutione manuum. Convertemus nos ad Pilatum, tum ad Pilati uxorem tan-

tandem delabemur ad Christum. Sic ergò textus Evangelicus: *Sedente autem illo in tribunali, misit ad eum uxor ejus dicens: Nihil tibi & justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Matt. 27.

Moris erat, uti apud omnes Gentes, sic apud Romanos, ut Judices non stando, sed sedendo decretoriam in reos sententiam pronuntiarent: ne vel impetu præcipites, vel iracundiâ turbulenti, vel odio concitati, vel quocunque alio affectu depravati, sententiam iniquam proferrent. Sedebat ergò Pilatus tanquam supremus Jerosolymæ Præses ac Judex, tunc *misit ad eum uxor ejus* (quæ à Rabano dicitur Procula) dicens: *Nihil tibi & justo illi.* Quasi dicat: Quæso te, mitte, hunc tu hominem vel dimitte, quia perplexa est ejus causa; vel absolve, quia mihi certa est ejus innocentia. Fateor, multi eum reum ex invidia magis clamant, quàm ex justitia probant. Varij eum accusant, omnes condemnant: sed ex omnibus nemo eum criminis convincit. Plus in judicio te moveat æquitas, quàm terreat auctoritas. Esto, excidamus etiam Cæsaris gratiâ, modò defendatur innocentia, & non violetur justitia. Hunc autem justum esse, ideòque innocentem, plus mihi persuadent ipsa, quæ hac nocte me consternârunt, nescio quæ somnia, quàm contrarium suadeant omnia contra eum Judæorum testimonia. His, aut id genus alijs rationibus nitebatur hæc spectatissima matrona conjugem in gyrum æquitatis compellere. Et creditur sol justitiæ, qui patiebatur eclypsim in solio injustitiæ, emisso à se veluti radio uxorem Pilati illustrâsse, ut illa Christum cognoverit Salvatorem, & ita acquisierit salutem. Hæc opinio est Origenis, & alio- Somnium uxoris Pilati.

Tract. 35. T. 2.

aliorum. Ille, qui adstabat ut reus coram Pilato, terrebat ut Deus uxorem Pilati: non ut ipse absolveretur, sed ut ipsa servaretur. Ita impletum est illud oraculum Christi: *Duo erunt in lecto uno; unus assumetur, & alter relinquetur.* At male monetur cæcus per visa; & apud impios quælibet Dei monita sunt somnia. O Pilate, uxor tua somniat, ut tu è somno vigiles. Si rectè attendas, invenies illud uxoris tuæ somnium, Dei esse oraculũ, monentis: *Surge, qui dormis, & exurge: & illuminabit te Christus.* O Pilate, hora est jã te de somno surgere. Verè Christus ubique se ostendit esse Salvatorem, qui vult omnes salvos fieri: Pilatum salutis admonebat per uxorem, uxorem per somnium, Judam per osculum, Petrum per galliciniũ, Herodem per silentium, Malchum per restitutæ auriculæ miraculum, Judæos per prodigia, alios per beneficia, omnes per testatissima Divinitatis suæ argumenta. Quisquis hîc præsens est, totius anteactæ vitæ suæ seriem reminiscendo cogitet, & intelliget multis ac miris modis se à Deo ad salutem pellectum. Quosdam flagellis impellit intrare, alios funiculis charitatis, ut intrent, trahit: illos prosperitate allicit, istos adversitate cogit: cum quibusdam agit fortiter, cum alijs suaviter. Nemo tam impatienter expetit salutem suam, quàm ipse tuam. Nõ repellet venientem, qui invitat ut venias. Ut salvaret hominem, factus est homo. Quid ergò dubitas vel de impetranda, postquã peccasti, venia: vel de obtinenda, ne pecces, gratiâ? Non tam tu es miser, quàm ipse misericors. Fateor, major est misericordia tua, quàm malitia mea: licèt enim peccata mea sint super arenam macris, non tamen super clementiam

*Luc. 17. 34.*

*Ephes. 5. 14.*

**Deus vult omnes salvos fieri.**

tiam tanti patris; ideò oro: *salvum me fac in misericordia tua.* Ps. 30, 17

## §. X.

### *Pilatus lavat manus.*

MUlta pro Christi Innocentia Pilatus hactenus egerat; non pauca, ut Christum absolveret, fecerat; sed nihil effecit. Itaque cùm in tam confertâ hominum multitudine, non posset vox ejus ab omnibus audiri; quod non poterat voce, signo aliquo conspicuo, quod à remotioribus videri poterat, voluit significare, *Videns enim Pilatus, quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine Iusti hujus: vos videritis.* Matt. 27. 29.

Fruſtrà Pilate ad eluendam culpam adhibes aquam. Undecumque venerit aqua ista; seu ex Oceano, seu ex fluvio, seu ex torrente, seu ex fonte, seu ex puteo, seu ex cisterna, nihil efficies. Licet aperiantur cœli, & rumpantur omnes fontes abyssi magnæ, & pluat super te cœlum 40. diebus, & 40. noctibus; totusq; involvaris Noemico diluvio, scelus tuum nimis est immane, & truculentum, quam ut illud eluere possit totius aquæ elementum. Licet non tantùm tibi laves manus, sed optes cum Petro tibi lavari & pedes & caput, non eluetur crimen illud tuum capitale. O Pilate, quid jubes adferri à famulis aquam, quâ manus laves? Habes domi tuæ fontem, quo potes eluere labem. Ecce ante oculos tuos salit fons aquæ vivæ. Quid ni hic te alloquar verbis Davidis? *Apud te est fons vitæ.* Ps. 53. 10. De illo qui coram te stat prædixit Zacharias: *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem, qui in ablutionem peccatorii,* Zach. 13. 1.

ris, & menstruatæ. Hæc Pilate est dies illa: fons ille jam ante te patet, & omnibus tecum habitantibus in Jerusalem, & quidem est fons in ablutionem peccatoris. Peccator es, in hoc fonte te abJoan. 4. lue. Hic est *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Cur 14. non dicis cum Samaritana: *Domine, da mihi hanc* Baruch. *aquam?* Sed quid tibi dicam, nisi cum Baruch? *De-* 3. 12. *reliquisti fontem sapientiæ.* Jam te Christus tacitè alloquitur, uti olim mulierem Samaritanam, cùm ipsa esset juxta fontem Jacob, sicut tu juxta fontem aquæ vivæ: Pilate, *si scires donum Dei, & quis est, qui* adstat tibi: *tu forsitan petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Hâc aquâ si lavisses manus, eluisses & scelus. Tunc non fictè, sed verè dicere potuisses: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.* Circumfer ô Pilate! pauliſper oculos per domum tuam, videbis & atrium, in quo flagellatus, & Prætorium in quo coronatus est, & tribunal, in quo nunc adstat, ejus sanguine esse delibutum. Tu jam plantis tuis conculcas, quem pro te effudit, sanguinem: imò jamjam te spectante, tot stillant ex sacro ejus vertice sanguinis guttæ: vestes tuæ conspersæ sunt propè ejus cruore. Ad delendas animæ tuæ tam turpiter contaminatæ labes, plus potest unica sanguinis ejus stilla, quàm totius oceani aqua. Sed non audit Pilatus, ob inauditum Judæorum tumultuantium clamorem. Cùm enim Pilatus acceptâ aquâ lavaret manus, Judæi optantes lavare manus suas in sanguine Salvatoris sui, tamquam rabidi canes latrabant vociferantes: *San-* Isaiæ 1. *guis ejus super nos, & super filios nostros.* O scelerati! ô 15. viri sanguinum, quorum *manus sanguine plenæ sunt:* Ps. 13. 3. quorum pedes *veloces sunt ad effundendum sanguinem.* Sanguis ejus non erit super vos ad salutem, sed contra vos ad perniciem; quia usque ad hunc

diem

diem sanguis fratris vestri clamat ad cœlum de terra. O quàm appositè de perfidis Judæis D. Hilarius ! *Ille Israël à Domino Pharaone vindicatus, in mari ablutus, in deserto Angelorum cibo pastus, in lege eruditus, in Prophetis objurgatus; in nativitate à Domino per consortium corporis susceptus, in cruce si crederet, salvatus; in resurrectione, si confiteretur, glorificatus; nil horum suum credidit, nil horum manere suum voluit. Habens manna, cucumeres Ægypti desideravit; legem autem à Domino expectans, vitulum adoravit: Prophetas audiens, occidit; Virginis partum sibi prophetatum infamavit, Deum in carne non credidit; peccati remissorem, falsi peccati reum arguit; emit ad mortem, in crucem sustulit; testes resurrectionis ad silentium corrupit, Apostolos morte interfecit.* Ita sanguis Christi fusus omnibus ad meritum, ad salutem, ad gloriam; illis est ad exitium, opprobrium, ignominiam. Sed à Judæis, & Judæorum præside Pilato, ad nos mentem convertamus. Nemo nostrum est qui posset cum Pilato dicere: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.* Ille enim sacratissimus sanguis fusus est non tantùm pro nobis, sed à nobis. Ut ergò non ficte cum Pilato sed verè dicere possim: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus*, necesse est, ut idem adferat sanguinem, cui ego intuli necem. Lavabo ergò manus meas, non, ut Pilatus, aquâ, sed sanguine Salvatoris mei. Tunc ero verè *innocens manibus, & mundo corde.* Fateor, ô Christe ! coram te cum Davide: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Sed vix infans immundus prodieram in mundum, cum salutari Baptismatis latice lavisti me ab iniquitate hæreditariæ labis. Sed *amplius lava me.* Iterum, puer novas contraxeram maculas, leviter peccando; lavisti me tunc lacrymis meis, quas puer ad deli-

*In Ps. 22.* Judæorum in Deum ingratitudo.

*Ps. 23. 4.* *Ps. 50.*

cta fundebam: Sed *amplius lava me*, Denuò jam adolescens, mortalis noxæ contraxeram labes: & qui sordidus fueram adolescens, sordescebam magis adhuc juvenis. Tu me lavisti in cruento tuo balneo, cùm peccata mea Sacerdoti aperiré. Sed *amplius lava me*. Nondum mundus sum totus, & tamen nemo nisi mundo corde Deum videbit. Quapropter, *Cor mundum crea in me Deus* Nam *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* *Nonne tu, qui solus es?* Ut sim ergò mundo corde, *amplius lava me*. Lavisti me lacrymis tuis, scio enim, quia proprer me lacrymatus es Jesu *amplius lava me*. Lavisti me sudore tuo; legi enim, quia *factus est sudor* tuus *sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*. Sed adhuc *amplius lava me*. Lavisti me tandem in sanguine tuo, & tum demum lavando sic me, redemisti me. Per hunc sanguinem spero me illic aliquando admittendum, ubi Electi tui *laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni*.

Ps. 50.
Iob. 14. 4.
Luc. 22. 44.
Apoc. 7. 14.

## §. XI.

### *Condemnatur ad mortem Crucis.*

PIlatus, cùm nihil ampliùs effugii videret, sed jam se redactum in eas angustias intelligeret, ut necesse esset vel excidere Cæsaris gratiâ, & populi amicitiâ, vel peccare injustitiâ: illud timens, hoc contemnens, prolatâ contra omne fas iniquissimâ sententiâ, tandem auctorem vitæ condemnavit ad supplicium mortis. *Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum, & Iesum tradidit voluntati eorum, ut crucifigeretur.*

Luc. 23. 24.

Impletum est illud tuum, ô Jesu, vaticinium:

Filius

*Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum*, &c. *& tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* JESUM ergo tradidit voluntati eorum, hoc est. Judæis tradidit Agnum Dei voraciſſimis lupis, ut devoretur; rabidiſſimis canibus, ut mordeatur; immaniſſimis leonibus, ut discerpatur. Tradidit illum, & cum illo omnia ipſius. Totum ejus, nullâ parte exceptâ, tradidit honorem, famam, valetudinem, robur, ſanguinem, caput, oculos, aures, manus, pedes, totum corpus, ut cum illo facerent quidquid quocunque modo vellent, aut poſſent. Chriſtus ergò tunc traditus eſt omnium, quos habebat, ferociſſimorum tam in terra, quàm in tartaro, inimicorum poteſtati. Quæ ab hoſtibus tam malevolis, invidis, crudelibus, tanto odio ejus accenſis, non timenda laniena? quæ non tormenta? quàm horribilia ſupplicia? Quid miſerius, quàm ſic tradi? quid ſceleratius, quàm ſic tradere? Sed non unus eſt, qui eum tradidit, Pilatus: innumerus eſt numerus eorum, qui ipſum tradiderunt. In primis ego fui ejus traditor. Mea avaritia eum tradidit Judæ, ut venderet, mea effrænis in vivendo, & peccando libertas eum tradidit militibus, ut cõprehenderent, & funibus ligarent; mea iracundia tradidit eum miniſtro Pontificis, ut daret ei alapam; mea invidia tradidit eum Principibus Sacerdotum, ut eum accuſarent; mea maledicentia tradidit eum militibus, ut expuerent in faciem ejus; mea ambitio eum tradidit Herodi, ut ſperneret & illuderet indutum veſte albâ; mea libido tradidit eum Pilato, ut flagellaret; mea ſuperbia tradidit tortoribus, ut ſpinis coronarent: mea denique in quovis ſcelere conſciſcendo impudentia & pertinacia tradidit eum Romanis, ut cruci-

Peccator quilibet Chriſti eſt traditor.

figerent. Sed ut ad Pilatum redeamus: quid illum potissimùm compulit ad ferendam sententiam, quâ iniquior in hominem non fuit ab hominum memoria? Metus excidendi gratiâ Cæsaris. Cùm enim observarent Judæi, Pilatum id unum agere, ut Christum vitâ donaret: illi, quibus Christi vita erat acerbior quavis morte; tandem fortissimum quod habebant, & veluti palmare argumentum proposuerunt, quo Pilato hactenus impavido ingentem terrorem incusserunt, quo illius animi robur penitus enervârunt, quo velut ariete, huc usque erectum prostrârunt, & veluti de constantiæ gradu dejecerunt. Quod illud? Idem, quo hoc tempore omnium propè Judicum constantia & æquitas labefactatur; videlicet: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Ad has voces totus expalluit Pilatus, contremuit, & expavit, velut fulmine afflatus; & tunc demum cœpit animos despondere, barbas injustitiæ porrigere, ac ita Christum voluntati Judæorum tradere. Non Jerosolymæ tantùm, sed hîc, & alibi, & ubique est invenire tribunal Pilati. Quàm sunt quibusdam in locis corrupta tribunalia, quàm iniquæ sententiæ, quàm perversi Judices! ponderantur jam vulgò sententiæ ad libram amicitiæ, vel trutinam pecuniæ, non justitiæ. Iudex est, non ratio, sed affectus. Satis est ut cadas causâ, non stare à Iudice. Si conferenda est dignitas, si munus, si examinanda est causa, primum quod quæritur, est, cujus sit factionis? Sit licèt quis nocens, sit reus; si pollet Iudicis, vel Principis gratiâ, pro eo feretur sententia. Quoties in Conciliis audiuntur illæ impiæ impiissimorum voces, quas exprimit Sapiens? *Circumveniamus justum: quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. Gravis est nobis etiam*

Injustitia ubique dominatur.

*Sap.* 2. 12.

*etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius.* Observatis causam, cur impii velint circumvenire justum? Quia *contrarius est operibus nostris.* Nos helluando pergræcamur; ille jejunando se macerat: nos lascivimus; ille continens est: nos nitimur politicâ prudentiâ; ille Dei providentiâ: nos novimus simulare, dissimulare, quamlibet personam ponere, sumere; ille est vir rectus & simplex, inter varia semper idem, inter multa semper unus: nos studemus captandis favoribus Principum, Magnatum, Optimatum; illi nulla est acceptio personarum, nec est illi cura de aliquo: nec enim respicit personam hominum. *Contrarius est operibus nostris.* Sola ergò ratio cur impii circumveniant justum, est, quia ejus vita dissimilis est illorum vitæ. Hoc est; ideò vexatur bonus, quia non est malus: ideò patitur pius, quia non est impius; ideò accusatur innocens, quia non est nocens: & ideò condemnatur justus, quia non est injustus. Hinc madent non rarò innocentium lachrymis tribunalia, stillant justorum sanguine Iudicum manus, turgent inopum ære divitum crumenæ. Audite iniqui Iudices, quibus vos verbis perstringat D. Innocentius Patronus innocentium. *Vos non attenditis merita causarum, sed merita personarum, non vitam, sed munera, non justitiam, sed pecuniam, non quod ratio dictet, sed quod voluntas affectet: non quod lex sanciat, sed quod mens cupiat. Non inclinatis animum ad justitiam, sed justitiam ad animum: non ut, quod liceat, hoc libeat; sed ut liceat hoc, quod libet.* Hoc demum est sustinere personam Pilati, malle excidere Dei gratiâ, quàm hominum amicitiâ. Ubi enim de illâ agitur, illicò excutitur omnis conscientia, nulla habetur ratio Iustitiæ, contemnitur Religio, seponitur Pietas, jacet Virtus,

*De contemp. mund. l. 2. cap. 4.*

*Respectus humanus.*

tus, vilis est etiam animi salus. Sic Pilatus, ubi illi incussus fuit metus offendendi Cæsaris, moxe-xuit personam æqui Judicis, & consensit impio judicio. Sed tu Jesu, sicuti amore mei permisisti te falsò accusari: ita nunc & iniquè condemnari: ut tui condamnatio, mei esset defensio. Voluisti ab iniquo illo Judice damnari, ut ego in magno illo foro, possem à Patre tuo absolvi. Hodie quidem sententia mortis in te est primum prolata ab homine, sed jam pridem à Patre tuo. Accipe illam, non ut prolatam ab iniquo Judice, sed à Patre tuo: cujus hæc est voluntas, te mori, ut mors tua sit vita mea. Antequam tu pro me damnando eras condemnatus, omnes, imò omnia me accusabant, & condemnabant: jam verò silent. Quòd si fortè à me petas, quòd à muliere illa adultera. *Vbi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnavit!* Postquam tu pro me condemnatus es, *nemo Domine.* Neque ego te condemnabo: *Vade & jam amplius noli peccare.*

Ioan. 8. 10.

## §. XII.

### *Crux profertur.*

VIx Judæi bibulis auribus exceperant ex ore Pilati sententiam mortis in Christum moriturum; cum repentè totâ urbe, per compita, & vicos, cœpit incondito clamore triumphalis Judæorum plausus resonare. Audivisses hic exprimi, quod pridem antè expressit Jeremias: *Sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Devorabimus: en ista est dies, quam exspectabamus: invenimus, vidimus.* Interim sine mora, omnia feralis pompæ instrumenta, properanter collata: Crux ipsa, cla-

Thren. 2. 16.

vi,

vi, mallei, funes, terębræ, forcipes, scalæ, ligones, spongiæ, acetum, vinum myrrhatum, & quidquid ex Romano ritu ad crucifigẽdum spectabat. Sed nunc dum omne supplicii tam infamis choragiũ apparatur, Christus funibus vinctus, spinis coronatus, lachrymis perfusus, sudore madidus, sanguine cruentus, plagis lividus, vulneribus plenus, viribus exhaustus, frigore tremulus, lacero corpore, ob animi deliquia ægrè spirans, ab omnibus desertus, in atrio Pilati, saxo insidens, dum crucem exspectat, tacitè ad crucis supplicium se Patri offert, dicens: *Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.* Scis Pater mi, quod tibi obedierim usque in stabulum ad pecudes, usque in Ægyptum ad barbaras gentes; quocumque me misisti, tibi parui. Nunc expectatum diu, & exoptatum multùm adest tempus, quo tibi obediam usque ad mortem, & usque ad mortem crucis. Vix hæc Iesus tacitè secum, cùm ecce crux ipsa adducitur in cõspectum. Salve sacrosanctum lignum, tanto ambitu quæsitum, tot sæculis expectatum, tot votis expetitum. Tu ô Crux in sacratissimo sanctissimę Trinitatis Concilio, fuisti divinitus electa, ut esses velut Ara, in qua Sacerdos ille magnus, & summus Pontifex cruentam Hostiam pro mundi redemptione offerret; ut esset trophæum, quo invictus ille bellator, & Deus exercituum, spolia victoriæ suæ affigeret: ut esses candelabrum, supra quod lux mundi poneretur, ut luceret omnibus qui in mundo sunt; ut esses gladius, quo Filius Dei omnes hostes triumpharet. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Tuo imperio cedet Hebræorum Religio, Græcorum Philosophia, Romanorum potentia. Nam potentissimi Gentium Romani, Sapientissimi mortalium Græci,

*Matt. 11. 26.*

Crucis gloria.

*Ioan. 12. 31.*

Religiosissimi omnium Hebræi, tuam gloriam ubique prædicabunt. Magnificè de Cruce Divus Chrysostomus: *Crux nobis totius beatitudinis causa est: hæc nos à cæcitate liberavit erroris: hæc è tenebris reddidit luci: hæc debellatos quieti sociavit: hæc alienatos Deo conjunxit; hæc longè constitutos Deo proximos præsentavit: hæc peregrinantes, cives effecit: hæc discordiarum amputatio est: hæc pacis firmamentum; hæc bonorum omnium abundans largitio.* Sed nos crucem extollimus verbis, & deprimimus operibus: prædicamus linguâ, repudiamus manu. Quoties signamus cruce frontem, cùm tamen habeamus alienissimam à cruce mentem? Quot sunt, qui gestant segmentum aliquod sanctissimæ Crucis, qui tamen illi ipsi inimici sunt crucis Christi? Venerantur multi sacras Crucis reliquias, osculantur, flectunt genua, æstimant, adorant & illi tamen qui sic venerantur Crucem Christi, iterùm crucifigunt in semetipsis Christum; inimici non tantùm Crucis, sed Crucifixi. Si colis Crucem, cur offendis Crucifixum? Quare Crux honoratur, nisi quia in ea pepẽdit ille, cui soli debetur omnis honor? Crux, antequam Christus in ea pependit, erat maledictum; nunc est sacrum Mysterium. Si Crux ideò tanto est in pretio, quia Christus illam aspersit suo sanguine, consecravit corpore; cur tibi nullo est in pretio Paupertas, Castitas, Humilitas Christi? Christus Humilitatem, aliasq; virtutes extulit verbis expressit moribus, commendavit vitâ, consecravit corpore, & animâ, dum se humiliavit usque ad mortem, mortem autem Crucis. Tota vita Christiani, si ducitur ad normam Evangelii, Crucis est Christi: contrà verò, nulla gravior, nulla molestior, nulla intolerabilior crux, odio Crucis. Mille sibi cruces fabricat, qui illas fugit.

*Serm. de Cruce, & latrone. T. 2.*

**Crucis Christi multi inimici.**

git. Volebat David animo excutere omnes cruces, dum indulgebat omnibus delitiis; Sed cùm jã videretur depositâ omni cruce levis, ecce tibi, ipsæ voluptates *sicut onus grave gravatæ sunt super* eum: ita ut cogeretur exclamare: *Factus sum mihimetipsi gravis.* Sed miser peccator bajulans crucẽ, non Christi, sed peccati, ambulat demisso capite, curvo corpore, mœsto pectore, ejulans perpetuò cum Davide: *Miser factus sum, & curvatus usque in finem; totâ die contristatus ingrediebar.* O quantò glorioſius est gloriari in cruce Domini, quàm in cruce diaboli! Ecce curvatus sum ô Jesu, usque in terram, ut suscipiam crucem tuam; imponam illam, ut feram eam. Ecce extensas manus, ut eam accipiam; aperta brachia, ut amplectar; parata labia, ut exoſculer; inclinatos humeros, ut portem. Portabo usque in finem, ut salvus fiam: qui enim in cruce, sicut tu, perseveraverit usque in finem, salvus erit. Vivam, ferens crucem; moriar, amplectens crucem: nec priùs dimittam crucem tuam, quàm in manus tuas emittam spiritum meum. Ps. 37. 5. Ps. 37. 7.

## CAPUT IX.

## Christus in plateis Ierusalem.

### §. I.

### *Bajulat Crucem.*

NUnquam ab origine mundi, quando in principio creavit Deus cœlum & terram, admirabilius cœlo, terræque exhibitum fuit spectaculum, quàm tunc, dum Judæi Do-

Dominum gloriæ eduxerunt ad montem Calvariæ. Audite quàm magna & multa sacramenta paucis verbis complexus est Evangelista: *Iesus ergo bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.*

Ioan. 19. 17.

Itaque Christus unius quidem Pilati voce, sed communi omnium voto ad crucem condemnatus, acceptam à carnificibus crucem, submississimâ totius corporis ac animi reverentiâ, fractis imposuit humeris. Advolabant, ut onus sublevarent, plusquam duodecim legiones Angelorum; quas Christi arcebat charitas, ut major ejus appareret in nos benignitas & humanitas. Expectabat foras prodeuntem *omnis turba*, quæ jam non *quærebat eum*, ut olim, *tangere*, sed crucifigere; & quæ anteà clamaverat ut tolleretur, jam gaudebat tollendum. Valedicit Pilato Christus, tacito corde hæc verba repetens: Pilate, si cognovisses & tu, & quidem in hac hora, quæ ad salutem tibi. O qualem, quantumque virum, Pilate, dimittis! Præcedit tubicen, qui clangentis buccinæ mœsto murmure totam foribus evocat civitatem. Sequuntur justitiæ ministri, milites, lictores, hoc est, injustitiæ satellites: dein duo insignes latrones Barabbâ nequiores. Tandem progreditur non indecoro sanguine sordidus, magnus inferorum debellator, mortis victor, peccati subactor, mundi Redemptor Jesus, crucem bajulans, & in cruce triumphans. Egredienti maledicebat Synagoga verbis Semei: *Egredere, egredere vir sanguinum; & vir Belial. Ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.* Huic accinebant Synagogæ Sacerdotes: Egredere, egredere homo vorax, potator vini, publicanorum & peccatorum amice, fili Beelzebub, malefactor,

Luc. 6, 19.

2. Reg. 16. 7.

ctor, eversor gentis nostræ, fili fabri. Denique palinodiam canebant omnes filii Synagogæ: qui enim ante sex dies ingredienti accinebant: *Benedictus qui venit in nomine Domini*; egredienti canunt: maledictus qui venit in nomine diaboli. Ita omnes eum, cùm adhuc ferret crucem, crucifigebant vocibus, cùm non possent manibus. Jesus autem ibat per medium eorum, ut operaretur in medio terræ salutem eorum, *Mediator Dei & hominum*. Sic ægri illi jam phrenetici dimittunt medicum, de quo *virtus exibat, & sanabat omnes*: sic filii iræ repudiant Patrem misericordiæ; sic servi nequam pellunt Dominum suum extra familiam, sic operarii iniquitatis ejiciunt hæredem extra vineam. Hac lugubri pompâ, sub infami arboris mole, ac decussatæ crucis pondere, Jerosolymæ plateas obambulat Filius Dei, sæpiùs repetens illud secum: *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos; quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Nunquam Christus majori fulsit gloriâ, quàm in summa hac crucis ignominia: sic enim jucundius Patri suo exhibuit spectaculum, majorem Angelos rapuit in stuporem, plus homines allexit ad amorem, magis omnibus apparuit glorioſus, quàm sedens ad dexteram Patris Rex regum, & Dominus dominantium: quàm cùm datâ ei jam omni potestate in cœlum & in terram, millia millium assistunt ei. Hinc cùm Christus gloriæ suæ pompam explicaret in monte Thabor, noluit huic scenæ interesse, nisi tres spectatores. Sed cùm crucem bajulat, ut ostendat quanta sit illa dignitas, prodit in publicam lucem, ex umbra in solem, è latebris in oculos omnium hominum, è solitudine in conspectum totius

*Matt. 25. 34.*

*1. Tim. 2. 5.*

*Luc. 6. 20*

*Luc. 19.*

tius mundi. Nunquam plures habebis spectatores è cœlo, quàm dum crucem, non tantùm quia necessitate compelleris, patienter; sed quia voluntate exoptas, libenter bajulas. Spectat Deus, & gaudet, quia Christo crucifixus es cruci; spectant Angeli, & applaudunt, quia una tibi gloriæ materia est, gloriari in cruce Domini nostri Jesu Christi; spectat Mater Dei, & congratulatur, quia conformis es Filio ejus: spectant Martyres, & tantùm non invident: spectant dæmones, & præ iracundia frendent; spectant homines, & attoniti stupent. Nunquam ullus Monarcha tot habet spectatores sedens in solio, quàm Job jacens in sterquilinio. Totum cœli amphitheatrum convertit in suî spectaculum. Audiatur magnus ille præco Jobi D. Chrysostomus: *Fimus Iobi omni tribunali regio est venerabilior. Ex throni namque regij conspectu, nullum erit spectantibus lucrum; sed temporalis tantùm delectatio nullam habens utilitatem. Ex fimo Iob autem viso, quis capiet omnem utilitatem, & disciplinam, & exhortationem, & patientiam?* Hoc itaque sit tibi certum. Nulla optari potest gloria in hoc mundo, quàm pati pro Christo. Major est dignitas, quia & felicitas, pro Christo contumeliam pati libenter, & cum silentio, quàm potiri totius mundi imperio. In cruce est omnis honor, in cruce summa gloria, in cruce sola salus; quia in cruce Salvator. Si ergò tibi Crux in quo sedeas, thronus; ex quo doceas, suggestus; in qua sacrifices, ara; quo pugnes gladius, & tandem in quo dormias, ut in Domino obdormias, lectus, & eris inter paucos electos. Sed ut illud, quod opto, consequar, ad te me converto, qui bajulas Crucem pro me. I Christe, habes tandem quod tanto ambitu expetiisti. Iam tunc,

Crucem Christi ferre summa gloria. *Hom. 5. ad Pop.*

tunc, cùm in utero Matris factus homo, induisti nostram carnem, desiderio desiderasti ferre hanc crucem. Progredere Iesu, quoniam tempus breve est. Ecce montem, in quo debes exaltari, ut ibi exaltatus omnia trahas ad te ipsum. Ecce montem, in quo opus illud magnum, quod dedit tibi Pater, ut faceres, consummabis. Adhuc tres horæ, & in illo monte inclinato capite emittes spiritum, ut tuâ morte vivat homo, propter quem factus es homo. Ascende ergò in montem Calvariæ, ut ego ascendam ad montem gloriæ. Cùm primùm incarnatus auspicatus es curriculum, quod tibi Pater præscripsit, exultabas ut Gigas ad currendam viam, jam stas ad viæ metam. Restat adhuc ultimus actus, isque difficillimus tibi, utilissimus nobis, necessarius omnibus, ut qui jam ascendis montem, conscendas crucem, ibique moriendo destruas mortem: tum demùm omnibus consummatis, post ignominiam Crucis, eris in gloria Dei Patris.

## §. II.

### *Simon Cyrenæus angariatur.*

QUisquis ambit famam tranſmittere ad posteros; quisquis ambit immortalitatem nominis, observet illam, quæ sequitur, historiam. Cùm Christus lento gradu magis reperet, quàm incederet, onustus pondere Crucis, *Exeuntes invenerunt hominem Cyrenæum nomine; Simonem, venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi.* O Simon, quantùm tibi invidemus, & nobiscum Ecclesia universa! Noli erubescere, noli reluctari, amplectere illud lignum. Hæc Crux labarum *Luc. 23. 26.*

barum est, quod omnes Deo militantes sequuntur, ac proinde tu es vexillifer: hæc Crux est clavis, quâ aperiendæ sunt portæ cœlorum, & ideo tu es claviger: hæc Crux est gladius, quo jugulandus est dæmon, & ideò tu es armiger. Dic ergò palàm, totâ audiente Judæâ: *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi: quoniam nec Salomon in omni gloria sua*, tam est conspicuus Majestate, dignitate, honore, ut tu cruce tuâ quam gestas. Quæritis viam compendiosam aperiri ad gloriam? Portate Crucem. Quot fuerunt, qui singulari certamine congredientes, infames arenas suo sanguine cruentarunt. Alii qui ad lucernas elucubrarunt claros scientiâ libros! Alii qui insanas ad cœlum usque produxerunt turrium machinas, quorum uti corpora tumulo, ita & fama æterna oblivione, jacent sepulta, vel certè si extant in litterarum monumentis eorum nomina, non sunt scripta in cœlis, & in libro vitæ! Vide mihi istum Divitem, de quo Lucas. Hic, si opus spectes, erat omnium qui in illa ditione degebant, longè opulentissimus, ut per excellentiam vocetur dives epulo. Si convivia illius consideres, erant & numero plurima, & quæstu maxima. Hinc dicitur: *Epulabatur quotidie splendidè*. Si vestes adspicias, illæ erant selectæ exquisitissimæ, materiâ mollissimæ; nam *Induebatur purpurâ & bysso*. Quis non judicaret hunc hominem & splendore vestium, & pompâ conviviorum, & copiâ divitiarum fore per totum orbem nominis ac famæ celebritate clarissimum? Tamen non tantùm posteritati non est clarus; sed nec notus. Hinc D. Lucas: *Homo quidam erat dives*. Quis ille? Quod ei nomen? Nescitur. Quæ illi patria? Ignoratur. Quos habuit filios? Ignotum

Gal. 6. Matth. 6. 29.

Per crucem acquiritur nomen immortale.

tum est. Ecce hominem, qui cùm viveret, volitabat per omnium ora: jam & nomen, & genus, & patria, & progenies, & familia, non tantum sunt obscura, sed ignota. Nunc vos gloriæ aucupes, vos, inquam, ambitiosi propagandi nominis, & studiosi transmittendi ad posteros famæ, animum advertite, & oculos convertite ad eos, qui Christi crucem bajulant, & intelligetis crucem esse compendiosum gloriæ tramitem. Spectate hunc, quem carnifices angariaverunt, ut portaret crucem Jesu; quod illi nomen? Simon: sic enim D. Lucas: *Apprehenderunt Simonem.* Quod illi natale solum? Cyrene. Testatur id Matthæus: *Invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem.* Quot habuit filios? Duos. Quos illos? Alexandrum, & Rufum. Sic scribit Marcus: *venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi.* Ecce homo obscuris natalibus, conditione abjectus, opificio humilis, opibus tenuis, verbo rusticus, quia fors tertiâ parte horæ portavit Crucem Jesu, jam toti posteritati commissa est ejus fama, universo orbi est nominis celebritate notissimus: exprimitur ab Evangelistis ejus nomen, patria, filii. Ubicumque prædicatur Evangelium per totum orbem, fit mentio hujus Simonis: pingitur in tabulis ejus imago, exponitur in aris, proponitur in pulpitis. Denique hic vilis terræ filius, hic triobolaris rusticus, famâ est celebrior, gloriâ clarior, & nomine illustrior, uti ejus filius Rufus & Alexander, quam magnus ille Alexander omnibus suis præliis, & Cæsar victoriis, & Augustus potentiâ, & Tullius eloquentiâ, & Aristoteles scientiâ; quam denique omnes totius antiquitatis, & gentilitatis præstantissimi Heroës, universis suis facinoribus, quibus nomina sua immor-

talia reddere contenderunt. Tanta est gloria etiam invitum vel brevissimo tempore, Christi crucem bajulare. Ego ergo, cujus vita est militia super terram, ut possim fortiter prælia Domini

Ephes. 6. 12. præliari, cui est, *colluctatio non adversus carnem & sanguinem: sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum*, sub hoc militabo; sub hoc audacter conseram pugnam, & feliciter consequar palmam, & gloriosè assequar coronam. Sub hoc enim vexillo benè ominato, tota triumphans Ecclesia hîc olim militavit; sub hoc omnes illi invictissimi Christi bellatores obtinuerunt coronam gloriæ immarcescibilis. O quale erit militibus tuis, ó Jesu, sub hoc vexillo merentibus gaudium! quis plausus! quantus triumphus! quando tremente terrâ, fulminante

Matt. 24. 30. cœlo, trepidante totâ naturâ, *parebit signum Filij hominis in cœlo: quando* fugientibus dæmonibus, frementibus improbis, palpitantibus præ metu inimicis crucis Christi, clangentibus buccinis clamabunt Angeli: *Vexilla Regis prodeunt; fulget Crucis mysterium.* Tunc conscendent triumphantes milites Christi, Capitolium cœli.

## §. III.

### *Simone Crucem bajulante, Christus Ierusalem egreditur.*

ANgariatus fuerat Simon in via, ut eum sequeretur qui est via, & qui est veritas, ut sic tandem perveniret ad eum qui est vita. Nec Simon, ignarus licèt, quàm pretiosi ponderis esset

C. 13. 26. bajulus, reluctatus est: Nam, ut ait D. Lucas, *imposuerunt illi Crucem portare post Iesum.* Quàm pauci sint

sint bajuli crucis, observate. Non desunt magnæ auctoritatis Scriptores, qui asserunt ad illud tempus Paschatis, quo Christus passus est, Jerosolymam confluxisse, quadragies centena millia hominum, sive quatuor milliones capitum. Et tamen in tantâ hominum, qui Christum crucem bajulantem partim præibant, partim comitabantur, partim subsequebantur, non est inventus qui Crucem Christi portaret, nisi unus hic Simon, & ille quidem compulsus. Decem olim mundaverat Christus leprosos, unus autem ex illis, *ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes, & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? Non est qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* O Christe, quàm multi olim, cùm virtus de te exibat, & sanabat omnes, comitabantur! quanta hominum celebritas latus tuum stipabat! quot ferebantur in grabatis infirmi, cùm transires per plateas, ut vel tangerent fimbriam vestimenti tui, & sanarentur à languoribus suis! Quid ni jam dixeris! Nonne quinque millia hominum panibus à me saturati sunt? Nonne turba plurima, tot ægri, cæci, claudi, surdi, paralytici à languoribus suis curati sunt: & tot millia ubi sunt? Non est inventus nisi unus, qui portaret Crucem post Iesum, & hic alienigena est. Nimirùm multi reperiuntur Christophori, pauci Cruciferi. Spississima erat turba, quæ spectabat Christum Crucem bajulantem, unus tantùm, qui bajulabat. Etiam asinus Christum portavit, cùm triumphans intraret Ierusalem. Sic multi desidiosi, inertes, pigri, Christum, dum venit cum oliva, cùm dicit: *Pax huic domui*, admittent, & humeris

*Drexelius de Christo patiente t. 5. p. 2. §. 4.*

Pauci Crucis bajuli.

*Luc. 17. 17.*

*Luc. 10. 5.*

meris etiam gestabunt: sed si veniat cum cruce
Matt. 16. 24. & ad eam portandam invitet, dicens; *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Durus, inquiunt, est hic sermo. Hicine Christum cum sua Cruce jubent abire è corde, ut Iudæi Ierosolymâ. Nonne, cùm in tanta hominum frequentiâ non fuerit nisi unus, qui portaret Crucem Christi, impletum est illud Christi
Matt. 20. vaticinium: *Multi sunt vocati, pauci verò electi?* Multi enim Christum, cùm crucem bajularet, sunt comitati; unus tantùm, qui crucem portaret, electus. Quasi nullum sit certius argumentum electionis, quàm ferre crucem. Audi inimicum crucis Christi, loquentem Christum: *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Quæ verba sic exponit D. Augustinus:
Lib. de Virg. *Quo enim putamus ire, nisi de Christo in Christum, cum Christo post Christum, per Christum propter Christum?* Deindè paulò post: *Cùm sequeris viam Christi, non tibi sæculi prosperitates promittas; per dura ambulamus, sed magna promisit; sequere; noli tantum attendere quò iturus sis, sed & quò iturus sis.* Cave ergò, & time, si

Prosperitas periculosa est. tibi blanditur fortuna, si tuis semper Deus obsecundet votis, si potiaris cupitis, fruaris optatis, si quidquid desideres, obtines; si tibi cuncta fluunt ad vota; si nihil sit quod angat animum, vel cruciet corpus; & tu interim pergas accumulare scelera sceleribus, nec Deus peccantem punit, non tibi applaudas, sed metuas. Ambulas per viam latam, quæ ducit ad mortem. Suspecta tibi sit ista felicitas: nihil enim infelicius felicitate peccatorum. Illis paratur crux, non ut Christo longa quindecim pedibus, sed tam longa, quàm est æternitas. Numera Beatos, numera damnatos; longè plures in prosperis, quàm in adversis pe-

perierunt. Rectè D. Hieronymus: *Magna ira est, quando peccantibus non irascitur Deus.* Illa indulgentia magna est iracundia. Dum parcit, sævit: pœnam non tollit, sed differt. Si ergò sapis, crucem tibi cœlitùs immissam, & divinitùs impositam non refractarius excutias, sed hilaris excipias; & tantùm ambias crucem, quantùm tuam salutem. Propone hic tibi Christum, quanto & arserit semper Crucis suscipiendæ desiderio, & exultaverit cùm susciperet, gaudio. Cùm enim adhuc longè esset, vidit Crucem, & lætitiâ immensâ perfusus est, & accurrens cecidit super crucem. & osculatus est eam, & accepit eam in ulnas suas ex manibus Patris, quam Pater jam inde ab omni retrò æternitate, cùm genuisset eum, tamquã singulare donum obtulit: accepit veluti currum triumphalem, quo ipse post debellatas aërias potestates, in cœlestem Ierusalem ovans inveheretur: accepit tamquam prætorium vexillum, quo in monte erecto, ex quatuor terrarum regionibus infinita hominum agmina, ad sua castra convocaret, quibus totum orbem Patri subjugaret. Si petas, quis fuerit illius Crucis faber? Idem qui cœli, terræque fabricator, Deus. In hac cruce conficienda, tamquam in instrumento pleno arcanis Sacramentis, laboravit Dei potentia, ut crux esset veluti belliea machina, quâ arietaret contra vectes ferreos, & elevaret portas infernales, clausträque inferorum evelleret. In cruce conficienda fatigavit se, ut sic loquar, Dei Sapientia, quia illam excogitavit tamquam opportunissimum hominis redimendi præsidium: ut lignum, quod fuerat hominis perdendi instrumentum, esset ejusdem restaurandi remedium. In ea conficienda adhibuit manum Dei Misericordia,

1. Lib. Epist. 38.

Crucis faber est Deus.

ut esset veluti thronus, in quo sederet ille Advocatus apud Patrem, pro nobis interpellans, & postulans gemitibus inenarrabilibus. In Cruce conficienda impendit & suam industriam Iustitia, quam erexit tamquam aram, in qua ille *Pontifex sanctus, innocens, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus*, Patri se ipsum semel offerendo tamquam hostiam placabilem, Iustitiæ satisfaceret, usque ad novissimum quadrantem. In ea ergò comprehenditur *latitudo, longitudo, & sublimitas, & profundum*, latitudo Misericordiæ, longitudo Justitiæ, sublimitas Potentiæ, profundum Sapientiæ. Hinc crux Christo semper fuit, cùm remota esset, in desiderio, cùm propinquá, in gaudio. O Crux, quæ Christo fuisti in desiderio, quanto Christianis es fastidio! De cruce cogitare, est horror; videre, timor; audire, pavor; portare, labor. Omne nostrum studium est, vitare crucem. Pedes sunt veloces ad effugiendam crucem: manus laborant, ut destruant crucem: aures obturantur, ne audiant de cruce: oculi avertuntur, ne videant crucem. Crux illa, quæ tibi imponitur, in ipso SS. Trinitatis concilio ab æterno tibi fuit decreta, tanquam singulare præsidium salutis consequendæ, & tu illam vultu aversaris? manibus rejicis? animo abhorres? humeris excutis? O crux! tu mihi semper posthac eris in oculis, ut videam; in deliciis, ut possideam; quippe in cruce salus, quia in cruce Salvator.

*Hebr. 7. 26.*

*Ephes. 3. 18.*

*Crucem multi abhorrent.*

## §. IV.

### *Ascendit Christus in montem Calvariæ.*

DUcturus vos hodie ex humili in sublime, ex loco submisso ad excelsum, ex valle Ierosolymæ

lymæ ad montem Calvariæ, hoc est, ad montem Domini, ad locum sanctum; quia in Exodo scriptum lego: *Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Ideò ut securi sine periculo conscendamus cum Christo hunc montem, priùs consulemus cœleste oraculum: *Quis ascendet in montem Domini; aut quis stabit in loco sancto ejus?* Audite responsum; ne incurratis periculum: *Innocens manibus, & mundo corde.* Duabus ad hunc montem conscenditur virtutibus: innocentiâ & munditiâ. Sed nolite timere: Nullus ab hoc monte arcetur, nec impius quidem; quia est mons pietatis: nec immundus; hic est enim, in quo exundat fons, de quo Zacharias: *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Quare *venite, & ascendamus in montem Domini.*

Exod. 19. 12.

Psal. 23. 3.

Zach. 13. 1.

Isa. 2. 3.

*Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, qui est Calvariæ locus.*

Tandem aliquando post varia tum sacra, tum profana Iudicum, coram quibus & accusatus, & condemnatus est, tribunalia, post multas, quas lustravit domos, Annæ, Caiphæ, Pilati, Herodis; post toties repetitas eundo & redeundo Ierosolymæ plateas; post tot viarum molestos anfractus & circuitus; post tot indefessa vota, & diuturnum moriendi desiderium, Christus, qui ante XXXIII. annos propter nos homines, & propter nostram salutem descenderat de cœlo, ascendit jam montem, ut inde ascendat ad crucem, ex cruce redeat ad Patrem: ut quanta cum ignominia pependerat in ligno crucis, tanta cum gloria sedeat ad dexteram Patris; atque ita, qui fuit novissimus in terris, sit primus in cœlis.

Cùm jam staret in excelsissimo illo montis vertice: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*, & jam victrici manu teneret illud triumphale Crucis signum, sacræ vexillum militiæ, magnæ trophæum gloriæ, cruentæ pignus victoriæ; hoc signo totum tremefecit avernum, totum stupefecit olympum. Tunc visus est quasi tuba exaltare vocem, signum efferre, bellicum canere, & ex quatuor terrarum regionibus milites ad sua castra evocare, ad prælia Domini fortiter prælianda; erectoque gloriosæ Crucis labaro altissima voce exclamare, quæ olim dixerat: *Confidite; ego vici mundum.* Ne dubita: vicisti, vicisti Christe. Ubi tu in istud lignum fueris exaltatus, omnia ad te ipsum trahes. Venient confestim undique ex Oriente & Occidente, & Meridie, & Septentrione coronati Cæsares, paludati Reges, trabeati Principes, purpurati Proceres: advolabunt illicò densi bellatorum cunei, Virginum, velut Amazonum manipuli, Doctorum turmæ, Confessorum centuriæ, omnium gentium populi; facturi sub tuæ Crucis vexillo stipendium, quod Judæis est scandalum. Sed dum in hoc monte altiùs figo pedem, dum hunc locum acerrima mentis acie contemplor, videor audire vocem illam, quam olim perceperat Jacob: *Quàm terribilis est locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Est locus terribilis morti, quia illa quæ est terribilium omnium terribilissimum, illic devicta est: terribilis Principi tenebrarum, quia ibi ligatus: terribilis peccato, quia ibi remissum: terribilis mundo, quia ibi confusus: terribilis Judæis, quia densa tenebrarum caligine circumfusus est. De monte Sinaï dictum est: *Eratque mons omnis terribilis*; ideòque Deus minaba-

Ps. 23. 8.

Joan. 16. 33.

Gen. 28. 17.

Mons Calvariæ est mons terribilis,

Exod. 19. 18.

nabatur: *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* *Exod.19.*
At contrà Electis non terribilis, sed amabilis est 12.
locus iste: omnis qui tetigerit hunc montem, vita
vivet, & non morietur. Iam magnus ille ascen-
sor, qui *equum & ascensorem* olim *dejecit in mare,* *Exod.15.1*
montem ascenderat, & præ difficultate ardui in
montem ascensûs, perfusus undique sudore, ma-
didus lacrymis, cruentus sanguine, sexcentis cru-
ciatibus exhaustus. Sed hoc tibi sit, Christe, inter
tot pœnas pœnarum solatium; quia tristitia tua
brevi verteturin gaudium. Adhuc enim tres ho-
ræ, & Babylon illa magna subvertetur: adhuc
tres horæ, & limbus immenso gaudio exultabit,
dum inde victor captivam ducet captivitatem.
Adhuc tres horæ, & mortem nostram moriendo
destrues, & delebis, *quod adversum nos erat chiro-*
*graphum decreti*; vinces Principem hujus mundi,
*expoliabis Principatus & Potestates, palam triumphans* *Coloss. 2.*
*illos in temetipso.* Adhuc tres horæ, & absterget 14.
Pater tuus omnem lacrymam ab oculis tuis. &
mors ultrà non erit. Adhuc tres horæ, & *consum-*
*mabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de te.* *Luc.18.*
Denique adhuc tres horæ, & tandem, post trisți- 31
tiam usque ad mortem, post angustias usque ad
agoniam, post sudorem usque ad sanguinem,
post confusionem usque ad nuditatem, post injù-
rias usque ad alapas, post obedientiam usque ad
mortem, & mortem crucis, in cruce exultans di-
ces: *Consummatum est.* Et in manus Patris trades *Ioan. 19.*
spiritum tuum. Tunc convocabis *amicos tuos, &* 30.
*vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni* *Luc.15.6.*
*ovem meam, quæ perierat.* Tunc gaudente cœlo,
congratulantibus Angelis, applaudente Patre,
dices cum prodigi patre: *Manducemus & epulemur,*
*quia* hic frater meus, *homo mortuus erat, & revixit;*

*perierat, & inventus est.* Hæc omnia post tres horas consummabuntur in monte hoc. Sed quid ego Christum consolor? Non consolatoribus istis Christus eget. Unum est illi tormentum, debere tam citò mori, non posse graviora pati tormenta. Unum illi erit solatium, quod exoptat, maximum, si plures cum illo hunc montem conscendant. Cùm statuisset Deus Pentapolim sulphure & igne è cœlo fluente funditùs delere, jussit per Angelum indè discedere Loth, ut eum, aliis pereuntibus, incolumem servaret. Sed quid præcepit Angelus Loth, ut declinaret mortem, servaret vitam? *In monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.* In monte hoc salvum te fac, in quo Salvator operatus est salutem nostram. Si tumeas superbiâ, si lascivias luxuriâ, si torpeas acediâ, contabescas invidiâ, jaces in valle: ergò *in monte salvum te fac.* In monte Myrrhæ, in monte Calvariæ, qui Christi sanguine est imbutus, & morte ejus consecratus. In illo monte salvum te fac, in quo salus mundi mundum Patrî reconciliavit. *Hic habitabo, quoniam elegi eum.* Descendam ex montibus illis maledictis Gelboë, ex montibus superbiæ, gloriæ, honoris, super quos nec ros, nec pluvia divini Sanguinis cadit: ascendam crebris cogitationibus ad montem Domini, in quo expiravit gloriæ Dominus. Frustrà alibi curro ut salvum me faciam. Unde enim possum sperare aliquid boni nisi à te, cui pro bonis tot mala retribui? Honorem nullum possum sperare, nisi à te, quem despexi: veram lætitiam nullam sperare nisi à te, qui pro me tristis fuisti usque ad mortem: vitâ frui non possum, nisi per te, cui vitam eripui. Ad te ergò redeo pœnitendo, qui à te fugi peccando. In hoc monte salvabor, ubi salit fons, undè lavabor.

In monte Calvariæ salus. *Gen.* 19. 17.

*Ps.* 131. 4.

bor. Una salus nobis, per te sperare salutem. *Tu factus es mihi in salutem, qui dixisti: Salus tua ego sum.* Ps. 117. 28. Ps. 34. 3.

# CAPUT X.

## Christus in monte Calvariæ.

### §. I.

*Exuitur Vestibus.*

MAgnus ille Bellator, *qui docet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum*; pro summa rei decretoriam pugnam pugnaturus, prostraturus aërias potestates, triumphaturus Luciferum, debellaturus mundum, & ejecturus foras Principem mundi, voluit omnia exuere quæ erant mundi, dum placuit nudum mori: confundens hoc modo prudentiam mundi stultitiâ, infringens fortia imbecillitate, obscurans gloriam ignominia, infamans opes nuditate, resuscitans mortuos sua morte. Exuitur ergò suis vestimentis, ut nudus pugnet, sic pugnando vincat, vincendo triumphet, triumphando totam triumphantis Ecclesiæ regionem immenso gaudio perfundat. Mox ergò illi vestes detractæ, & una jam non cutis, quæ pridem flagellis cesserat, sed caro ipsa, quæ sanguinis concreti quasi glutino ad vestem adhærebat, evelli frustatim, & sanguinis rivuli manare cœperunt. Ita Christus toto corpore nudus expositus undique frigido aëri, perfusus stillante cruore, laceratus vulneribus, fatigatus laboribus, oppletus doloribus, circumseptus tortoribus, verè nunc non homo, sed Ps. 143. 1.

ver-

vermis, sanguinolentos oculos hinc atque inde circumfert, ut videat an sit qui consoletur eum, & non invenit. Videt à tergore Matrem, sed ipsam doloribus oppressam: discipulum, quem diligebat, Joannem, sed vix sui præ mœrore compotem: pias mulieres, sed amaritudine plenas. O Jesu, quàm carò tibi constiti! Juvat hic te alloqui verbis servi tui Augustini: *Quid commisisti dulcissime puer, ut sic judicareris? quid commisisti dulcissime juvenis, ut adeò dure tractareris, quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ occasio tuæ damnationis? Ego, ego sum tui causa doloris, tuæ culpa occisionis, ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. O miserabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterij dispositio! Peccat iniquus, & punitur justus, delinquit reus, & vapulat innocens. Quod meretur malus patitur bonus, quod perpetrat servus, exsolvit Dominus, quod committit homo, sustinet Deus.* Adhuc peccas, ô homo? Necdum amas tui amantem, ut credas præ amore penè amentem? O quale spectaculum, ad quod mirum est, totum universum non rediisse ad nihilum? Stare Filium Dei in loco totius mundi vilissimo, in cadaveroso, & olido veluti fimeto, furcis & crucibus infami, omni humana ope destitutum, nudum, lividum, lacerum, conspersum undique ludore, lachrymis, sanguine, inter sævientes ventorum turbines contremiscentem, expectare carnificum sævum imperium, ut se ad illorum arbitrium in crucem inclinet, manus, pedesque clavis configendos, ad eorum nutum extendat. O fides, quid nos doces! quid nos cogis credere, & si non credimus, æternitatem supplitiorum omnium minaris! Scio sæpè sub sordido palliolo latere sapientiam, sed sub tali corporis scemate, latere æternam sapientiam, Filium Dei, sub figura ma-

Med. c. 7.

magis laniatæ pecudis, quàm hominis, concludi illum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, quis nobis persuadeat, nisi tu, ô fides? Rectè voluisti claudi oculos corporis, abesse sensus, excludi rationem, non audiri Naturam. Aliàs Fides omnium laboraret in credendo illa posse fieri, quæ doces jam facta. Tantus nimirum est amor Jesu, ut plus possit ille in amatorum gratiam facere, quàm illi de amante, viribus Naturæ possint credere. Verè testimonia amoris tui credibilia sunt nimis: sed credibilia sola fide divina, incredibilia fide humana. Interim, qui sic nudus hic contemnebatur ab hominibus, in cœlis adorabatur ab Angelis, in orco timebatur à dæmonibus. O Ambitiose! vis coli ab hominibus, æstimari ab Angelis, timeri à dæmonibus? Ut in hoc mundo, Christo corpus, ita & nudus tibi sit animus. Imitare consilium D. Pauli. *Expoliate veterem hominem cum actibus suis.* Nudus omni affectu mundi, & eorum quæ sunt mundi, est major mundo: is poterit tamquam invictus Athleta hostes ultrò lacessere, quosvis ad certamen provocare. Nudum dæmones non tantùm non invadunt, sed fugiunt: non tantùm non oppugnant, sed formidant. Sic nudus, stabis velut Christus in monte, eminebis, extabis, omnibus excelsior factus, humanis altior. Piè ambitiosus, ut sic efferar, tuam, ô Christe, amplector nuditatem. Tu illa abjecta hominibus, sed gloriosa Angelis nuditas; quæ illæ, quas moriturus exuisti vestes, clamant cum tuo Apostolo: *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum.* Tu, cùm ne filum quidem volueris moriens reservare; cùm sic nudus volueris abire ex hoc mundo, toto corpore clamabas, quod paulò ante coram Pilato:

Nudus affectu mundi, est major mũdo. *Colos.* 3. 9

*Rom.* 13. 14.

Ioan. 18. 36. to: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Fateor, non possum regnare nunc in mundo, & posteà in cælo, hîc indui purpurâ & byssо, & posteà stolâ gloriæ : hîc implere ventrem, & posteà mentem. Nolo ergò regnum meum sit de hoc mũdo, quia nihil est in mundo, nisi malignitas, nihil in mundi felicitate, nisi infelicitas ; nihil in mundi opibus, nisi iniquitas; nihil in mundi voluptatibus, nisi acerbitas ; nihil in mundi prudentia, nisi stoliditas: nihil in toto mundi regno, nisi vanitas vanitatum, & omnia vanitas, posteà verò nihil, nisi malorum omnium æterna æternitas.

## §. II.

### *Potatur felle.*

NUllum erat in Christi corpore membrum, quod non perceperat suum tormentum. Afflictæ fuerant aures contumeliis, genæ alapis, facies sputis, oculi velo, nares fœtore, caput spinis, manus funibus, humeri pondere crucis, totum corpus flagellis. Unum adhuc supererat membrum à pœnis immune, lingua Hæc ergò ut pœ-

Matt. 27. 34. næ esset particeps, *dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Gustaverat Adam vetitum fructum, & erat dulcis gutturi ejus : sed cùm ad viscera descendit, *mordebat ut coluber, & sicut regulus, venena*

Prov. 23. 32. *diffudit.* Enim verò vix primariis labris gustaverat,

1. Reg. 14. 43. & ecce clamabat, quod posteà Jonathas: *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior.* Audiebat hæc magnus ille medicus, & reclamabat; *Quare moriemini?* Descendit ad ægrum, ascendit ad montem myrrhæ; sciebat contraria contrariis curanda: bibit vinum felle mixtum, & clamat medicus ad æ-

Ezech. 21. 31. grum : Gustans gustavi paululum fellis; & ecce *vitâ vives, & non morieris.* Quid hîc priùs admirer, me-

medici clementiam, an infirmi malitiam? Deus bonorum nostrorum non eget; & tamen ipse descendit ad nos: at nos illius nimis quàm indigemus subsidio, & tamen eum fugimus. Non erat nobis obstrictus, & tamen redemit nos: illi obstricti sumus, & offendimus illum. Debebat nobis ob scelera pœnam, largitus est gratiam; debemus illi ob beneficia obsequium, & rependimus injuriam. Poterat nos deserere, & quæsivit nos; oportet nos illum quærere, & fugimus ab illo. Poterat nos odisse, & dilexit; nos obligamur illum diligere, & odimus. Poterat nos relinquere in Ægypto, & introduxit in terram lacte & melle fluentem; & nos damus illi in escam fel. Ipsius clementia nostræ ignovit malitiæ, & nostra malitia cum ipsius certat clementia. Quæ magis digna admiratione, an ipsius bonitas, an nostra iniquitas? Altera me confundit pudore, altera me perfundit stupore. Hoc est fel illud amarum, fel draconum, quod tibi proponit homo post tot beneficia, tanta ingratitudo. Cùm tamẽ nihil sit homini pronius, nil facilius, quàm Christo gratũ esse pro beneficiis, cui sufficit meminisse beneficiorum. Hoc Christi fel, & absynthium in mel, & vinum convertit. Scio, hæc *eloquia*, quibus referuntur tua beneficia, *dulciora sunt super mel & favum*. Dabo ergo tibi non fel, sed vinum cum melle mixtum, canendo misericordias tuas, referendo miserias meas. *Venite ergo, audite & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ*. Jacebam in tenebris, & umbra mortis, vir mortis, & *filius iræ*: quia debebam plus quàm decem millia talenta; & cùm non haberem quod redderem, traditus sum tortoribus, quoadusque redderem universum debitum. Venit Deus dives in misericordia (com-

Ingratitudo hominis in Deum.

*Ps.* 18. 11. *Ps.* 65. 16

Beneficia Dei in homines. *Ephes.* 2. 3

(commota sunt enim viscera ejus super miseria
Ps. 17. 10. mea) *& inclinavit cœlos, & descendit.* Cur? Ut me liberaret. Undè? A carcere. Quibus pœnis? Æternis. Quo tempore? cùm essem inimicus ejus. quo pretio? Sanguine suo. Quibus mediis? Tormentis, ignominiâ, felle, spinis, cruce, morte. O portentum amoris! ô miraculum clementiæ! ô prodigium misericordiæ! Tantum diligere inimicũ, tantum laborare pro ingrato, tanta & facere, & pati pro perfido! Ut liberet servum, descendere Dominum! unde? è throno gloriæ. Quò? Ad fœnum, & præsepe. Laborare: à quo tempore? ab infantia. Quoadusque? usque ad mortem. Expendere, quid? Sanguinem. Quantum? usque ad novissimam guttam. Pati, quæ? Quidquid fingere potest ingeniosa in pœnas crudelitas. Quis est ille tam peregrinus in homines amor? Quis ille, & unde tantus favor? Hinc videre hominem reum, inde offensum Deum. Qui nihil debebat homini post tot scelera, nisi æterna supplicia: tamen stare in monte nudum, saturatum opprobriis, potatum felle Sed in vanum laborat humanum ingenium, si velit assequi hoc arcanũ amoris sacramentum. Debet coli, non potest capi. Plus potest tuus amor facere, quàm potest homo, qui amatur, concipere. Nec intelligam, nisi intravero sanctuarium tuum: ibi eructabis mysteria abscondita à seculo, dum potabis nos non felle, sed torrente voluptatis, dum inebriabimur ab ubertate domûs Dei.

## §. III.

### *Recusat Christus fel bibere.*

ARcanum est, & ideò solerter investigandum quod sequitur facinus. Admoverat Chri-

stus,

stus, ut fel gustaret, labia; *Et cùm gustasset, noluit bibere.* Matt. 27. 34.

Quid hoc mysterii est? Qui omne genus carnificinæ, & tormenti admisit, hoc unum cur omisit? *Noluit bibere.* Dederunt ei alapas; voluit excipere: conspuerunt faciem; voluit illam fœdari: falsò accusarunt; cum silentio voluit perferre: flagellarunt; voluit flagella admittere: spinis coronarunt; volait spinis pungi: crucem imposuerunt; voluit ferre. *Dant ei vinum felle mistum: noluit bibere.* Qui omnia admisit, cur unum excepit? qui in toto corpore, & quolibet corporis membro nullum non cruciatum expertus est, cur solam linguam vult esse à dolore exemptam? Hic mysterium latet. Quis hoc nobis enodabit Sacramentum? Profectò debuit fuisse oppidò amarũ illud fel: qui omnia pœnarum genera admittere voluit, hoc unum noluit. Aperiam quæ hic latent arcana. Est lingua, quæ, ut loquitur David, *est Dolosa*; ut Salomon, *Fallax*; ut Ecclesiasticus, *Coinquinata*; ut Michæas, *Fraudulenta, Sub cjus labiis est venenum aspidum*, ut canit David. Ex illa lingua fluit fel illud, quod Christus noluit bibere. De lingua enim exeunt detractio, contumeliæ, opprobria, maledicta, juramenta, mendacia, blasphemiæ: sed præ omnibus detractio, quæ illud homini detrahit, quo nihil habet pretiosius in vita, nomen, famam, æstimationem. Audite loquentem Davidem, vel potiùs Davidis ore, eum qui voluit vocari filius David, Jesum, *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu verò homo unanimis dux meus & notus meus.* Si malediceret, si detraheret, si traduceret alienam famam Ethnicus, si Turca, si Judæus, si Hæreticus; sustinenda esset injuria. Sed tu Catholice, qui solenni Sacramen-

Psal. 108. Prov. 26. Eccl. 51. 7 Mich. 6. Psal. 138. 4 Detractio quã gravis.

Psal. 54. 12.

to te mihi consecrasti: Tu Sacerdos, qui quotidie linguam tuam ex sacra ara refers sanguine meo cruentam; quod tu illud fel mihi propines; non possum illud bibere. Est fel aspidum, est venenum draconum. Hoc est vinum, felle mistum. Miscent cum illo cœlesti vino; cum Christi sanguine, quo toties potantur, fel illud amarulentæ linguæ, detractiones, contumelias, opprobria. Tametsi, ne qui læduntur gladio illo acuto, linguâ, inquam, & linguæ convitiis, animos abjiciant, sed erigant, & vilipendant has injurias: considerent illi quid sit quod dicatur? à quibus? quo animo? Quid sit: verum an falsum? Si verum: non est cur vero offendamur: si falsum, non est cur falsa æstimemus, quæ mox majori cum patientis honore detegentur. A quibus? Ab hostibus? Quid mirum? At nemo credit. Ab amicis? Quid novum? At nemo probabit. Ab inferioribus? Negligendum est. Ab æqualibus? ignoscendum. A superioribus, perferendum. Quo animo? Errore? Non igitur offendamur: nemo enim injuriam inferre dicitur, quam se inferre nescit. Consilio? Quod potest esse injuriæ inferendæ? Semper hic error est: condonemus errantibus: & nos sæpè erramus. Summa est, ut qui injuriam accepit, eo se sciat superiorem esse, qui illam infert. Hæc si ritè expenderis, fel illud amarulentæ linguæ gustabis quidem, uti Christus, sed tum non bibes: non penetrabit viscera, non insinuabit se in medullas, non pervadet animum, sed tantùm aures leviter perstringet. Gustabis, quia natura sentiet; non bibes, quia animus non succumbet. Sed quid ego tibi propinabo, fons vitæ, qui pro me potaris felle? Si loquar, cùm *ex abundantia cordis os loquitur*; cor meum est plenum amaritudine felis:

Patienter perferenda detractio.

*Matt.* 12. 34.

lis? non vis autem fel bibere. Scio autem sitire te, licèt inebrieris ab ubertate domûs Dei, & torrente voluptatis potêris. Si velim flendo offerre tibi lacrymas; vereor ne audiam quod mulieres illæ: *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Quomodo? Propter Lazarum mortuum lacrymatus est Jesus, & non licebit mihi lacrymari propter morituram pro me Jesum? Tu *eripuisti animam meam de morte, oculos meos à lacrymis*: & non licebit mihi propter te lacrymari? *Lacrymis meis stratum meum rigabo; & quia inveni gratiam in oculis tuis*, oculi mei deducent exitus aquarum. Hæ lacrymæ, scio, dulciores tibi sunt super mel & favum. Denique audebo hîc idem loqui, quod tuus Propheta: *Inebriabo te lacrymâ meâ*; donec abstergas omnem lacrymam ab oculis meis.

*Luc.* 23. 28.

*Ps.* 114. 8

*Ps.* 6. 7. *Esther.* 7. 3.

*Isa.* 19. 5.

## CAPUT XI.

## Christus in Cruce.

### §. I.

*Inclinat se Christus in Crucem.*

ADerat tandem tempus, quo Christus, qui à XXXIII. annis conceptus de Spiritu sancto, inclinaverat cœlos, & descenderat, postquàm ascenderat montem, inclinaret se in Crucem: ut qui Patri fuerat obediens ab utero Matris, sit eidem obediens usque ad mortem Crucis. Intuitus Crucem, instrumentum dicam crudelitatis humanæ, an pietatis divinæ? exultabat spiritus ejus, sciens quia post tres horas esset traditurus in ea spiritum in

manus Patris, ut nos eriperet è manu dæmonis. O felix lignum, per quod acquiritur regnum! Si *benedictum est lignum per quod fit justitia*; quantò magis hoc lignum, per quod fit misericordia? *Sap. 14.7*

De hoc ligno egregiè D. Leo: *De instrumento quod iniquitas Iudæorum paravit ad pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam.* Voluit sponsus noster, antequam cubaret in meridie amoris sui (eò enim jam sol justitiæ in suo curriculo pervenerat) totum corpus denudari, ut amoris ardorem intemperantiùs æstuantem afflantis aëris frigore temperaret. Quot hîc corporis hiabant vulnera, tot & amoris patebant ostia, per quæ columbæ seductæ, non habentes cor, poterant intrare in cavernam maceriæ, cor sponsi, cubile, inquam, misericordiæ. Tum desiderio desiderans extendi in cruce priùs toto corpore pronus inclinavit se, & osculatus est eam. O Crux digna mille honorari osculis, dignissima omnium constringi amplexibus! Ad te anhelare, est pietas; te ferre, est gloria; in te mori, est salus. Præclarè de Cruce D Hieronymus: *Solitudinem patitur & in urbe Gentilitas: Dij quondam nationum cum bubonibus & noctuis in solis culminibus remanserunt: vexilla militum insignia sunt; Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat.* Ita ipse. Jam totus mundus crucem honorat & adorat. Crucem milites gestant in armis, signiferi exprimunt in vexillis, victores appendunt in trophæis, Reges figunt in soliis, Cæsares gestant in coronis, Pontifices portant in tiaris. Crux fulget in pontibus, in compitis, in curribus, in portis urbium, in mœnibus arcium, in ostiis ædium, in turribus Principum, in pinnis templorum, in fastigiis pyramidum. Omnis pompa mundi submittit

*Serm. 4. de Pass.*

Crucis dignitas.

*2. l. ep. 15.*

mittit se humilitati hujus ligni. Sed quid crucem tantoperè extollis, quam tibi horror est tollere? Si tibi crux tantopere placet, libenter tolera quidquid tibi displicet, & cruce gaudes. Quidquid accidit contra votum, vel præter desiderium, crux est. Hoc ergò cogita in omni re adversa. Hic morbus, hæc pecuniæ vel famæ jactura: hoc damnum, hæc contumelia, hæc injuria, hæc afflictio in arcano SS. Trinitatis concilio, ab infinita Dei Sapientia fuit excogitata, à Potentia immissa, à Bonitate approbata: tanquam certissimum instrumentum, & præsidium salutis meæ. Quòd si consulas Dei Matrem, si Apostolos, si Ecclesiæ Doctores, si Martyres, si omnes novem Angelorum Choros, si Divos omnes in cœlis, una erit omnium vox: *Expedit tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm ut totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Expedit tibi ut pereat tua fama, valetudo, honor, pecunia, quàm anima. Clamat quidem caro infirma: hoc salutem meam impedit. Reclamat spiritus promptus: hoc ad salutem expedit. Hæc tua crux, hæc adversitas, est Deo ad gloriam, tibi ad salutem, Angelis ad gaudium, dæmoni ad ignominiam, hominibus ad exemplum. Hæc crux tibi aperiet cœlos, claudet inferos, liberabit à peccato, augebit merita, texet tibi coronam. Sed quis mihi hanc crucem, quâ tot bona consequar, fabricabitur, nisi tu Christe, fabri fili? *Tu fabricatus es auroram, & solem*, fabricare & mihi crucem: illam, inquam, crucem, cujus latitudo est charitas, cujus longitudo est æternitas, cujus sublimitas est omnipotentia, cujus profundum est inscrutabilis sapientia. Hac cruce perfectâ clamabo contra me quod Judæi contra te. Tolle, crucifige. *Crucifige carnem cum vitiis & con-*

Adversi ra est crux homini, ideò libenter perferenda.

*Matt. 5, 29.*

*Ps. 73. 16*

*Gal. 5. 24*

Col.3.9. *cupiscit adversus spiritum*, crucifige *veterem hominem cum actibus suis*; reus est mortis: hunc enim inveni *repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Crucifige me, quia homicida sum; odienim te fratrem meum. *Qui autem odit fratrem suum*
1.Ioan. 3. 15. *homicida est.* Et quod majus odium, quàm tursùm te crucifigere mihimetipsi? Sic denique me hominem, de terra terrenum, crucifige, ut tecum confixus cruci, tecum sim consors regni.

## §. II.

### *Infiguntur clavi.*

JEsu, fili David recordare quod Davidi dixeris, cùm ipse Psalmum 21. exararet; nimi-
Vers. 17. ùm: *Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea.* Ecce nunc tempus illud acceptabile quidem nobis, sed triste tibi advenit. Ecce clavi, ecce mallei, ecce carnifices. Sed priusquam inclines in crucem, leva in circuitu oculos tuos, & vide non procul diffitam parvulam Bethlehem. Recordare, quia illic nudus egressus es de utero Matris, & hinc nudus regredieris ad sinum Patris. Molliùs illic jacebas in fœno, quàm hic in ligno. Sed age, si Filius Dei es, non dicam, descende de Cruce, sed recumbe in Crucem, quia in Cruce tuâ est vita, salus, & resurrectio nostra. Eja Jesu, jace in lecto doloris, ut magnus ille, qui jacet in mundo paralyticus, surgat, & tollat grabatum suum, imò tollat & ju-
Ioan.11.1. gum tuum. *Iesus ergo sciens, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, humiliavit se in Crucem.* Vix se prostraverat in lignum is, qui *elevat*
Ps.144. *omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos*; cùm ecce ex-

extendit, & *aperit manum suam; qua implet omne animal benedictione.* Primùm extendit dexteram, ut errantes in viam arctam, quæ ducit ad vitam, manu ducat: deinde sinistram, ut servos peccati è domo servitutis, in libertatem filiorum Dei manumittat. Extentas manus carnifices trabalibus clavis profodiunt, fodientes foveam, in quam ipsi inciderunt, & inde thesaurum nobis effodientes non deficientem in cœlis. Desine tandem nunc peccator proferre excusationes in peccatis, & dicere cum villico iniquitatis *fodere non valeo.* Arguent te mendacii illa verba Veritatis: *Foderunt manus meas & pedes meos.* Ut porrò acerbior esset dolor, obtusis usi sunt carnifices clavis: sinistra verò manus, cùm ad foramen pertingere non posset, funibus sic extensa est, ut nervi omnes, ac venæ disrumperentur. Tam atrox porrò fuit hæc membrorum extensio, ac tam violenta, ut ossa singula suis sedibus dimota, atque divulsa, numerari potuerint. *Dinumeraverunt ossa mea.* Erigunt deindè nervosos lacertos immanes carnifices, & extendunt manum ut vasto malleo clavos infigant. Ubi es, ô Pater æterne? Cùm Abraham extenderet manum, & arriperet gladium, ut immolaret filium suum unigenitum, quem diligebat, Isaac; misisti Angelum de cœlo clamantem: *Non extendas manum tuam super puerum.* Et ecce plus quàm Isaac hic: est enim Filius tuus unigenitus, & dilectus, in quo tibi benè complacuisti. Jam carnifex extendit manum suam, & arripuit malleum ut percutiat, cur non mittis Angelum? Sed audio Christum tacitè respondentem: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergò implebuntur*

*Ps.* 144. 16.

*Eckius tract. de Pass. c. 5. Consid. 3.*

*Ps.* 21.

*Gen.* 22. 12.

*Matt.* 26. 53.

*Scriptura, quia sic oportet fieri* ? Si ergò sic oportet fieri, fiat, Jesu, voluntas tua. Interim sic prostrato in Crucem Filio Dei, totus mons Calvariæ perstrepit sonitu malleorum. Mediam horam circiter sævo huic impenderunt operi *operanij iniquitatis*. Tunc, credo, impletum est illud, quod in sua Apocalypsi posteà scripsit D. Joannes: *Factum est silentium in cœlo, quasi media hora*. Quia teste Ecclesiaste, *Vox mallei innovat aurem*. Hoc est, æterni Patris aurem, cui malleorum, & clavorum sonus novus accidit; quia tota æternitate nunquam anteà auditus est talis sonus. Ascendebat hic sonus ad Angelos, Archangelos, Virtutes, illi attoniti tam peregrino sonitu, silebant: Penetrabat ad alias Hierarchias, Thronos, Cherubinos, Seraphinos, & ipsi silent. Anteà in cœlo audiebatur vox, teste D. Joanne: *sicut Citharœdorum citharizantium in citharis suis*: sed ad sonitum malleorum *factum est silentium in cœlo*. Hic sonitus malleorum excedebat omne melos Angelorum. Hæc erat symphonia quæ oblectabat Patrem, placabat justitiam, provocabat misericordiam. Ad illum sonitum *commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt*. Tunc ululârunt dæmones, quia ad sonitum illum malleorum *confractus est* (ait Jeremias) *& contritus malleus universa terræ*. Hoc est: Lucifer jacet nunc velut exanimis ad pedem Crucis. Benè est: tandem Christus confixus est cruci. Sed ego inimicus Crucis Christi, totus paveo, horreo, contremisco. Si Christum *oportuit pati, & ita intrare in regnum suum*; quid mihi fiet, qui nec quidquam facio boni; nec quidquam patior mali? O quantum disconveniunt, Christus in duro ligno, Christianus in molli lecto! Christus inter spinas, Chri-

Luc. 14. 27.

Apoc. 8. 1.

Eccl. 3. 18.

Apoc. 14. 2.

Ps. 17. 8.

Ierem. 50

Luc. 24. 26.

stia-

stianus inter rosas : Christus dolet ad sonitum mallei, Christianus gaudet ad sonitum organi. O Christiane, hic non est spiritus Christi! Audi ergò Paulum, & contremisce ad ejus oraculum: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Non est habere spiritum Christi, vivere tam difformem vitæ Christi. Non est habere spiritum Christi, vivere secundùm carnem. *Et si secundùm carnem vixeritis, moriemini* Ne moriar vivendo secundùm carnem, cupio affigi in crucem. Illic spiritu facta carnis mortificabo : *Scio enim, si commortui sumus, & convivemus.*

*Rom.* 8. 9
*Rom.* 8. 13.
2. *Tim.* 2. 12.

## §. III.

### *Crux in altum elevatur.*

JAcet adhuc in humili solo auctor vitæ, triumphator mortis : & ne crucem suæ instrumentum victoriæ amittat, aut ne quis è manibus extorqueat, perfossis manibus voluit in ea configi. Sed undè tibi Christe tantus in hunc infamem truncum affectus ? Cur potiùs voluisti mori in brachiis Crucis, quàm in amplexibus Matris? Cur potiùs in trabe aspera, & indolata, quàm in molli strato, aut plumeo thoro ? Cur potiùs exspirare voluisti inter duos latrones, quàm duos Seraphinos ? Nimirùm exemplo suo hoc verissimum esse probat, quòd postea oraculo docuit Paulus: *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat Sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit, ut ea quæ sunt, destrueret.* Quid sapientius omnium Philosophorum scientiâ, Politicorum prudentiâ, Scribarum peritiâ, Pharisæorum astutiâ, Synago-

1. *Cor.* 1. 27.

Crucis triumphus.

nagogæ doctrinâ? Quid potentius summorum Principum opibus, militum robore, Judicum minis, Regum arrogantiâ, Tyrannorum sævitiâ, Cæsarum magnificentiâ? Quid contrà ignobilius, quid infirmius, quid contemptibilius, abjecto arboris trunco, nodoso stipite, carioſæ trabis fragmento; uno verbo, Cruce? In qua quisquis pendebat, habebatur maledictus. O *altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Quod erat in universo mundo maximè abjectum, humile, vile, contemptibile, ignobile, crucis lignum, elegit tanquam instrumentum, quo & Sophorum scientiam, & Judæorum sapientiam, & Gentilium prudentiam, & Regum potentiam, & mundi totius fastum, arrogantiam, pompam; quo dæmonum robur, tartarorum vires omnes, & quidquid denique vel in mundo magnum, vel in orco formidandum, vel usquam ultimum, confudit, delevit, evertit, confregit, debellavit. Sed dum ego Christi crucem effero laudibus, Christus crucifixus exaltatur à militibus. Tunc verè signum magnum apparuit, non in cœlo, sed in terra. Signum hoc, Crucis est lignum: signum fœderis inter Deum & homines; signum, cui contradicetur, & cui contradictum est. Nunc in alto illo triumphabat ligno, velut in laureata quadriga, magni illius operis sibi à Patre impositi consummator, cùm indè totius mundi spectator, simul & spectaculum factus, cœpit illius imperium oculis metiri, & animo inter suos partiri. Vultu conversus erat ad Occidentem Oriens exalto, videlicet ad sponsam suam Ecclesiam, quæ in Europa maximum erat obtenturа dominatum. Dorso ad Orientem, sive Asiam,

Rom. 11. 33.

in

in qua jam deficiebat Synagoga: occidebat scilicet Sol justitiæ supra injustitiam Jerosolymæ. Sinistrâ manu Meridiem, sive Africam; dexterâ Septentrionem, sive Armeniam & Persidem complectebatur. Nunc Cruce in altam scrobem demissâ, ac in altum erectâ, clamat ex alto æternus Pater, quod olim ad Moysem: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 25. 40. Non dicit tantùm, *aspice*, nimirum extimam duntaxat corporis formam; hîc enim nihil videbis nisi humanum: sed *inspice* intima penetralia animæ adyta; hîc nihil invenies nisi divinum. Aspice corpus, & videbis, quia *à planta pedis usque ad vertucem capitis non est in eo sanitas.* Inspice pectus, & invenies quia in toto corde non est nisi charitas. Aspice caput, & non invenies nisi aculeatas spinas, & immanes plagas, & dices: verè *Filius hominis non habuit ubi caput reclinet.* Inspice caput, & clamabis: *Caput ejus aurum optimum.* Aspice faciem, & videbis eam lividam, luridam, deformem, & dices: *Non est species ei, neque decor, & quasi absconditus vultus ejus.* Inspice faciem, & videbis quia ibi latet *Candor lucis æternæ, splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*, & dices quod Esther de Assuero: *Vidi te Domine, quasi Angelum Dei. Valdè mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Denique aspice Christum, & videbis eum *quasi leprosum, despectum, & novissimum virorum*; & dices: *Vermis est, & non homo.* Inspice, & clamabis cum Thoma: *Dominus meus, & Deus meus!* O Domine, sive te aspiciam, sive inspiciam, *omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* Quis similis tibi in dolore corporis, quis similis tibi in amore cordis? Domine, quis similis tibi in abjectione, quis similis in majestate? Quis similis in infirmitate,

Oportet Christum aspicere & inspicere.

Isa. 1. 6.

Matt. 8. 20.

Cant. 5. 1.

Isa. 53. 2. & 3.

Sap. 7. 26

Hebr. 1. 3.

Esth. 15. 16.

Isa. 5. 3.

Ps. 21. 7.

Ioan. 20. 28.

Ps. 34. 10.

quis

quis similis in infirmitate, quis similis in potestate? Quis similis in paupertate, quis similis in divitiis? Quis similis in ignominia, quis similis in gloria? *Vadam ergo ad montem myrrhæ, & videbo visionem hanc magnam.* Respiciam in faciem Christi mei, & inspiciam, & faciam secundùm exemplar, quod mihi in monte monstratum est, ut tecum patiens, & moriens in monte Calvariæ, tecum in monte Oliveti ascendam ad cœlos: ibi tandem te aspiciens & inspiciens, aspiciens humanitatem, inspiciens divinitatem, clamabit totâ æternitate anima mea, & omnia ossa mea dicent: *Domine, quis similis tibi,*

Cant. 4. 3
Exod. 3.

# CAPUT XII.

## Crucifixio.

### §. I.

*Pendet medius inter latrones.*

Filius Dei, qui medius est inter Patrem & Spiritum sanctum, operans salutem nostram in medio terræ, noluit mori nisi in medio duorum latronum. Hoc est quod asserit Evangelista:

*Ibi crucifixerunt eum & duos latrones: unum à dextris, & alterum à sinistris, medium autem Iesum.*

Luc. 23. 33.

Hîc verè in medio consistit virtus, dum pendet in medio latronum, mundi salus. Factum id sive Præsidis imperio, sive Judæorum consilio, ut Christi innocentia opprimeretur, nec spectatores dubitarent, eum esse reum criminis, atque adeò

Ioan. 21. 18.

adeò Christo cum latronibus commune esse flagitium, cui commune erat supplicium. Expende hìc quàm pulchrè respondeat Christi ingressus in mundum, & egressus è mundo ; ipsius ortus & occasus; vitæ ejus Alpha, & Omega: principium, & finis; nativitas & mors. Sunt planè parallela. In utroque nihil aliud apparet, nisi extrema humilitas & paupertas. Ingressus in mundum, nascitur in vilissimo stabulo, quod erat receptaculum jumentorum: egressurus è mundo moritur in abjectissimo monte, qui erat sepulchrum latronum. Cùm nascitur, vagit in fœno: cum moritur, gemit in ligno: nascens ponitur in præsepio, moriens sternitur in patibulo: nascens vinctus est pannis, moriens fixus est clavis : nascitur inter duo jumenta, moritur inter duos latrones. Verè Christus factus est usque ad mortem non tantùm obediens, sed humilis, eligens omnia quæ erant ad majorem cumulum & infamiæ, & ignominiæ. Quod pronum erit intelligere expendenti & locum ubi, & tempus quando, & modum quo pati voluit, ac mori. Pati voluit velut in celeberrimo mundi theatro. Id fuit Jerosolyma, urbs metropolitana, frequentissimo cive culta, totius Judææ umbilicus, universi orbis velut Orchestra : quam ideò elegit, ut scœna totius tragœdiæ fieret orbi conspectior, & latiùs mors ejus divulgaretur. Erat ea urbs per id tempus seminarium pietatis, sanctitatis gymnasium, & religionis veluti delubrum: quæ populos in se contineret legi Dei adstrictos, cultores sanctorum dogmatum, beneficiis copiosè in eos effusis Deo obligatos. Cui affinis & contiguus erat mons Calvariæ: locus infamis latronum, prædonum, ac sicariorum suppliciis, ac suppliciorum instrumen-

Initium & finis vitæ Christi sunt parallela.

Ignominiam sui Christus studiosè affectat.

mentis, furcis, rotis, ac crucibus. Si spectas tempus ; elegit illud, quod inter omnia totius anni tempora, religionis cultu, hominum frequentiâ, & cæremoniarum ritu est princeps: videlicet Pascha ; quo undæ hominum acervatim confluebant, ut videlicet non tantùm urbis illius incolæ, per vicos & compita ; sed aliorum locorum advenæ, per pagos & oppida famam tam probrosæ mortis ubique disseminarent. Fuit itaque crucifixus in publico illo ac decretorio Parasceves die, non sine sensu pudoris, ac dedecoris maximo: in illo loco, & temporis confinio, quo nullum ad exacerbationem supplicii, vel cumulum opprobrii potuit aliud ingeniosius deligi. Profectò vel nos Christiani decipimur, vel nos Christus decipit. Nos qui illa eligimus, quæ Christus rejecit: quæ illa rejicimus, quæ ipse elegit. Necesse est ergò nos errare, quia aliâ viâ incedit, qui est *Via*; alia docet, qui est *Veritas*; alio modo vixit, qui est *Vita*. Quàm studiosè Christus omnia quæ sunt ad augmentum gloriæ, celat; quæ ad ignominiæ, manifestat. In monte Thabor gloriæ suæ pompam ostentaturus, tres tantùm assumpsit discipulos, cœlestis illius spectaculi testes: in monte Calvariæ, ignominiæ suæ apparatum, coram refertissima hominum multitudine aperit. Illic stetit inter binos Prophetas Moysen, & Eliam; sed nullo propè spectante: hic pendet inter duos latrones, toto spectante mundo. Nos contrà, quidquid cedit ad ignominiam nostram, involvimus tenebris, tegimus parietibus, sepelimus oblivione, summâ curâ occulimus. Quidquid vergit ad gloriam, palàm, in luce, in sole, in conspectu omnium, in oculis totius mundi peragimus. Claritatem generis ostentamus ubique, affigen-

Gloriam suam omnes manifestant, ignominiâ celant.

figendo in atriis majorum fumolas imagines, & ceras,& gentilitia stemmata, & honorum insignia. Nemo verò, qui nobilis tantùm audit, prodit se natum à cerdonibus, bubulcis, porcariis, opilionibus. Scientiam non satìs est mente circumcripsisse; animo complecti; sed illius præbendum est specimen in luce Academicâ, in publicis gymnasiis, in consessu eruditissimorum hominum. Si quis in campo nobile aliquod edidit facinus, sexcenties in conviviis, in triviis, in conventiculis, plenis buccis, ut alter Thraso, decantabit: si quis ex pugna, relictâ turpiter parma, fugerit sibi soli id reservat: ne quidem sub rosa ulli hoc dicetur, nulla umquam illius fuit mentio, alta ejus erit oblivio. Sic quæ cedunt ad nostram gloriam magno celebramus præconio; quæ ad ignominiam, dissimulamus silentio. Non sic Rex gloriæ. Moritur summo cum dedecore in nobilissima totius orbis terrarum arce, die totius anni celeberrimo; in excelsissimo loco: in ipso meridie, coram refertissima hominum multitudine, in patibulo, duos inter latrones. Verè hic dicere potes, ó Jesu: *Humiliatus sum nimis.* Sed quia te, ô Jesu, humiliasti usque ad probrosum illud Crucis lignum: Deus exaltavit te super id omne, quod est magnum: Quia tanto cum probro pependisti medius inter cœlum, & terram, data est tibi omnis potestas in cœlo & in terra: Quia crucifixus es in medio latronum, dominaris in medio Angelorum: Quia tam injustè judicatus es, & condemnatus ab iniquo Judice ad mortem, constitutus es Judex vivorum, & mortuorum. Tu qui nunc mei causâ medius pendes inter latrones; dum Judex medius sedebis inter hœdos, & oves; *Inter oves locum prasta, & ab hœdis me sequestra.* Ps. 37. 8.

§. II.

## §. II.

### *Titulus Crucis.*

PRodiderat Pilatus Christi innocentiam aliquoties coram Judæis suo testimonio : sed multò maximè augustissimo illo , quo crucem honoravit,& crucifixum exaltavit,titulo.

*Scripsit autem titulum Pilatus , & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus,Rex Iudæorum.*

Ponderate hic arboris hujus tam inclyto titulo condecoratæ prodigia. Lubet hic quærere, quod olim Christus : *Cujus est imago hæc & superscriptio?* in titulo ? Imago est infirmi, titulus est medici;imago est mendici & pauperis,titulus est nobilis & divitis;imago est vilissimi servi,titulus est potentissimi Domini ; imago est Principis latronum,titulus est Regis Angelorum; imago est malefactoris,titulus est Salvatoris ; uno verbo, imago indicat esse hominem , titulus significat esse Deum. Hîc ergò gemina se prodit Christi natura : humana & mortalis in crucis patibulo, divina & immortalis in crucis titulo. Frendent interim & stridٍent dentibus Judæi , rumpuntur præ iracundia , quâ illos accendebat hujus tituli gloria ; instant opportunè, importunè apud Pilatum, ut vel deleat penitùs totum titulum , vel mutet tituli elogium. *Noli,* inquiunt, *scribere, Rex Iudæorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Perstat in suo Pilatus decreto. *Quod scripsi, scripsi.* Statutum est, Jota unum, vel unus apex non eradetur. Hoc titulo Pilatus & excusat Christi innocentiam, & accusat Judæorum malevolentiam.

Matt. 22. 20.

Titulus Crucis indicat Christi humanitatem & divinitatem.

Ioan. 19. 21.

Nam

Nam primum verbum, quod est IESUS, Salvatorem significat. Si ergò est Salvator, non erat crucifigendus. Secundum, *Nazarenus*, id est, *Floridus*. Flos autem, innocentiæ est symbolum: si ergò innocens, non erat morte mulctandus. Tertium, *Rex*. Si Rex, non erat infami afficiendus supplicio. Postremum, *Iudæorum*, id est, populi Deo chari & dilecti, & inter nationes pietate insignis; non ergò scelus hoc tam execrandum erat perpetrandum ab illo populo. Quot in hoc titulo sunt verba, totidem sunt ora, quæ Christi prædicant elogia, & Judæorum condemnant flagitia. Tu qui illo magnifico Christiani hominis gloriaris titulo, discute num Christi opera respondeant Christiani titulo. Christus IESUS, id est Salvator. Vide num Salvator sis animæ tuæ? Mentiris identidem: jam non salvator, sed interfector es animæ tuæ: *Os enim quod mentitur, occidit animam*. Occidere est perdere, non salvare. Vide an sis Nazarenus, id est, Floridus? Flores sunt in hortis, pratis, viridariis, locis amœnis; non in cubilibus, non in volutabro, non in sterquilinio inter siliquas porcorum. Qui in illis commoratur non est Nazarenus, sed scarabæus. Vide an Rex sis? Servire peccatis non est regere, sed subesse. Si placeat titulus Christiani, non displiceant opera Christi. O quàm discrepant sæpè Christianorum opera & nomina! Audiamus hac de re loquentem Salvianum: *Nos, qui nos Christianos esse dicimus, prodimus vim tanti nominis vitio pravitatis. Omninò enim nihil prodest nomen sanctum habere sine moribus: quia vita à professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem. Vide, cùm penè nullam Christianorum omnium partem, penè nullum Ecclesiarum omnium angulum, non plenum omni*

Nomen Christiani consonet cum operibus Christi. *Sap. 1. 11.*

*De Guber. 63.*

*offensione, & omni lethalium peccatorum labe videamus, quid est in quo nobis de Christiano nomine blandimur? Cùm utique hoc ipso magis per nomen sanctissimum rei sumus, qui à sancto nomine discrepamus. Nam & ideò plus sub religionis titulo Deum ludimus, quia positi in religione peccamus.* Hæc ipse. Immunis esse debet ab omni graviori contra Christi leges crimine, qui vult innocenter gloriari Christiani nomine. Sed converto me à Christianis ad Christum, & ad ejus glorioſum Crucifixi titulum. Primum quod oculis in hoc titulo occurrit, est nomen illius, qui omnibus in omni necessitate succurrit, Jesus. O Jetu! nomen suavissimum, quia pascis; nomen potentissimum, quia defendis; nomen splendidissimum, quia illuminas; nomen jucundissimum, quia delectat. O Jesu, verè Nazarene, flos pulcher colore, fragrans odore, dulcis sapore. O Jesu, Rex non jam Judæorum, quia non habent illi Regem, nisi Cæsarem, hoc est dæmonem; sed Rex Christianorum. Esto nobis stantibus manus, ne cadamus; jacentibus salus, & resurrectio, ne pereamus: esto ubique Jesus, id est Salvator, & salvi erimus.

## §. III.

### *Primum Verbum Christi in Cruce.*

CHristus, qui unus est magister omnium, vix ascenderat funestam Crucis cathedram, cùm illicò aperiens os suum, qui ex ore Altissimi prodierat, cœpit loqui, & loquendo docere mundum, ut dedoceret omnes ea quæ sunt mundi. Erigamus non tam aures, ut excipiamus, quàm mentes, ut altè nobis imprimamus verba æterni

 In-

Iesus *autem dicebat : Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Luc. 23. 34.

Hic demùm ostendit Filius Dei, se esse Patrem misericordiarum. Clamabat cœlum caligine obtenebratum, clamabat terra motibus tremefacta, clamabant Angeli vindictæ cupiditate accensi; clamabant dæmones hominis puniendi avidi, clamabat tota rerum natura, moriente auctore vitæ, cum illis in Apocalypsi: *Vsquequo Domine (sanctus, & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem* Filii tui *de iis qui habitant in terra?* Apoc. 6. 10. Pater è cœlo vindicaturus Filii sui innocentis sanguinem, descenderat, & è spisso ardentium nubium globo, fulminatrici linguâ intonabat Iustitia illa apud Ezechielem verba: *Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ. Venit tempus, prope est dies occisionis. Nunc finis super te; & immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominationes tuas. Afflictio una, afflictio ecce venit: finis venit.* Ezech. 7. 1. At Filius Dei interea in lecto doloris, cogitabat cogitationes pacis, non afflictionis. Ipse ergò sanguinolentos, & moribundos oculos ad Patrem suum, Judicem nostrum, convertens, primò, clamore valido cordis tacitè hæc ad Patrem: Pater, opus quod dedisti mihi ut facerem, ferè consummavi. Tua fuit voluntas ut è cœlo descenderem, factus homo, ut novem mensibus in utero Matris abditus latorem; nascerer in stabulo, jacerem in præsepio, fugerem in Ægyptum, subditus essem parentibus, Consummavi. Iussisti ut 33. annis hoc in mundo pro salute mundi laborarem, & in sudore vultûs mei quærerem ovem perditam, & in fame & siti, in frigore & nuditate, in paupertate, in humilitate consummavi. Calicem, quem dedisti mihi Pa-

ter, jam ferè exhausi: exiguum mihi adhuc superest tempus, quo vivam. Unum jam te rogo, ô Pater, per illum quem effudi sanguinem, per omnia, quæ audivi. opprobria, per tot, quas excepi, alapas, per flagella toti inflicta corpori, per spinas altè impressas capiti, per clavos manibus, & pedibus infixos, per hanc, in qua morior, crucem. Unum oro, ô Pater, & hoc sit quod oro, postremum. Non ut mihi dolores imminuas oro; auge potiùs: non ut Matrem consoleris, tametsi magna velut mare est contritio ejus, nec ut discipulum illum, quem diligo, in curam tuam suscipias. Sed ô Pater, si sim Filius tibi dilectus, si umquam tibi complacui, si velis, ut cognoscat mundus quia diligis Filium, nunc ostende, dum illum orantem exaudis. *Pater, dimitte illis.* Ne illos perire patiaris, pro quibus ego patior: medere illis, qui me vulnerant: vivant illi, pro quibus moriot ego Da Pater, illis veniam, à quibus Filius tuus accepit injuriam. Non attendas, quòd per illos moriar, sed quòd pro illis moriar. Et ne gratis putes me orare, accipe causam orandi: *Non enim sciunt quid faciunt.* Sciunt quòd crucifigant, nesciunt quem crucifigunt. Si illos accusat malitia, excusat ignorantia. Ideò ignosce illis, quia non agnoscor ab illis. Scio, clementissime Iesu, dimittis nobis debita nostra, ut & nos dimittamus debitoribus nostris. Hoc vivens jussisti præcepto, hoc moriens docuisti exemplo. Quid tu ô vir sanguinis, ages coram Iudice, qui inimicis & ignoscere præcepit, & ipse ignovit? *Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum,* nec Filius hominis super Filium Dei. Quid ergò hic dices? Hostis mihi læsit famam, sed non tulit vitam: offendit me verbis, non cecidit virgis: impetijt me dicterijs, sed non percussit alapis: mi-

Inimicis ignoscendũ. *Matt.* 10. 24.

natus eſt mihi manibus, ſed non ligavit funibus: Optavit mihi mortem, ſed non egit in crucem. Video vultum tuum; ſed nulla video ſputa: aſpicio corpus; ſed nullum invenio vulnus, caput eſt integrum: nullas invenio plagas in medio manuum tuarum; genæ non ſunt lividæ, non evulſi capilli; non cruenta frons. Et ut eſſes percuſſus, merebaris, quia peccator: Hic autem innocens eſt, quia Salvator. Ipſe qui eſt ſupremus Legislator, ut etiam percuſſus ignoſceres, Iuſſit; ſpreviſti præceptum: ipſe quod tibi præceperat, fert, contempſiſti exemplum. Sed Chriſti doctrina, ſcio quia tibi eſt ſtultitia; polles enim carnis ſolius prudentiâ. Sed audi Apoſtolum: *Prudentia carnis mors eſt.* Et iterum: *Sapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta.* Quare non benè conveniunt, nec in uno corde morantur Sapientia Patris, & ſapientia carnis: Doctrina Chriſti, & doctrina mundi. Illa dicit: *Benedicite perſequentibus vos*, Hæc: Maledicite. Illa jubet: *Diligite inimicos veſtros*, Hæc, *Odio habebis inimicum tuum.* Illa dicit: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Hæc, *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Hæc mundi ſapientia, ſtultitia eſt apud Deum. Alia tradit præcepta Magiſter veritatis è pulpito Crucis. Hæc nos auribus excipiemus, & operibus exprimemus, ut ſimus legum tuarum non tantùm auditores, ſed factores. Tua omnis actio noſtra erit inſtructio: Tua facta nobis ſunt documenta: dicta, oracula. Benè feciſti omnia: hoc eſt Bonitatis. Benè dixiſti omnia: hoc eſt Veritatis. Benè à te facta, tamquam optima ſequemur: Benè à te dicta, tamquam veriſſima credemus: ut à te, qui ut maledictus pendes in ligno, aliquando audiamus: *Venite benedicti.*

*Rom. 8. 6. 7.*

*Matt. 5. 34.*

*Matt. 25.*

# CAPUT XIII.

## De duobus Latronibus.

### §. I.

*Increpatur malus latro à bono.*

CUm jam medius inter cœlum & terram, ipse ille qui in principio creavit cœlum & terram, in ferali pegmate sublimis, in cruce esset suspensus, omnium animos suspensos detinebat maximâ maximarum rerum exspectatione. Nemo enim dubitabat, quin is, qui vitam tam admirandam duxerat, in vitæ actu ultimo, quis, qualisve foret, palam omnibus declararet. Profectò quis, qualis, quantusque is esset, toti mundo manifestè aperuit, dum incomprehensibilia sua judicia, & investigabiles vias circa duos latrones prodidit: unum assumendo, alterum relinquendo. In hac autem inscrutabilis judicij caligine, dabunt nobis lucem verba D. Lucæ:

Luc. 23. 39. *Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabant eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum & nos.*

O maledictum verbum maledicti oris, in opprobrium illius, qui est Verbum Patris? *Si tu es Christus?* Ergò an sit Christus, dubitas? Jam quòd sit Christus, denegas. Non te, ut illum Christum confitearis, movet ipsius singularis inter tot injurias modestia; inter tot contumelias, taciturnitas; tanta inter tantas pœnas patientia; testatissima ejus inter tot vanas criminationes innocen-

tia?

tia? Jam abnegâsti Christum, dum vel ambigis an sit Christus. Quid tu, ô latro, qui pendes à dextris Dei, ad hæc tam siniſtra ſocij tui verba? Hæc lentus audis, & ſiles? Si ſiles, profectò jam ſocio tuo conſentire cenſeberis. Cùm alter latro hæc tam inceſta intemperantis linguæ verba percepiſſet, totus piâ ardere in ſocium olim culpæ, nunc pœnæ, iracundiâ, & è ſua furca, velut è machina, in eum tonare, ac fulminare: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem juſtè: nam digna factis recipimus.* Quaſi diceret: Quid juſtius? Commiſimus ſæpè latrocinium, patimur ſuſpendium; abſtulimus alijs vitam, condemnamur ad mortem; poſt plurimas, quas egimus, prædas, ſuſtollimur in furcas. *Digna ergò factis recipimus,* O quàm pauci, poſt non pauca commiſſa crimina, ſe cum hoc latrone ut criminis reos accuſant: quàm multi, quàm multis ſe ut criminis puros excuſant! Cùm rogaretur Adam, cur Dei violâſſet præceptum, culpam rejecit in Evam: cùm quæreretur ab Eva, accuſavit ſerpentem. Sic à patre noſtro hauſimus peccatum, à matre excuſationem peccati: nec ſufficit eſſe malos; volumus etiam audire boni. Sic quiſque peccator à peccato ſe excuſat: quòd nimirum vel dæmon eum ſeduxerit, vel amicus exoraverit, vel caro pellexerit, vel infirmitas coëgerit; adeò ut quiſque ſit pejor propè excuſatione ſceleris, quàm commiſſo ſcelere. Egregiè ſic ſe excuſantes accuſat, imò condemnat D. Ambroſius exponens illa verba: *Cùmque ſe cognoviſſent nudos, conſuerunt folia ficûs. Iacit ſuper ſe folia, qui culpam velare deſiderans, aut diabolum delicti memorat auctorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam perſuaſorem prodit erroris: & de Scripturis divinis prodit exem-*

Excuſant plerique ſua ſcelera.

*Lib. 1. de Paradiſo, c. 13.*

pla, quibus justos in culpam perhibet incidisse, dicens: *si fortè in stupris fuerit deprehensus: Et Abraham cum ancilla concubuit: & David alienam adamavit, & sibi adscivit uxorem.* Non sic latro, qui cùm se accusaret de peccatis, dignissimus fuit, cui Christus peccata remitteret: sua enim peccata confessus est, non ut nos, privatim in templo, sed publicè in monte Calvariæ; non in sacro tribunali, sed in cruce; non clam, sed palam; non uni, sed pluribus; non modestè mussitando, sed altè clamando; & Christum agnovit Redemptorem, & se peccatorem. Ergonè Christe ad prædicandam tuam patientiam, ad extollendam misericordiam, ad laudandam bonitatem, ad tuendam innocentiam, non habes aptiorem oratorem quàm latronem? Rectè: cùm enim in mundum veneris propter peccatores, cum peccatoribus manducaveris, cum peccatoribus conversatus fueris, & cum peccatoribus, ac pro peccatoribus moriaris: quinam tuam possunt aptiùs efferre misericordiam, quam exhibes peccatoribus, quàm miseri peccatores? Me esse peccatorem, licèt ipse

Psal. 50. inficiarer, argueret me mater mea: *Quia in peccatis concepit me mater mea.* Nec sic tamen à te fugio, sed ad te vel ideò confidentiùs fugio, quia pec-

Luc. 15. 2. cator sum: tu enim es, de quo dictum est: *Hic peccatores recipit.* Recipe me hîc priùs in gratiam, dein in gloriam.

## §. II.

### *Testatur latro Christum innocentem.*

Mat. 24. 40. CHristi est effatum: *Duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur.* Hîc autem duo sunt in cruce, duo ejusdem criminis rei, duo ejusdem supplicij participes, duo Christo æquè vici-

vicini, duo ejusdem ut culpæ, sic pœnæ consortes: & ecce, unus assumitur, & unus relinquitur. Cur ita Christus fecerit, noluit Deus nos intelligere, & ideò nefas est nos hoc inquirere. Cùm ergò investigare non liceat, cur Deus sic fecerit, sufficit scire quòd fecerit. Sed audiamus priùs historiam, antequam miremur historiæ eventum. Vix se & socium accusaverat mali latro bonus, cùm eructavit cor ejus verbum bonum; cùm hæc diceret de eo; qui solus est bonus, *Hic verò nihil mali gessit.*

Quid audio? *Hic nihil mali gessit?* Ergóne injusta est Synagoga? Erravit Pilatus? Argues Annam & Caipham? Accusabis Scribas, Rabbinos, Pharisæos, magna illa Synagogæ oracula? tu condemnabis omnes Sacerdotes? Dices iniquum esse summum Pontificem? Tu totam criminis insimulabis Hierosolymam? Tu totus natus es in peccatis, & in peccatis morieris, & æquissimos mundi judices judicabis? *Hic nihil mali gessit.* Sile: blasphemas, dum hunc malefactorem excusas. Una est totius Synagogæ, imò Jerosolymæ vox: *Reus est mortis. Hic nihil mali gessit.* Audiat Oriens, audiat Occidens; audiat cœlum, audiat terra; audiant Judæi, audiant Gentiles; audiat tota rerum Universitas: *Hic nihil mali gessit.* Diceres hîc loqui non latronem è patibulo, sed Doctorem in pulpito. Ubi estis Scribæ, Principes Sacerdotum, Pontifices, qui totam ætatem teritis legendo Prophetas, & evolvendo Scripturas? Hic latro in vestra Synagoga nunquam fuit discipulus, & tamen tradit rectè judicandi disciplinam. Hic literas nunquam didicit, & tamen vos literatos ut Magister docet. Vos in Christum blasphematis, hic blasphemantes corripit; vos eum de varijs

criminibus accusatis, hic omni eum crimine absolvit, dicens: *Nihil mali gessit.* O virum dignum inter paucos eligi, qui Christum inter tam multos reprobos ausus est innocentem profiteri. Apostoli fugiunt, discipuli latent, omnes ejus amici tacent. Judæi illudunt, Romani crucifigunt: totus mundus eum condemnat; unus latro illum absolvit. Accusat omnium malitiam, dum unius excusat innocentiam. Quid potuisset plus dicere sedens ad dexteram virtutis Dei, quam jam pendens à dextera Filij Dei? Ubi es nunc Petre, & Jacobe? Vos illum vidistis in monte Thabor fulgentem gloriâ instar Solis, vestes ejus albas instar nivis, & tamen jam timidi latetis, infidi fugitis, & tantùm non fide excidistis. Hic autem non videt ejus gloriam, sed ignominiam; non fulgentem instar Solis, sed morientem instar abjectissimi vermis; videt eum non candidum instar nivis, sed rubicundum instar sanguinis; totum lacerum, cruentum, lividum, squallidum, tamen agnoscit eum summum Dominum, veneratur ut Regem, adorat ut Deum. Optimum Christi Confessorem, Martyrem, Apostolum! O Iesu, memineris hic Verborum tuorum; dixisti, & promisisti: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Matt. 10. 22. Confessus est hic latro coram hominibus blasphemantibus, conspuentibus, crucifigentibus: confessus est, & non negavit sicut Petrus: confessus est, & non prodidit sicut Iudas: confessus est, & non timuit sicut Discipuli confessus est, & non siluit sicut Ioannes: confessus est, & non blasphemavit sicut alter latro: confessus est audacter, intrepide, confidenter, te esse Dominum, & Regem, te nihil mali gessisse, Qui ergò con-

confessus est coram hominibus in mundo, te nihil egisse mali, quid non debet coram Angelis in Paradiso exspectare boni? Vere bonus es latro, furaris etiam dum moreris, prædas agis, dum animam agis, violentus rapis cœlum, actus in patibulum crucis. Nobilis profectò latro, qui post latrocinium invadit Paradisum. O me latronem, sed non bonum, quia dico multùm te egisse mali. Toties te profiteor gessisse aliquid mali, quoties ego sum malus, & offendo te, qui solus es bonus. Nihil tu gessisti mali: testimoniũ est latronis, & scio quia verum est testimonium ejus. Si possent testimonium de te perhibere muta & inanima, dicerent cum latrone: *Nihil mali gessit*; dicerent cum Judæis: *Bene omnia fecit*. Sol dum diurno, luna cum nocturno mundum illustrat jubare, stellæ, dum scintillant, ignis dum ardet, terra cùm stat, aqua dum fluit, arbores dum germinant, agri dum florent, pisces dum natant, aves dum volant, serpentes dum repunt, omnia hæc stentoreâ voce clamant: *Hic nihil mali gessit: Bene omnia fecit*. Hæc est vox totius universi, omni tubâ clarior. Vos Scribæ, & Pharisæi, qui toties scrutamini Scripturas, invenietis in ipsa prima pagina Scripturæ scriptum digito Dei: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Quis est ille Deus, nisi idem ille qui in Concilio vestro interrogatus: *Tu ergo Filius Dei es? Et respondit: Ego sum*. Hic est Deus, quem vos crucifixistis, & non est alius præter ipsum. Si ergò vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona; verus est sermo quem dixit latro; *Hic nihil mali gessit*. Tamen ubi omnia dicunt: *Bene omnia fecit*, solus dicit te aliquid gessisse mali, in quem omnia contulisti bona homo, pro quo tu factus es homo. Verùm tu, qui

Luc. 23. 41. Matt. 7. 37. Mat. 21. 41.

qui nihil mali gessisti, *malos male perdes.* Quare o-
Ioan. 18. 9. ro cum Ecclesia, ego indignus Ecclesiæ filius: *Recordare Iesu pie quod sim causa tuæ viæ, ne me perdas illa die;* ut possis dicere de hac turba quod olim de exiguo Apostolorum grege; *Non perdidi ex eis quemquam.*

## §. III.

### *Oratio boni latronis ad Christum.*

CEsset jam veritas oraculi tui, ô Moyses: *Ma-*
Deut. 21. 23. *ledictus omnis qui pendet in ligno* : quando qui malè vixerat, latro, benedictus est ab illo, qui *pro nobis factus est maledictum*, per illud in quo pependit lignum, obtinuit Regnum, numquam fortunatior, quàm in hoc suo infortunio: servatus est
Gal. 3. 13. pereundi occasione. Qui ubique fuerat vagus, ubi profugus; fixus fuit in cruce, ut inveniretur à Deo crucifixo. Dei absolutus est in foro, statim ac damnatus est in suo. Dicendo Christum nihil gessisse mali, jam desierat esse malus, supererat ut inciperet esse bonus. Hoc jam agit. Quare postquam increpuerat blasphemantem sociũ, Christum agnoscit suum Dominum, dicens: *Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum.*

Scio te Regem esse, tametsi non videam nisi spineum in vertice sertum pro corona, patibulum pro solio, sanguinem pro murice, clavos pro gemmis, pro palatinis, duos latrones: tamen Rex es tu. At Regnum tuum non est de hoc mũdo : sed *Regnum tuum*, est *Regnum omnium saculo-*
Ps. 144. 13. *rum*: est Regnum, cujus nullus est finis. Cùm veneris ad illud regnum, *memento mei.* Ah Domine,
Ps. 24. 16 *respice in me, & miserere, quia unicus, & pauper sum ego.*

ego. Ignosce Domine, quòd enim tuum implorem patrocinium, non est audacia, est fiducia. *Memento mei*, quia tu me creasti. *Memento mei*, quia me redemisti. *Memento mei*, quia me illuminasti, quia apud te pendeo, quia in te credo, quia in te confido, quia in neminem, nisi in te spero. O Auctor vitæ! vita mea! ô vita vitæ meæ! *Memento mei* tecum morientis. Plus apud te valeat sanguis ille tuus, quem hodie pro me effudisti, ut memineris, quàm scelera omnia mea, ut mei obliviscaris. Ambo ut fures condemnamur, ambo ut malefactores crucifigimur, ambo ut latrones morimur: quare Domine *Memento mei*, ut qui unà abimus è mundo, unà abeamus ad cœlum, ut qui sum socius pœnæ, sim & socius gloriæ, ut qui te agnovi Dominum in ligno, videam & Dominum in Regno. O Domine, exaudisti orantem Jonam in ventre ceti, Danielem in lacu Leonum, Josephum in Ægyptiatico carcere, Jeremiam in obscuro specu, & me juxta te, me confidentem in te, me in cruce tecum morientem non exaudies? Ecce jam oculi mihi franguntur, vultus pallet, sudor erumpit, cor palpitat, lingua silet, spiritus deficit, vires fatiscunt, mors imminet, anima egreditur, jam morior: ah! Domine, Deus totius consolationis, in tantis angustijs, in tam lubrica arena, in tam ancipiti tramite, in hoc extremo angore, hæc sint mea ad te extrema verba: *Domine memento mei*. Attende quis ea locutus est? Latro. Cui? Christo. Ubi? In Cruce. quando? Jam moriens. Prodeant omnes fures, & cum hoc fure conferantur, inveniemus hunc omnium furum fuisse principem. Enim verò dum alij furantur, vitam amittunt; hic verò furando vitam accipit. Discite hîc à latrone non latrocinium,

Oratio boni latronis ad Christum.

sed

sed rectè moriendi magisterium. Vis per compendium tendere ad cœlum? Confuge læpe ad Crucis lignum. Audi Chrysostomum; *Iste latro de ligno mercatur salutem, furatur cœleste imperium.* Rectè mercatur salutem. Quo pretio? Non prolixâ, ut Eremicolæ, inediâ: non ut Confessores, lacrymis, suspirijs, cilicijs: ut non Virgines, perpetuâ contra libidinem luctâ: non ut Religiosi, paupertate, castitate, obedientiâ: non ut Martyres, igne, rotis, equuleo, gladio. Quo ergò pretio? Paucis verbis. Dixit ultimo prope vitæ momento, semel memento, & ecce fruitur paradiso. Sed si vis Deum meminisse tui, tu quoque memineris meminisse Dei. Tu vis Deum meminisse tui in morte, & semper obliviscēris illius in vita. Dum jaces æger in lecto; dum venisti in altitudinem maris, & tempestas demersit te; dum angustiæ tibi sunt undique, clamas: *Domine memento mei.* Interim surgis mane, studes de die, comedis in meridie, cænas vesperi, quiescis in nocte, & nunquam memor es Dei. Nullum est momentum, quo tibi non invigilat Dei Providentia, quo non defendit Dei Potentia, quo non servat Dei misericordia, quo non amat te Dei bonitas, & tamen tot inter beneficia nunquam memor es Dei. Hoc est quod conqueritur Deus ore Jeremiæ: *Populus meus oblitus est meî diebus innumeris.* Ah Domine! non dicam cum latrone: *Memento meî*, ne fortè memineris iniquitatum mearum, & detesteris me. Ne memineris meî. *Quid enim est homo quòd memor es ejus?* Memento ergò non meî, sed tuî. Cùm oblitus fuero salutis meæ, memento amoris erga me tui; memento sanguinis tui pro me fusi; memento doloris tui, quem sustinuisti coronatus spinis; memento crucis tuæ, quam pro me

*Hom. de Cruce & latrone.*

Quanta sit Dei oblivio inter homines.

*Ier. 2. 32*

*Ps. 8. 5.*

me tulisti; memento mortis tuæ, quam pro me confixus clavis obivisti. Horum memento: nec enim potes meminisse tuî, & obliviſci meî, quia in manibus ſcripſiſti me, imò & in medio cordis tui. Non potes meminisse te esse mortuum, quin simul occurrat ille, pro quo mortuus es. Hoc ergò unum, nec pluribus opus est, à te peto vivens, & petam moriens, ut sim particeps regni tui: *Domine memento mei.*

## §. IV.

### *Christus latroni promittit paradisum.*

AUdivimus latronem, non jam latronem, sed cœli prædonem, Christi præconem, Crucifixi confessorem, è patibulo velut è pulpito; pro se paucis, sed nervosissimis verbis laconicè perorantem: inquiramus an etiam perotando exoraverit. Importuna quibusdam videri posset hæc latronis oratio, si spectas & illum qui petit, & tempus quo petit. Qui petit, est vir sanguinum, cui unum fuit per totam vitam negotium, exercere latrocinium: verè servus nequam, inveteratus dierum malorum. Is nullâ præmissâ vel antequam petat, præfatione; vel cur petat, excusatione; vel ut possit petere, obtestatione, audacter sine fronte, inverecundè sine reverentia dicit: *Memento meî.* Vix meminit sibi ad crucem adstantis Matris, & scilicet, meminerit latronis? Dixisset hic Christus non immeritò, quia merenti, illud Davidicum: *Viri sanguinum declinate à me.* Dicat Mater ejus; dicat discipulus, quem ille diligit; dicat Magdalena, quæ lacrymis lavit pedes ejus; dicat Petrus, qui ejus gratiâ reliquit omnia, & *Ps.* 138. 19.

secu-

secutus est eum: *Memento meî.* Sed tù latro? Deindè, omnia tempus habent: non tunc erat tempus petendi à Christo, cùm Christus extrema inter extremas angustias in corpore & in anima jam moriens patiebatur. Quæ est illa imprudentia, ne dicam impudentia? vides illum jam nunc mori, & cupis illum tibi loqui? Quid hîc dicam? Nescio quid hîc fiet. Quid facturus es, ô Christe? fassus est te nihil gessisse mali; si nihil gessisse boni. Quid hîc ages? sines illum perire? obstabit tua misericordia. Statim illum salvabis? opponet se tua justitia. Qui enim aliquid fecit boni, meritò expectat præmium: qui etiam multum fecit mali, non immeritò timet supplicium. Absolvere illum debes, quia ritè confessus est; & quidem tibi summo Pontifici. Christus ergò, cui sufficit verbum, dum quis moritur, vel unum, ut obliviscatur operum malorum, dum vixit, etiam omnium: illum sic confitentem ab omni vinculo excommunicationis, ab omni non tantùm culpa, sed pœna, impertiens illi plenariam indulgentiam, per modum Jubilæi, absolvit, dicens hæc optatissima verba, quæ ipsi erant quasi Pontificia Bulla: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Quia hodie vocem meam audivisti, nec obdurasti cor tuum; *hodie mecum eris in Paradiso;* qui debuisses hodie cum socio sepeliri in inferno. Adam propter lignum excidit è paradiso; tu de ligno admitteris in Paradisum. Antequam sol occidat in mundo, videbis me facie ad faciem in Paradiso. Hodie ergò ex hoc turbulento freto evades in portum: ex pugna perges ad triumphũ: ab atiditate, transibis ad fontes; à tenebris ad lucem, ab inopia ad copiam, à vanitate ad veritatem, à tempore ad felicem æternitatem. *Hodie*

*me-*

*mecum eris in Paradiso.* Ibi erit gaudium sine mœrore, sanitas sine dolore, lux sine tenebris, quies sine labore, honor sine ignominia, copia sine defectu, vita sine morte, gloria sine termino. O verè gratiam, quia gratis datam! Nondum Abraham fidelis, nondum Isaac obediens, nondum Jacob patiens, nondum Joseph castus, nondum Moyses mansuetus, nondum David pius ingreditur in Paradisum, & ecce latro mox admittitur. Quid hoc est Domine? Dum uni præstas gratiam, pluribus videberis facere injuriam. Nonne hic meritò murmurabunt adversùm te Patriarchæ & Prophetæ, & Reges, & Judices, dicentes: *Hic novissimus unâ hora fecit, & parem nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstus?* Non æquum est, ut sit paritas præmij, ubi tanta est impartitas meriti. Quid aliud promittes posteà Paulo dicenti: *Bonum certamen certavi; cursum consummavi*; quàm, *Hodie mecum eris in paradiso?* Tu Christe dixisti: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Hic non perseveravit usque in finem, sed inchoavit in fine benè vivere, cùm desinendum esset vivere. Sed quid dicam? erunt novissimi primi, & primi novissimi. Ille, qui dicit: *Ego sum α & ω, principium & finis*, elegit eum in fine, & quia benè finivit, obtinuit regnum, cujus non est finis. Verè hujus latronis patibulo, tanquam clarissimo trophæo meritò inscripseris ista magni Herois verba: *Veni, vidi, vici.* Venit ad patibulum, vidit Dominum, vicit diabolum. Docet hic latro novam Philosophiam, quomodo ex malo antecedenti possit inferri bonum consequens. Tota vita hujus latronis antecedens fuit pessima; consequens, id est mors, optima. Hic latro miro artificio mortis tormentum vertit in virtutis instrumentum. De

Mat. 20. 12.

2. Tim. 4. 7.

Mat. 10. 22.

cruce, de scelerum suorum supplicijs, fecit scalas virtutum, quibus in cœlum conscenderet. Hæc est altissima prudentia, mala culpæ & pœnæ vertere in facinora virtutum : in morbis exercere patientiam: in adversis concipere fiduciam: in rerum jactura fugere ad Dei Providentiam : post peccata agere pœnitentiam. Sic quidam ipsam ignominiam vertunt sibi in theatrum gloriæ, dum generosè sui contemptum contemnunt; ostenduntque suo exemplo non esse dedecoris vituperari, sed esse vituperabilem. Sed dum audio latroni promitti Paradisum, quid dicam miser filius Adæ, exul Paradisi? Nulla spes mihi est redeundi ad Paradisum, si spectem vitam meam, quia pessima; nulla spes, si intuear merita, quia exigua; nulla, si attendam quot me inde arceant scelera, quia plurima; nulla spes, si considerem quibus expositus sim, pericula, quia maxima. Sperare non libet, desperare non licet. Quid agam? unde spem concipiam? Dicam filius Ecclesiæ cum matre Ecclesia; *Qui latronem exaudisti, mihi quoque spem dedisti.*

## §. V.

### *Dolor B. Virginis Cruci adstantis.*

HActenus multis de Jesu, nunc paucis de Maria: hucusque aspeximus Filium, nunc oculos convertamus ad Matrem. De hac Matre Jesu ita scribit discipulus, quem diligebat Jesus:

Ioan. 19. 25. *Stabat autem juxta Crucem Iesu mater ejus.* Nimirum ubicumque Jesus, illic & Maria, ubi filius, sbi mater; fidelis filio suo usque ad mortem, mortem autem Crucis: ideò stabat juxta Crucem.

cem. Maria cum Jesu in Bethleem, Maria cum Jesu in Jerusalem, Maria cum Jesu juxta præsepe dum nascitur, Maria cum Jesu juxta crucem dum moritur. Non possunt ab invicem divelli societate, qui erga invicem conjunguntur charitate. *Stabat Mater*, pendebat Filius: illa juxta crucem, ille in cruce. *Stabat*, & quidem constanter perstabat, & sibi inter tot tristia constabat. *Stabat*, non avertens oculos, ne filij interitum videret, ut Agar; sed oculos per omnia ejus vulnera volutans. *Stabat*, non ut imbellis fœmina muliebriter ejulans, nedum animo deficiens; sed stabat integris sensibus, ut dolorem mœroremque totum tota hauriret. *Stabat*, non ad solatium Filij, cujus jam moribundi labijs nec frigidæ guttam in extrema, quâ ardebat, siti licuit admovere; sed ad majorem dolorum suorum ac Filii cumulum. Et cùm Christus pendens in cruce esset facie versùs Occidentem, Maria cum Joanne stabat versùs Orientem, irretortis oculis intuens faciem Filii sui. *Stabat* inter cœli caligantis spissas, & horrificas tenebras, & terræ trepidantis tumultus, & lapidum convulsiones, & naturæ quasi deficientis terribilia in cœlo terraque prodigia ac portenta. O quantum discrimen inter Bethleem & Jerusalem! Quantum differunt involvi nitidis pannis, & configi ferreis clavis! Jacere in fœno, & pendere in ligno! illic nasci, hîc mori! Quantum distant concentus Angelorum, & blasphemiæ Judæorum! Jam non resonat in auribus tuis illud cœleste carmen: *Gloria in excelsis Deo*; sed dira illa scommata: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Ubi nunc tres Reges, qui procidentes adorabant eum? Nunc hostes illudentes blasphemant eum. Tu hîc cum Maria

Maria juxta crucem.

*Luc. 2.*

*Matt. 27. 42.*

sta juxta crucem Jesu, & stando hæc pauca animo revolve. Nunquam fuerunt, nec unquam erunt duo majoris, si spectes amplitudinem; nec excellentioris, si spectes virtutes, dignitatis, quàm Jesus & Maria: nec ulli unquam magis ab æterno Patre dilecti. Prô! quales personæ Jesus & Maria! Ille Rex regum, & Dominus dominantium, hæc Regina Sanctorum omnium: ille Filius Dei, hæc mater Dei. Et tamen ille tantus, in Cruce; hæc tanta juxta Crucem: neuter sine cruce. Quid hoc est? Ergò nulla salus nisi per Crucem? Si *Christum oportuit pati, & ita intrare in regnum suum*: si Matrem Christi oportuit pati, & ita intrare in regnum Filii sui: si oportuerit tantum Regem, tantam Reginam pati, & sic pati, ubi tamen uterque est sine labe purus, sine noxa innocens, sine peccato sanctus: tu, quem in peccatis concepit mater tua, qui in peccatis totam trivisti ætatem; qui quotidiè, non tantùm ut justi septies de die cadunt; sed septuagies septies, tu sine cruce? tu? hæres gehennæ, servus peccati, hostis Christi, inimicus Crucis Christi, mancipium diaboli, opprobrium terræ, odium cœli, & omnium Cœlitum; tu sine cruce è terra adscendes ad cœlum, ubi qui creavit cœlum & terram, pendet è cruce, ubi Mater Dei, Regina cœli & terræ, stat juxta crucem? Audite appositè ad nostrum propositum loquentem Minucium Felicem: *Fortè nos decipit, quòd Deum nescientes divitijs affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri in hoc altius tolluntur, ut decidant altius. Hi enim ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostiæ ad pœnam coronantur.* Quisquis hîc expetis delitias, ac refugis cruces; quisquis hîc optas oblectamenta, & horres tormenta, audies brevi in loco tormentorum illud æter-

Adversitas necessaria ad salutem.

Luc. 24.

In Octav.

æterni Judicis sævum mandatum: *Quantum glorificavit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentorum & luctuum*: pro mensura delitiarum erit & mensura pœnarum. Itaque quidquid agas, quamcunque in partem te vertas, seriùs, ocyus luendum tibi est, hîc, vel illic; igne, aut aquâ; lacrymis, vel flammis. Tua est optio: elige, vel hîc cum Christo in cruce, vel posteà sine Christo in igne. Sta cum Maria juxta crucem, & sic cum Christo transibis ex hoc mundo ad Patrem. Potestne Jesus esse in cruce, Maria juxta crucem, nec Jesus, nec Maria usquam, vel unquam sine cruce? Si ita est, *absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Ibi erit mea spes mihi misero, ubi est Mater misericordiæ. Ibi erit totum meum solatium in omni desolatione, ubi est *Deus totius consolationis.* Mihi mundus erit crucifixus, & ego mundo, ut moriar mundo, & vivam Christo. Stabo, dum vivam juxta crucem cum Maria; perseverabo in cruce, dum moriar cum Jesu, ut per crucem post mortem, illuc perveniam, ubi regnabo cum Jesu & Maria. *Apoc. 18. 17.*

## §. VI.

### *Christus commendat Matrem Ioanni.*

Filius Dei jam proximus ut Matri, sic & morti: antequam commendavit spiritum suum in manus Patris, voluit dilectum suum discipulum commendare in manus Matris suæ, dicens: *Mulier ecce filius tuus.*

O tristis commutatio! Ergone Fili sic obliviscéris Matris tuæ? Non ergò amplius Maria erit Mater Jesu, nec Jesus Filius Mariæ? *Fili quid fecisti nobis* *Luc. 2.*

*nobis sic?* Quæ hæc est rerum conversio, tradere mihi Ioannem pro Iesu? servum pro Domino, discipulum pro Magistro, nepotem pro filio, hominem pro Deo, filium Zebedæi pro Filio Dei?

*Hebr. 4. 12.* Verè hic *Sermo Filij Dei erat penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs.* Hic erat gladius Simeonis, qui penetrabat animam Virginis. Dolor ejus quantus fuerit, facile erit ex ejus in Filium amore assequi. Deipara sola tanto Filium prosequebatur amore, ut illo simul junctos homines universos, Angelosque antecederet. Nunc autem pro mensura amoris est mensura doloris: quia, ut benè D. Augustinus, *tantum necesse est urat dolor, quantum hæserat amor.* Tam immensa igitur fuit afflictio Virginis ex illo amore dimanans, ut dixerit D. Anselmus: *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione tuæ passionis.* Plus asserit D. Bernardus: *Tantus fuit dolor Virginis, quòd si in omnes creaturas divideretur, omnes subitò interirent.* Nec mirum: quia utriusque, & Matris, & Filii, erat cor unum, & anima una.

Dolor Mariæ juxta mensuram amoris.

*Lib. 21. de civit. c. 26.*

*Lib. de Excell. Virg. c. 5.*

*T. 2. Ser. 61. art. 3. c. 2.*

Sed juvat hic audire D. Augustinum de hoc dolore differentem: *Cruciat te, Domine Iesu, crux tua, sed non minus Mater tua: cruciat te dolor tuus, sed non minus dolor ejus. Non est mirum si doles, & condoles: si pateris, & compateris, bone Fili, in desolatione Matris, in separatione Matris, in commendatione Matris. Nunquam enim te deseruit: non in infantia, non in pueritia, non in adolescentia, non in juventute, non in passione tua. Nunquam defuit tibi ejus solatium, sed nec obsequium. Lactat infantem, audit & sequitur prædicantem, videt & comitatur patientem; contemplatur opprobria, intuetur vulnera, audit tua verba. Tu verò, bone Iesu, quamquam esset dolor intolerabilis, plaga insanabi-*

nabi-

*nabilis, in agonia mortis, & ultimo spiritu constitutus non obliviscetis Matris tuæ : caput inclinas, & eam in Matrem Ioanni commendas : & eum sibi in filium adoptas.* Felix depositum, *singulare privilegium, insigne solatium! Vrgebat te siquidem Præceptum, Domine Iesu. Iussisti : Honora Patrem tuum, & Matrem tuam : servitium quod ipsa exhibuit tibi, exemplum posteris relinquendum. Considerare libet, bona Mater, & genitrix, & nutrix, & filia desolata, quis sit dolor tuus, quæ angustia tua. Vides crucifixum unigenitum tuum, mutas filium Magistrum in Discipulum, Regem in militem, Dominum in servum, omnipotentem in deficientem. Revera viscera tua penetrat gladius, configit animam tuam lancea, & clavus, laneat mentem tuam spinarum aculeus, lacerat cor tuum Filij tui amarus aspectus : deest fortitudo, marcescit pulchritudo. Vulnera Filij tui, sunt vulnera tua ; crux Filij tui, est crux tua; mors ejus, mors tua. Nutrix quomodo dimittis alumnum, mater filium, ancilla Dominum? unâ die orbaris Patre, & Filio.* Ex quibus omnibus illud possumus ratiocinando elicere ; Dolores, quos Cor Deiparæ innocentissimum vel uno die persensit, illis videlicet 24. horis, quas ultimas Christus nefandos inter cruciatus vixit, acerbiores fuisse, quàm quidquid Martyres omnes passi sunt, vel patienter à primo mundi ortu, usque ad interitum; ab Abele, usque ad postremum ab Antichristo interimendum. Sola ergò anima Mariæ supergressa est Martyrum cruciatus, & tormenta universa. Sed ecce, dum illa Regina Martyrum atrocissimum in monte Golgoteo, sine sanguine patitur martyrium: dum illa Consolatrix afflictorum, gravissimè affligitur, & decumano veluti fluctu obruitur tristitiæ, nobis

*Nieremb. de Amore B.V. c.15.*

bis omnibus fertilissima offertur seges lætitiæ. Nec enim soli Joanni, sed nobis singulis, adeoque universæ Ecclesiæ dictum est à moriente Christo: *Ecce Mater tua.* Quanta Christi in nos charitas, quanta & nostra per Matrem ejus felicitas! De Patris æterni charitate, & dilectione sic scribit D. Joannes: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Quid ni & nos dicamus: Sic Filius Dei dilexit mundum, ut Matrem suam unicam daret? Dedit, quando in uno Joanne omnibus dixit: *Ecce Mater tua.* Imò verò hic possem paucis immutatis usurpare verba D. Pauli: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ita dico: Si Deus (hoc est, Christus Filius Dei) pro nobis, quis contra nos? Qui etiam propriæ Matri non pepercit, (dum voluit illam pro nobis juxta Crucem sic affligi) sed nobis omnibus tradidit illam: dum illa verba protulit, *Ecce Mater tua.* Concludit Paulus, & ego cum Paulo: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit:* Quomodo non etiam cum illa Matre omnia nobis donavit? Dicat nunc igitur quilibet, traditâ sibi tali Matre, cum Salomone: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* O peccator! erigere nunc in spem, & confide: *Ecce Mater tua.* O verbum plenum immensæ lætitiæ! dum nobis assignatur Mater, quæ est plena gratiæ. Ipsa est Mater Dei, & hominis; Mater rei, & Judicis, Mater miserorum, & Mater misericordiarum. Si Maria est Mater tua, ergò & Jesus est frater tuus; & Pater ejus, pater tuus; ergò & regnum ejus, hæreditas tua. Nunc ergò illam dilige; est enim Mater pulchræ dilectionis. Si sis miser, spera in eam; est enim Mater misericor-

Maria omnibus in Matrem data.

*Joan.* 3. 16

*Rom.* 8. 31

*Sap.* 7. 11.

ricordiæ : si indiges gratiâ, invoca eam: est enim Mater gratiæ. Si crucem suspicias, dicitur tibi cum Pilato: *Ecce homo*: si Crucem despicias, *Ecce Mater*. In homine Deo, vides vulnera, in virgine Matre, vides ubera. In medio positus, quò me vertam, ad vulnera, an ad ubera? Ad Filium, qui pendet in Cruce; an ad Matrem, quæ stat juxta Crucem? Pascunt me vulnera, lactant me ubera: ex utrisque oritur mihi certa salutis fiducia. Non possum errare quocumque me vertam. Si ad te, ó Jesu confugiam, dicis mihi: *Salus tua ego sum*. Si ad te, ô Maria, confugiam, audio: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino*. Ubique promittitur salus: sed quia tu Salvator tuis verbis me legas ad Matrem dicendo: *Ecce Mater tua*; tuâ veniâ cum illa conferam, ut fructum referam. O Domina, imò quia sic placitum fuit ante Filium tuum, ô Mater, ecce Filius tuus, qui jam moritur pro me, me tanquam filium delegat ad te: audi Filium tuum loquentem, & exaudi pro reverentia ejus. Dicit ille tibi de me: *Ecce Filius tuus*. Potesne negare Filio, & tali Filio, & Filio, in quo tibi semper bene complacuisti, & Filio jam morienti? Vult Filius tuus ut me suscipias in Filium tuum: sunt ultima Filii tui, ad te, & pro me verba: ergò fiat mihi secundùm verbum ejus. Audiam ergò ex ore tuo verba illa, quæ Filius tuus à Patre, quem ab æterno Pater genuit: *Dominus dixit ad me*: (nimirùm Pater ad Filium:) *Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Ita Mater mea, dic & mihi stans juxta crucem: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Si filius tuus sum ego, jam Mater mea es tu. Hoc dicit mihi Filius tuus: *Ecce Mater tua*. Nunc ergò *petitionem unam parvulam ego deprecor à te, ne con-*

Ps. 34. 3.
Prov. 8. 35.
Psal. 2. 2.
3. Reg. 2. 20.

*fundas faciem meam.* Quandoquidem dicat mihi filius tuus, jam & frater meus, quia tu mater mea; *Ecce Mater tua*: hoc unum obsecro, & salvus fuero: *Monstra te esse Matrem.*

## §. VII.

### *Valedicit Filio Mater.*

PEtiisti ut mater Dei se monstraret erga te esse matrem: petit & illa vicissim à te: monstra te esse filium. Monstrabis, si exemplum dilecti Christo discipuli sequaris, qui de se ipso ita scribit: *Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.*

*Ex illa hora.* O felix hora, & ter felix hora, quâ accipitur Maria in Matrem. Venit hora, & jam est, quando Christus, quem hic agnoscis præsentem, & adoras, tibi dicit tacitè ex hac ara, quod altâ voce è Cruce dixit suo dilecto Discipulo: *Ecce Mater tua.* Hâc ipsâ horâ, quâ hæc verba pronuntio, hoc dicit: cur non hâc horâ accipis illam in tuam? In tuam Dominam, ut ei servias; in Patronam, ut ei confidas; in Advocatam, ut ab ea patrocinium expectes; in Reginam, ut ei obedias; in Matrem, ut eam diligas, & ab ea vicissim diligaris. Cur non ex hac hora totum te ei offers, tua illi obsequia consecras, tuam ei voluntatem resignas? Sed ecce, dum ego de Matre ago, Filius morti proximus dicit mœstum & simul extremum Matri vale. Sciens ergò Jesus quia venit hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, ultimò alloquitur Matrem:

trem: Vale ô Mater: ecce enim opus, quod dedit mihi Pater, ut facerem, jam consummatum est. *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Vale Mater: *Ecce venit hora, & jam venit,* ut redeam ad eum, qui misit me. Adest ille, ut accipiat in manus suas spiritum meum: Mater in manus tuas commendo corpus meum. Tu quæ, cùm essem infans in stabulo, reclinâsti corpus meum in præsepium, reclina illud mortuum in tumulum. Tu, quæ involvisti illud pannis, involve nunc syndone mundâ. Mundus jam gaudet, tu verò Mater mea contristaris: sed expecta modicum, & tristitia tua vertetur in gaudium, & gaudium tuum nemo tollet à te. Tunc abstergam omnem lacrymam ab oculis tuis, quam diligo ut pupillam oculi mei. Vale mater: amodò non audies me loquentem tibi, quia mors nunc imminet mihi. Aspice extremum, dum adhuc vivit, Filium. Ecce Filius tuus jam moritur, dum te alloquitur. Ecce paulatim claduntur oculi, pallescunt labia, contrahitur frons, rigent membra, stupent artus, frigent pedes, totum corpus gelido perfunditur sudore. Tempus est, ut Filio tuo mœstissimo, & tu Mater dicas extremum vale. Illa ergò elevans oculos suos, emittit mille ad illum, in quo solo respirabat, suspiria, dicens amaro corde: Vale Fili, vale lumen oculorum meorum: vale vita vitæ meæ, vale unicum solatium meum. Ita Fili, quia sic placitum fuit ante te: non mea, sed tua voluntas fiat. Vale extremum Fili, & memento Matris tuæ, cùm veneris in regnum Patris tui. O Mater, non jam Mater! Non est qui consoletur

Ioan. 16. 22.

Ioan. 16. 31.

te

te, non est usque ad unum ; quia qui unus est
Thren.2. solatium tuum, emittit spiritum suum. *Magna*
13. *est velut mare contritio tua : quis medebitur tibi?*
Tenebræ factæ sunt super universam terram:
terra tremit, elementa titubant, dissiliunt lapides, tota turbatur rerum natura ; in tanto
trepidantis, ac penè deficientis naturæ terrore,
*quis medebitur tibi?* Tota exultat Judæa, applaudit sibi Synagoga, congaudent Scribæ & Pharisæi, exultant hostes omnes Filii Dei, quia
moritur Filius tuus: *Quis medebitur tibi?* Petrus
præ timore latet, Joannes præ dolore tacet, Jacobus præ metu comparere non audet, alii
præ stupore rigent, omnes te afflictam, tibi
afflictissimæ relinquunt. *Quis medebitur tibi?*
Mater dolore attonita stupet : Filius plenus amaritudine silet : ingens inter utrumque est silentium oris, sed magnus clamor cordis. In
hoc tanto utriusque silentio, cui adhuc lubet
loqui ? Unum supereſt, ut silens doleam cum
silente & dolente, & usurpem flebilis Vatis verJer.9.1. ba : *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte* mœstissimam mœstissimi Filii Matrem? O Jesu! ô Maria! ô Fili! ó Mater! Jesus, quantus tuus erga me
amor! Maria, quantus tuus pro me dolor? Non
est dolor, sicut dolor tuus, ô Maria!
non est amor, sicut amor tuus,
ó Jesu!

§. VIII.

## §. VIII.

### *Tenebræ super universam terram.*

JAm Sol justitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, mundo occidebat: quod ut vidit alter ille sol, princeps siderum, seu ut testaretur suam tristitiam, seu ut detestaretur hominis nequitiam, clausit oculos, subtraxit radios, & suâ luce lucis osores privavit; quare: *à sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam, & obscuratus est sol.* Matt. 7. 43.

Fervebat & æstuabat in meridie amoris Sol justitiæ, & tamen refrigescebat adhuc charitas Synagogæ. Posita jam erat lux mundi super candelabrum crucis, ut luceret omnibus qui in mundo sunt: & tamen Judæi, quasi lux adhuc lateret sub modio, videntes non vident; excæcaverat enim eos malitia eorum. Quare ut cognoscerent tandem Deum clausisse super eos oculos suæ misericordiæ, dum occidebat super illos Sol justitiæ, conglobantur ex Oriente, & Occidente spissæ undique nubes, totus aër atro, & veluti lugubri amictu in funere sui Domini induitur. Extinguuntur omnia luminaria cœli, abduntur sidera, sol ipse exutus suo splendore, dum splendor Patris obscuratur, piceo caliginis globo involvitur, totum cœlum prodigiosâ nocte in pleno meridie obnubilatur: atque imprimis in montem Calvariæ incumbit tenebrosus turbo, quo & Jerusalem, & tota Judæa obnubitur; denique universus orbis terribili tenebrarum horrore circumfunditur. Nascitur Christus in media

nocte, illam illustrans; moritur in media die, illam obscurans. Nocte natus est Christus, & tamen *Claritas Dei circumfulsit* pastores; meridie passus est, & *tenebræ factæ sunt super universam terram.* Ita se res habet: dum Christus in corde alicujus nascitur, lux est; dum occidit nox est. Sic dum ille, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, occidit, dicit Evangelista: *Obscuratus est Sol.* O miseram hominis conditionem cui obscuratur sol ille, qui *fabricatus est auroram, & solem!* Cur Iudæi non credunt venisse Messiam, blasphemant Christum, quem nos adoramus ut Deum? Cur adhuc jacent in tenebris Synagogæ, in umbris Mosaicis? Quia illis *obscuratus est sol.* Cur impii ambulant in tenebris? cur non abjiciunt opera tenebrarum? Cur odetunt lucem? Quia illis *obscuratus est sol.* Ingreditur templum hæreticus, ingreditur Catholicus, utriusque oculis proponitur Deus, sed absconditus speciebus panis. Hæreticus videt, & ridet: Catholicus videt, & adorat; ille despicit, hic suspicit; ille exsibilat, supplicat hic, *quia illi obscuratus est sol.* Sed tu Catholice quid vides, quod non videt hæreticus? Video in illis accidentibus *figuram substantiæ* divinæ; video in illa alba nubecula panis splendorem Patris; video in illa contemptibili forma & specie panis, speciosum formâ præ filiis hominum; video in ista humilitate Majestatem, & adoro: Sapientiam, & admiror; Potentiam, & suspicor; Misericordiam, & confido; Iustitiam, & formido. Denique video in abscondito Deum absconditum, in quo abscondita sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Hæc vident oculi Catholici, à Deo illuminati splendore fidei. Clamat Sapiens obstupefactus incredibili, ac in-

Luc. 2. 9.

Ps. 13. 16.

Fides mirabilia revelat.

Heb. 11.

com-

comparabili pulchritudine Castitatis : *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate ! Immortalis est enim memoria illius ; quoniam apud Deum nota est & apud homines.* Sap.4,1. Cur tot Iuvenes, qui quæ pulchra sunt amant , illius pulchritudinem non vident,& illâ capiuntur? Quia illis *obscuratus est sol.* Ita superbi oderunt humilitatem , divites horrent paupertatem, molles timent vitæ austeritatem,ebrioſi aversantur temperantiam : denique impii detestantur virtutes, quibus nihil est utilius,honestius, jucundius : quia illis *obscuratus est sol.* Non ille sol,quem Deus fecit, ut *præesset diei:* Gen.1.16 Non ille sol,qui ad imperium Iosue,*stetit in medio cœli*; sed ille Sol,quem invocabat Zacharias,his verbis : *Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent.* Ille Sol,quem Simeon vocat *Lumen ad revelationem gentium.* Luc.1.72. Ille Sol, cujus *facies resplenduit sicut sol* : cujus *oculi lucidiores sunt super solem.* Luc.2.32. Hic sol obscuratus est illis : & si hic sol vita occidente , occidat super malitiam illorum, mittentur in tenebras exteriores. Tunc vadent, & non revertentur, ad *terram tenebrosam,& opertam mortis caligine : terram miseriæ,& tenebrarum: ubi umbra mortis, & nullus ordo.* Matt. 19. Eccl.23.2 Tunc aperient os suum,& maledicent diei suo,dicentes : *pereat dies , in qua natus sum. Dies ille vertatur in tenebras , & non illustretur lumine : obscurent eum tenebræ ; & umbra mortis.* Iob.10.21 Iob.3.1. Tunc dicent , quod stulti illi apud Sapientem : *Ergo erravimus à via Veritatis , & Iustitiæ lumen non luxit nobis , & sol intelligentiæ non est ortus nobis !* Sap.5.6. O Sol intelligentiæ , qui nos visitasti oriens ex alto , ecce tenebræ factæ sunt super universam terram nostram. Tenebræ super memoriam : non respicimus præterita scelera, ideò non plangimus : Tenebræ

bræ super intellectum, non circumspicimus præsentia pericula, ideò contemnimus: Tenebræ super voluntatem, non prospicimus futura supplicia, ideò non timemus: Tenebræ super oculos, linguam, aures, manus, pedes, hinc & prosequimur fugienda, & prensamus abjicienda, & loquimur tacenda. Tu, qui *fecisti solem in potestatem diei*, dum occidis in cruce, orere in nostra mente, donec gloria tua super nos oriatur: tunc dicetur nobis, quod electis: *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Non occidet ultra Sol tuus.*

Ps. 135. 8.

Is. 60. 19.

## §. IX.

### *Exclamat Christus circa horam nonam.*

SOl cœli metator, & temporum omnium dispensator, jam plus quàm quater millies irrequieto motu annuam cœli orbitam emensus, tandem multorum temporum vertigine, & complurium sæculorum pondere devolutus est ad diem salutis, ad diem boni nuntii, ad diem quam fecit Dominus, ad illius diei horam nonam, hoc est postremam, quâ desiit vivere Christus, & primam, quâ cœpit vivere Mundus. *Circa horam nonam clamavit Iesus voce magna.*

Matt. 27. 45.

Clamabat voce magnâ: id est, voce instar tubæ sonora, instar tugitus horrendâ, instar tonitru validâ: totâ ergo vocis, & laterum contentione exclamavit. Non leviter dixit, non modestè locutus est, sed *clamavit*; ut surdi audîrent, tremerêt impii, horre-

horrerent dæmones, attenderent Angeli, confiderent captivi, percellerentur Judæi. *Clamavit voce magnâ.* Hæc erat verè *vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Vox hæc erat non clamantis in deſerto, ſed expirantis in patibulo. Clamavit autem voce magnâ circà horam nonam. O horâ omni ex parte immenſum admiranda! Circà hanc horam, veluti cardinem, verſabantur omnes dies omnium annorum, luſtrorum, ætatum & qui eam præceſſerant, & qui deinceps ſecuti ſunt, & qui porrò orientur, & occident in omnes annos conſequentes. Vix creaverat DEUS cœlum & terram, & tota terra repleta ſpinis & tribulis clamabat ad ſuum, quem expectabat, venturum Meſſiam: *Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes!* Sed audiebat reſpondentem: *Nondum venit hora mea.* Reputat jam Divina Juſtitia omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractas cœli aperuerat, & pluerat ſuper terram 40. diebus, & 40. noctibus. Clamabant tunc omnes voce magnâ: *Domine ſalva nos, perimus.* Iterum audiebant: *Nondum venit hora mea.* Jam triginta effluxerant ab orbe condito ſæcula, & clamabant omnes Prophetæ, & captivi in carcere limbi: *Domine inclina cœlos tuos, & deſcende.* Iterum audiebant: *Nondum venit hora mea.* Tandem cum jam eſſet ſalutata à cœleſti Paranympho, novi ſponſi nova ſponſa, imò & Mater gratiâ plena, venerat jam plenitudo temporis, & cum plenitudine temporis venerat tempus miſerendi: ſed nondum venerat hora. Tandem, tandem *circa horam nonam*, quâ omnes novem Angelorum Chori advolaverant ad montem Calvariæ, ſpectatores futuri mirabilium, quæ Filius DEI eſſet illâ horâ operaturus in medio terræ, *circa horam nonam clamavit* IESVS *voce magnâ* ad Patriarchas, qui illum ſuis figu-

*Pſal.* 18. 4.

*Iſa.* 64. 1.

*Ioan.* 2. 4

*Matth.* 8. 25.

*Pſ.* 144. 5

ris expressierant; ad Prophetas, qui suis vaticinijs venturum prædixerant; ad Reges, qui eum tot annis expectaverant: ad captivos omnes, qui eum tot votis expetierant; ad mundum universum, qui eum tanto ambitu quæsiverat: *Venit hora, & nunc*
Ioan. 4. 23. *est* post 40. sæculorum curricula, post tot annorum chiliades, post tot dierum, & horarum myriades,
Luc. 21. 18. *venit hora, & nunc est. Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Venit hora, & nunc est,*
Cant. 2. 10. *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea,* Ecclesia; osculare me osculo oris tui: venit hora; est enim hora nona, quâ *sponsabo te mihi in sempi-*
Ose. 2. 19 *ternum: & sponsabo te mihi in Iustitia, & judicio in misericordia, & miserationibus. Venite ad me omnes, qui*
Matth. 11 *laboratis, & onerati estis.* Venit hora, quâ *reficiam vos.*
Ephes. 5. 14. *Surge* Adam *qui dormis, & exurge, & illuminabit te Christus:* est enim circa horam nonam. O quàm diuturna mora expectata est hæc hora! Ite Angeli Pacis, & per quatuor terrarum regiones inflate tubas, & resonantium lituorum clangore, exclamate circa horam nonam: *Hora est jam nos de somno*
Rom. 13. 11. *surgere.* Fuit aliquando triste illud tempus, quo mundus nonnisi obscuris umbris, & figuris venturi Messiæ se solabatur: sed nunc umbram fugat
Rom. 13. veritas, quia *nox præcessit, dies autem appropinquavit,* imò & hora salutis; est enim hora nona, hoc est ultima Salvatoris, prima salutis. O quàm multos reperire est, qui clamore magno, monente è cœlis DEO, minante è nubibus divina Justitia, invitante è Cruce misericordia, pulsante ad cor cœlesti sponso; *Surge qui dormis, hora est jam nos de somno*
Conversio non differenda. *surgere*; respondent; *Nondum venit hora mea.* Cadit repentè qui adstat lateri tuo socius, & subitò extinguitur, Mors illius quid aliud est, quàm vox clamantis, *Surge qui dormis?* Tu Juvenis cujus horolo-

rologium fors devolutum est ad horam nonam, hoc est vitæ postremam, cogitas; *Nondum venit hora mea.* Sto tantum in limine orientis vitæ, floret ætas, vigent sensus, salit per venas juvenilis sanguis, rubent genæ, fluctuat per niveam cervicem aurea cæsaries: *Nondum venit hora mea.* Interim dum coronas te rosis, dum tenes tympanum, & citharam, & ducis in bonis dies tuos, idem tibi contingit, quod in grandi illo convivio Balthasari Regi: in eâdem horâ apparet digitus, horologij index, qui designat horam nonam, tibi summam; & audis: *Novissima hora est.* Tunc ut Balthasari, facies tua commutatur, & cogitationes tuæ conturbant te, & compages renum tuorum solvuntur, & genua tua ad se invicem colliduntur. Tunc circa horam nonam clamas voce magnâ: Inducias usque manè, citò, citò, sacerdos, confessio. Frustrà, *Novissima hora est.* Necdum disposui domui meæ, non condidi testamentum, non expiavi conscientiam: perinde *Novissima hora est.* Saltem, *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequàm vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* Seriùs: *Novissima hora est.* Da saltem spatium, ut percutiam pectus meum, & dicam contrito corde: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Nec tantum licet: *Novissima hora est.* Itaque *adolescens tibi dico, surge:* hora est jam te de somno surgere; quia fors post horam, erit tibi noviſſima hora.

*Dan. 5. 6.*

*1. Ioan. 2. 18.*

*Iob. 10. 20.*

*Luc. 18. 13.*

## §. X.

### *Clamat se derelictum à Patre.*

HOc quod sequitur punctum primas obtinet inter omnia, quæ in Christi patientis tragœdiâ contigerunt admiranda. Est vox una, qualis ab hominum memoriâ non fuit audita, nec olim unquam audietur. Est vox plena sacrosancti cuiusdam horroris, miranda auditu, difficilis intellectu, terribilis relatu. Est vox prolata à verbo Patris, quæ stupore replevit cœlum & terram; homines, & Angelos; & inanima omnia attonuissent, si mente & ratione constitissent. Opus hic est omnibus tuis viribus, totoque robore, ô Fides, ut credamus fuisse factum, quod, non posse fieri iudicat ratio, dictat natura. Erigite aures, & percipietis verba; erigite mentes, & comprehenderis verborum mysteria Jam propè moriebatur immortalis in corpore mortali DEUS, in medio caliginosi aëris, & cæco incumbentium super universam terram tenebratum horrore, suspensus è ferali probosæ crucis pegmate, cùm ecce præ dolorum eum undique opprimentium magnitudine, ac multitudine propè ad nihilum redactus; magnum mundo aperturus Sacramentum: *Circa horam nonam exclamavit IESVS voce magnâ, dicens: Eli, Eli, Lamasabactani: hoc est, DEVS meus, DEVS meus, ut quid dereliquisti me?*

Mat. 27. 46.

Hominem conqueri de homine, vulgare est: aliquem conqueri de seipso, usitatum est: DEUM conqueri de DEO, Filium de Patre, & talem Filium de tali Patre: & tunc dum moritur, & sic moritur, factus Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Sacramentum est, quis explicabit? Mysterium est, quis capiet? Prodigium est, quis cre-

credat? Convertebat Christus undique, & undique moribundos oculos, ut videret si esset qui eum consolaretur. Vertit ad Matrem? tristis erat anima ejus usque ad mortem. Ad Apostolos? fugerunt. Ad Judæos? blasphemabant. Ad Sacerdotes? irridebant. Ad carnifices? pœnam augebant. Ad solem? obscuratus erat. Ad Angelos? amarè flebant. Nusquam solatium nec ab amicis, nec inimicis; nec ab hominibus, nec ab Angelis; nec à cœlo, nec à terrâ. Clausus undique aditus solatio. Quapropter destitutus jam omni humano solatio, cogitabat Filius Prodigus in amore, cum nullum hic sperandum sit solatium, *Surgam, & ibo ad Patrem:* ipse exaudiet me propter reverentiam; quia sum Filius ejus dilectus, in quo sibi semper bene complacuit. *DEVS meus, DEVS meus.* Videtur cœlum illi esse æneum, nullum percipit solatium *DEVS meus, DEVS meus.* Clamat, & non auditur: pulsat, & non aperitur; quærit, & non invenit. *DEVS meus, DEVS meus ut quid dereliquisti me?* Vox prope me defecit ad has voces. Non est hic homo justus, quia, teste Davide, *non vidi Iustum derelictum;* hic autem conqueritur se derelictum. Hic homo peccator est, quia à DEO non exauditur: *Scimus enim quia peccatores DEVS non exaudit.* Quid aliud clamare possit moriens fratricida Cain? Quid aliud blasphemus Sennacherib? Quid aliud impius Antiochus? Quid aliud sacrilegus Herodes. Denique quas alias voces edere posset quicunque homo perditissimus, flagitiosissimus, & juratissimus DEI inimicus, quàm illas Christi, *DEVS meus, DEVS meus ut quid dereliquisti me?* Vox hæc est vox Esau non Jacob: est vox morientis peccatoris, non redimentis peccatores. Nunquid vox hæc est Filij tui, ô Pater? nunquid hic est ille, qui dixit: *Meus cibus est, ut faciam*

*Luc.15.*

*Psal.56. 25.*

*Ioan.9. 31.*

Ioan 4. 34. voluntatem ejus, qui misit me? & iterum: Ego quæ placita sunt ei, facio semper? Nunquid hic est, qui dixit: Ioan. 8. 29. Ego clarificavi te super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem? Nonne ille est, de quo tu ipse Ioan. 17. 4. palam testatus es: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui? Et quomodo quem diligis, jam Matth. 3. 17. deseris? Hoc stratagema est Divini Amoris. Derelinqueris ô Christe, ne derelinquas, derelinqueris à Patre, ne derelinquas filios, electos tuos. Unde Psal. 36. post te à Patre derelictum, vox est verissima Davidis: *Non vidi justum derelictum.* Sed tu JESU quid causam quæris, cur te deserat Pater, dicens: *Ut quid dereliquisti me?* Scis illum conqueri de me ore Moysis: Deut. 32. 18. *DEVM qui te genuit, dereliquisti; & oblitus es Domini Creatoris tui.* Scis illum de omnibus conqueri Ier. 2, 29. ore Jeremiæ: *Omnes dereliquistis me.* Sic ingrati Christum derelinquimus omnes, postquàm Christus propter nos dereliquit omnia. Quid Christus propter nos homines non dereliquit? dereliquit cœlum, quia propter nos homines descendit de cœ- Ioan. 16. 28. lo. Dereliquit Patrem: *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Dereliquit Matrem, tradens eam Joanni, cum diceret: *Ecce Mater tua.* Dereliquit divitias suas, un- 2. Cor. 8. 9. de, *propter nos egenus factus est, cum esset dives.* Dereliquit suam pulchritudinem: *Non est ei species neque* Isa. 43. 2 *decor.* Dereliquit nobis corpus, sanguinem, vestes, animam, omnia; & post omnia propter nos derelicta, cogitur conqueri, *Omnes dereliquistis me.* Et tamen illa ipsa, quæ tanto sudore, tam impenso studio, tot laboribus, tantis periculis cum dispendio animæ tuæ consectaris, & propter quæ DEUM derelinquis, tandem, tandem cum deserendus est mundus, tanto te deserent luctu, & gemitu, quantò quæsita fuerant à te ambitu. Tunc derelinquent te divitiæ. *Relinquent alienis divitias suas.* Derelin-

Omnia moriente derelinquunt.

quet

quet te Gloria. *Quoniam cùm interierit homo, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus* Derelinquent te amici, noti, propinqui. Audi Job: *Noti mei quasi alieni recesserunt à me: dereliquerunt me propinqui mei; & qui me noverant, obliti sunt mei.* Derelinquent te parentes: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me.* Denique ô misera anima! in illa hora complebitur illud, quod DEUS prædixit animæ deserenti se, apud Ezechielem: *Denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui, & derelinquent te nudam, plenamque ignominiâ.* Tunc dicent Angeli Animæ ab omnibus derelictæ, quod Jeremias refert: *Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam.* Derelinquet te DEUS ipse, uti minatur ore Moysis. *Irascetur furor meus contra eum in die illa; & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo.* Quid inde sequitur? Vide nunc Iliadem malorum. *Erit in devorationem: invenient eum omnia mala, & afflictiones;* ita ut dicat in illa die: *Vere quia non est DEVS mecum, invenerunt me hæc mala.* Tunc accurrent undique inimici tui, & invadent, dicentes; *DEVS dereliquit eum; persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Tunc derelinquet te DEI Providentia, quia de nullâ re tibi amplius prospiciet: derelinquet te ejus Sapientia, quia nunquam mentem tuam illustrabit; Potentia, quia non defendet contra hostes; Bonitas, quia non amplius te amabit: Misericordia, quia in æternum tui non miserebitur: Sola te non derelinquet ejus Justitia. Tunc derelinquet te sol, quia nunquam tibi orietur; luna, & stellæ, quia non dabunt tibi lumen; aqua, quia nunquam linguam tuam refrigerabit; aer, ne respires; cœlum, ne ejus aspectu delecteris; derelinquent te aves cœli, pisces maris, bestiæ terræ, quia non amplius te pascent. Nullum unquam

*Eccl.* 48. 11. *Psal.* 48. 15. *Iob.* 19. 15. *Ps.* 26. 10 *Ezech.* 16. 39. *Ier.* 51. 9. *Deut.* 31. 17.

Damnati omni solatio & auxilio destituti.

*Ps.* 59. 11.

totâ æternitate sperandum minimum momento minimo solatium, nec à terrâ, nec à cœlo; nec ab Angelis, nec à dæmonibus; nec ab hominibus, nec à cœlitibus; nec à Deipara, nec à Christo, nec à DEO; nec à præteritis, nec à præsentibus; nec à futuris. Tunc totâ æternitate ab omnibus derelictus, incipiet conscientia tua te mordere, pungere, vellicare, infinities tibi repetens illa verba Jeremiæ, *Scito, & vide, quoniam malum, & amarum est, reliquisse te Dominum DEVM tuum.* Hæc omnia mala ne mihi contingant, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Quando ab omnibus derelictus tradam spiritum meum, recordare quia tibi derelictus est pauper; ne derelinquas me, ideò enim Pater tuus dereliquit te, ne tu, Frater meus, derelinquas me.

Ier. 2. 19.

Ps. 26. 9.

## §. XI.

### *Sitis Christi.*

Matt. 10. 22.

EST Christi oraculum: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Sicut ergo cuivis necessarium est perseverare in finem, ut sit salvus; sic & Christo, ut sit Salvator. Ut autem perseveraret usque in finem, debebat consummare omnia, quæ ad finem salutis nostræ de eo in Scriptura erant expressa. Cum ergo videret necdum impletam esse illam Scripturam Davidis, *Insiti mea potaverunt me aceto:* ne jota unum, vel apex præteriret de Scriptura, quem non impleret, *Sciens IESVS, quia omnia consummata sunt; ut consummaretur Scriptura dixit: Sitio. Vas ergo positum erat plenum aceto. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerant ori ejus.*

Psal. 11.

Hic iterum novum se offert mysterium. Jam mors propè erat in labijs Christi, mors in oculis, mors in corde, mors in toto corpore illius, qui est

vita

vita nostra. Jam propè cursum consummaverat, & ecce quasi cursum inchoaret; quasi staret adhuc in exordio magni illius operis quod propè perfecerat adhuc ardens plura pati, dixit: *Sitio.* Sciebat JESUS jam omnia prope esse consummata; enimverò dixerat, fecerat, pertulerat, quidquid dici, fieri, perferri pro salute hominis vel poterat, vel debebat, & tamen quasi nihil dixisset, nihil egisset, nihil pertulisset; plura pati exoptabat. Poterat hic Christus loqui ut Jonas projectus in mare: *Projecisti me in profundum, in corde maris: omnes gurgites tui, & fluctus super me transierunt, Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me pelagus operuit caput meum.* Jon. 2. Observata hic omnia congesta simul, quæ possent extinguere sitim; profundum mare, gurgites, fluctus, aquæ, abyssus, pelagus; & tamen inter tot aquarum cumulos, clamat: *Sitio.* Quid miramur illum sitire tam fessum ambulando, operando, confligendo; Sãson solus mille prostraverat Philistæos, *sitiensque valde* (ait Scriptura) *clamavit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam: en siti morior.* Jud. 15. 18. Magnus hic bellator Christus, contra quem non pugnaverat? Prodibant in campum eum pugnaturi Angeli, homines, dæmones. Ex hominibus Ethnici & Judæi, Reges & subditi, Romani ac barbari, milites & cives, Ecclesiastici & Laici, litterati & indocti, Magistratus & privati, noti & ignoti, amici & adversarij, & ipsa denique DEI Justitia; ita ut de Christo meritò dici posset, quod de Saule præliante, *Totum pondus belli versum est in Saul;* 1. Reg. 1 Ita totum pondus prælii, quod contra illum inibat Divina Justitia, versum est in Christum. In illum Justitia confregit sagittas, arcum, gladium, & hastam. Numquid ergo dum

tam

tam ardua prælia præliatur JESUS, meritò ut Samson exclamat: *En siti morior.* Sed quid hoc est, Domine? Ergone fons ipse sitit? tu alios sitientes, ut ad te veniant, invitas, dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Et, *Si quis sitiat, veniat ad me, & bibat.* Tu fons es Sapientiæ, torrens voluptatis, abyssus dulcedinis, puteus aquarum viventium: potestne deesse in puteo, abysso, fonte, torrente aqua? Ad te ipsum ergo recurre, ut sitim extinguas. Vel certè illud, quod tibi Judæi offerunt, acetum, verte in vinum; qui olim in nuptijs aquam vertisti in vinum. Sed profectò sicut Pater eum dereliquerat, sic ipse se dereliquit: nec tantillo solatio frui volebat. O Virgo, quæ hic cruci adstas, & audis clamantem Filium: *Sitio*, ubi nunc *ubera tua, quæ meliora sunt vino?* ubera illa, quibus Filium infantem toties lactâsti sitientem? Tu in nuptijs Cana Galilææ, ubi tamen non deerat quod biberent convivæ; ubi nemo clamabat: Sitio: misericordiâ mota super discumbentes, dixisti Filio: *Vinum non habent;* Jam ipse Filius tuus, qui aquam mutavit in vinum, siti in cruce perit, & te audiente clamat: *Sitio*: cur non in genua procumbis, & clamas ad Patrem ejus: *Vinum non habet?* Filius tuus dixit de se ipso: *Ego sum vitis.* In vite sunt palmites, in palmitibus uvæ, ex uvis exprimitur vinum: cur illi non dicis; Vinum non habes? Quid mirum, si vinum non habeat? Illi enim temulenti, & bibaciſſimi potatores vini, *qui comorantur in vino, & student calicibus epotandis*; ut loquitur Salomon: *bibentes vinum in phialis*, ut dicit Amos. Illi de quibus Isaias: *Qui consurgunt manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuent: potentes ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*; omne vinum exhauserunt. Hinc Filius DEI

sa. 55.
oan. 7.
int. 1. 1.
an. 2.
an. 15. 1
brioſi
gunt
hri-
um ſi-
re.
ov. 13.
o.
nos. 6.
a. 5. 11.
14.

vi-

vinum non habet. Illi ebriosi, quos Vas electionis vocat *vasa iræ, apta in interitum, & vasa in contumeliam*, evacuarunt omnia vasa vini. Hinc ante Filium DEI, ponitur vas aceto plenum: quare vinum non habet. O si in convivijs illis, de quibus Isaias differit: *Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris*; si in illis epulis, dum pergræcantur helluones illi temulenti, vino madidi, vox illa Christi lamentabilis personaret: *Sitio*: quis non offerret ei calicem, saltem aquæ frigidæ? Quomodo jam refrixit omnium charitas? Etiam hunc ei negant ebriosi. O Maria! jam potes dicere de Filio tuo, non illud; Vinum non habet: sed aquam non habet: quia non habet nisi acetum. Illi potatores vini audient aliquando in celebri illo theatro coram Angelis, & hominibus, ex ore illius qui jam moritur siti: *Sitivi, & non dedisti mihi potum*. Illi sunt qui cum Evangelico illo epulone, ad æternam sitim damnati clamabunt: *Pater, mitte* IESVM, *ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Quàm calamitatem ut avertat à nobis Deus, refrigerate nunc linguam Christi sitientis. Sitit ipse nostras lachrymas. Clamet ergo quilibet cum Jeremia: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum*, ut refrigerem linguam Salvatoris mei! Non habeo, ô fons aquæ vivæ! nisi geminos hos oculorum fontes, ex quibus stillant falsæ lachrymæ: *habito* enim *in terra salsuginis*: has tibi offero pro potu. Fluent ex oculo dextero lachrymæ Amoris ob beneficia tua; ex sinistro, doloris ob scelera mea. His extinguam sitim tuam, ut in novissimo die aliquando audiam ex ore tuo illa expectatissima verba, *Sitivi & dedisti mihi bibere*.

Rom. 9. 21

Isa. 5. 12

Mat. 15. 42.

Luc. 16. 24.

Ier. 9.

Ier. 17.

§. XVII.

## §. XVII.

### Penultima Christi verba.

SUperest in ultima Christi hora penultimum ejus verbum: qui jam instar clamosissimi præconis, è sublimi crucis suggestu, altissimè, ut à totâ rerum universitate audiri possit, exclamavit;
an. 19. *Consummatum est.*

O verbum compendiosissimum simul & plenissimum! Nunquam ex quo cœpit loqui Verbum Patris, protulit verbum vel optabilius nobis, vel jucundius Angelis, vel horribilius dæmonibus, vel optabilius sibi, vel acceptius Patri, quàm hoc verbum, *Consummatum est*. O verbum lætitiæ! verbum gloriæ! verbum victoriæ! verbum triumphi, *Consummatum est*. Horrent dæmones, dum hoc audiunt, & contremiscunt; Sperabant enim, cùm viderent Christum, tam alta jacere novi ædificij fundamenta, aliquando cum sibilo, & scommate il-
Luc. 14 8 ludentes, dicturos: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare*; sed nunc *consummatum est*. *Consummatum est* Horrete inferi, pavete dæmones, magnum illud prælium inter vos & Christum *consummatum est*: brevi aderit magnus ille Dominus exercituum ante claustra vestra, perfringet vectes ferreos, elevabit portas æternales, eripiet spolia vestra, captivam ducens captivitatem. *Consummatum est*. Gaudete ô captivi, nunc tandem veniet Dominus, & non tardabit: jam enim magnum illud opus Redemptionis vestræ *consummatum est*. Exulta, & tu Ecclesia, nova novi sponsi sponsa: jam clauditur Synagoga, jam reprobatis Judæis, veniet desideratus omnibus gentibus, jam deosculà-

culabitur osculo oris sui, dilectus tuus : *jam hyems* Cant. 2. 1
*transijt: imber abijt: vox turturis audita est in terra tua.*
Desinite ô Angeli pacis! amarè flere, sed ite, & per quatuor mundi plagas nuntiate ( hæc est enim Dies boni nuntij: ) *Ecce evangelizo vobis gaudium* Luc. 2.
*magnum, quod erit omni populo*, quia hodie non nascitur, sed moritur Salvator, *Consummatum est*. Sed tibi Consummatori omnium gratulandum est maximè, per cujus merita nos consummati in brevi explemus tempora multa. O quot Sacramenta complectitur hæc vox *Consummatum est* ! Antequam auctor vitæ oppeteret mortem, antequàm Salvator mundi exiret è mundo ut rediret ad Patrem, animo relegit universam à primò capite Geneseos, usque ad ultimum Machabæorum, Scripturam, & accuratè discutiebat singula, & invenit quidquid in toto veteri lege de se vel à Patriarchis præfiguratum, vel à Prophetis prædictum, vel à Patre præscriptum, vel à Spiritu sancto expressum fuerat, à se, ad jota usque esse observatum. Quapropter exultans spiritu, ad Patrem conversus dixit: *Consummatum est*. Tandem, tandem omnia ab utero Matris, usque ad mortem crucis, consummata sunt. Nulli rei peperci, non commodis, non honori, non sanguini, non corpori, non vitæ : nullus reliquus est in venis cruor, nullum in ossibus robur, nulla in arteriis motio, nullus in pulmone spiritus, nulla in corde supereſt vita. *Consummatum est* id omne, quod erat Christus. Verè jam consummata est ex una parte, hominis iniquitas, & ex altera DEI charitas. Utraque jam pervenit ad summum, nec potest esse major. Quæ enim potest esse major iniquitas quam hominem, DEUM occidere? Quæ major Charitas, quàm DEUM pro homine mori? Sed quia jam ille, per quem vivimus

mus expectat mortem, à JESU moriente ad vos moriturus, à magno illo consummatore ad vos consummandos in brevi, sermonem converto. O homo quisquis hæc audis, attende & vide, quomodo, cur, cui vivas. Si hoc perexiguo, tibi à DEO indulto, ad vivendum tempore, vivas tibi, si carni, si mundo, si voluptati, si honori, si gloriæ, si creaturis; brevi, brevi, & fors opinione citius, expectatione celerius, aderit summa dies, & illius diei hora novissima, & illius horæ momentum ultimum, tibi infaustissimum, quò omnium præteritorum memor, cum immenso cordis dolore, & pectoris gemitu, & vocis singultu, pronuntiabis illud Christi, sed non ut Christus, *Consummatum est.* Ah! recordor cùm essem adolescens, cœpi jam tunc ambulare per viam latam, & spatiosam quæ ducit ad perditionem: ducebam tunc ipse malus in bonis dies meos. O quàm amara est temporis illius memoria, dum jam video, quia *consummatum est.* Memini, cùm essem juvenis in Academia, dicebam mihi ipse in corde meo, quod Salomon: *Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis.* Nec satis fuit me unum frui bonis; sed & alios, ut fruerentur bonis, invitavi dicens: *Venite, fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ, tanquàm in juventute celeriter;* Et totum illud tempus *tanquam vapor ad modicum parens, consummatum est.* Dum totum repeto anteactæ vitæ tempus, verè possem dicere, quod de se Salomon: *Omnia quæ desiderarunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectarer in his quæ præparaveram:* & nunc horum omnium memor, quàm lætus vixi, tam tristis morior: quia video totum illud, unde lætabar, *consummatum est.* Quidquid unquam percepi gaudij corde, & animo è divitijs,

Quivis morituus dicet: Consummatum est, dispari tamen sensu boni, & mali.

Eccl. 2. 1
Sap. 2. 6.
Iac. 4. 15.

Eccl. 2. 10.

ho-

honoribus,convivijs, tripudijs, spectaculis, lusibus,cantibus,colloquijs,plausibus;quidquid hausi voluptatis visu,tactu, gustatu, odoratu, auditu, ullo sensu, omnia illa transierunt tanquàm umbra,& illorum omnium tempus, nullo sui relicto vestigio,nisi amaræ pœnitentiæ, *consummatum est.* Sic quisquis tibi vivis,& non illi, qui pro te mortuus est, brevi dum vivere desines, & mori incipies,omnis consummationis videbis finem, descensurus in locum tormentorum, ubi nullus est finis O beatum me,si tunc,quando sonabit novissima hora, quando in ictu oculi claudentur omnia, possem te hisce postremis verbis alloqui! O Christe, quem semper dum vixi, dilexi ex toto corde meo,ex totâ animâ meâ, & ex omnibus viribus meis: tu dixisti omnibus quidem, sed mihi potissimum ad cor: *Si vis perfectus esse,vade, vende, quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cœlis,& veni,sequere me.* Audivi vocem tuam, feci, vendidi, veni, secutus sum te, *Consummatum est.* Tuum fuit promissum: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem,aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet,& vitam æternam possidebit.* Propter te reliqui omnia,qui unus mihi eras instar omnium,& illud *consummatum est:* erat tuum, non quidem quod cogebat præceptum, sed quod alliciebat consilium,*Si quis vult venire post me,abneget semetipsum,& tollat crucem suam, & sequatur me.* Audivi consulentem, amplexus sum consilium, tuli crucem meam,*consummatum est.* Sic consummatus in brevi,explevi tempora multa quia te dilexi multum. Et nunc quia *cursum consummavi,fidem servavi,* & feci quod præcepisti, tu redde quod promisisti.

Matt.19. 2.

Matth. 19.29.

Matth. 16.24.

2.Tim. 4.7.

Fe-

Felix ter felix, æternum felix, qui eâ fiduciâ, dum imminet ultimum vitæ momentum, potest dicere: *Consummatum est.*

## §. XIII.

### *Vltima Christi verba.*

Apoc. 1. POst omnis consummationis finem, illi, qui est *principium & finis*, supereſt ultimus actus, isque Christo longe difficillimus, nobis utilissimus, toti mundo optatissimus, ut illi, à quo in utero Matris acceperat, in patibulo crucis, Patri tradat spiritum, & ita redimat mundum. Dicebat ergo tacitè
Ioan. 16. 46. secum in corde suo: *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Sic ipse
Psa. 95. 4 tacite secum sine voce: deinde, *Magnus Dominus, cujus magnitudinis non est finis, clamans voce magnâ, ait:*
Luc. 23. 46. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum. A principio quando creavit DEVS cœlum & terram*, nihil
Gen. 1. 1. unquam creavit, nec creabit aliquid præstabilius, aut pretiosius, aut sanctius, quàm erat Christi spiritus. Ille est spiritus, quem debet laudare omnis spiritus: per quem spirant, & ad quem aspirant, & in quo respirant, & respirabunt omnes beati spiritus tam hominum, quàm Angelorum. Tradidit Christus Corpus suum potestati Judæorum, ut illud pro arbitrio suo omni crudelitatis carnificinâ cruciarent, discerperent, lacerarent; Sed nullam in spiritum ejus sæviendi habebant potestatem: Solum ergo spiritum, ut Patri traderet, reservavit, ut Pater illi eundem post triduum redderet, & corpori restitueret. Proh DEUS immortalis! tantine valet salus unius animæ, ut pro mea salute, Anima Christi tam crudeli morte separanda fuerit

fuerit à corpore ? Ergone ego tanti valeo, quanti sanguis & vita Christi? Ergone post tot impensas me perdam? Non suppetunt hic mihi verba, quæ loquar; itaque loquatur pro me verè hic totus melleus & lacteus Bernardus: *Quod si totum me debeo pro me facto, quid pro me refecto; & refecto tali modo? Nec enim tam facile refectus quàm factus. Nam qui me semel, & tantum semel dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, sed indigna. Quid ergo retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit; in secundo se: & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid DEO tribuam pro se?* Sic ipse, nimirum in tota Christi passione hoc est inprimis expendendum, & æstimandum, Christum scilicet se totum nobis dedisse, nihil sui reservando. Jam verò ubi Christus se totum amore toto, corpore toto, sanguine toto, animâ totâ tibi tradidit, quid tu illi ex te toto, Christo reddidisti? Si dentem pro dente, oculum pro oculo, imò totum pro toto reddere oportet, tunè unquam propter Christum, pro te & passum, & mortuum, & totum tibi traditum, propter nimiam illam, quâ te dilexit, charitatem, vel semel oculos avertisti ne viderent vanitatem? Oculos ergo alteri tradidisti. Potesne meminisse te unquam propter Christi manus perforatas clavis, & cruci affixas, ab illicito opere manum continuisse? Negasti ergo illi & manus, tu qui es opus manuum ejus. Auderesne asserere, te propter linguam Christi, felle, & aceto potatam, vel semel compressisse linguam tuam à maledictis, contumeliis, mendaciis, juramentis? Linguam ergo illi subtraxisti. Alia jam aspice, & inspice, & totum te per circuitum circumspice;

*Tract. de dilig. Deo.*

Christo omnia negamus & aliis tradimus.

spice; vide quid ex te toto, Christo tradisti? quotquot in corpore tuo recensentur membra, tot tibi fuerunt, quibus Christum oppugnasti, arma. Hi sunt, piissime Jesu, fructus tuæ passionis. Ideò in nos fuisti tam bonus, ut nos essemus mali: ideò misericors, ut nos immisericordes: ideò te in nos exhibuisti tam pium, ut nos essemus impii? Ad similes vereor ne idem dicat moriens in Cruce Christus, quod olim scribens ad quosdam Paulus. Sic enim Paulus: *Timeo de vobis, ne sine causa laboraverim in vobis.* Gal. 4. Frustra pro vobis de cœlo descendi & factus sum homo: frustra pro vobis in stabulo natus, in præsepio reclinatus, octavo die circumcisus frustra per 33. annos in fame, & siti, & frigore, & æstu, & sudore vultus mei, & sanguine totius corporis, quæsivi te ovem perditam: frustra tot opprobria, alapæ, sputa, flagella, spinæ, clavi, crux, vita, mors, omnia. Sine causa laboravi, quia laboris fructum nullum retuli. Non tantus est Christo dolor pro te sic laborasse, quantus, nihil suo labore profuisse. O miseri, & per omnem æternitatem futuri miserrimi! quibus tam copiosa redemptio, redemptorum erit perditio, & ipsa Christi passio, illorum, pro quibus est passus, condemnatio. Præstat hominem illum nunquam fuisse natum, quam Christum frustra pro illo fuisse passum. Hoc ne mihi contingat, ad te me converto, qui pro me, ne morerer, es mortuus. Os meum applico ori tuo, ut suscipias verba mea, postquam tu jam protulisti ultima verba tua. O sacrosanctum os, unde tot æternæ Veritatis oracula promanarunt, & promissa omnium bonorum. Ex illo sacratissimo ore prodiere hæc verba: *Petite, & accipietis.* Luc. 11. Unum est quod peto, & secundum non adjiciam, & per os tuum divinissimum,

simum, quod jam aperis, ut in manus Patris emittas spiritum tuum, peto, ut dum ego aperiam os meum, ut emittam spiritum meum, ex hoc ore eadem prodeant, quæ cum morereris, ex ore tuo, hæc ultima verba: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

## §. XIV.

### *Inclinat caput.*

SEquitur ultimum ordine, sed primum dignitate de Christo patiente mysterium, quod est omnium prodigiorum longè maximum, mors DEI immortalis. Itane verò? ergo ut vivat vilis vermiculus terræ, moritur DOMINUS cœli! Quamdiu procabit amorem meum Amor divinus? Quot ludos aget? quot scenas peraget? quot personas sustinebit? Egressus est ut sponsus, cucurrit ut gigas, jacuit ut infans, fugit ut exul; ambulavit ut peregrinus, obedivit ut subditus, ministravit ut servus, luctatus ut miles, docuit ut Magister, sanavit ut Medicus. Et quas non scenas in gratiam mei egit in præsepi, in stabulo, in fœno, in domibus, in vicis, in compitis, in castellis, in Templis, in Synagogis, in oppidis, in urbibus, in solitudine, in montibus, in vallibus, terra, ac mari? in horto Gethsemani, in domo Annæ, in ædibus Caiphæ, in prætorio Pilati, in palatio Herodis, & tandem in patibulo crucis? Adhuc pergit amare hominem JESUS? necdum incipis amare ô homo JESUM! Post omnia moritur ut reus. Antequàm moreretur, tacite secum ingeminabat hæc verba Prophetæ: *Quid est quod debui facere vineæ meæ, & non feci?* Fateor, perveniisti ad fastigium Charitatis, ad ultimam lineam amoris, non est quod potes ultrà facere. Cum esses DEUS, fa-

Christi in nos beneficia.

*Isa. 4. 5.*

ctus es homo: cum esses in cœlo, descendisti ad terram, deleviſti chirographum mortis, solviſti debitum peccati, totum hominem sanum feciſti, perditum mundum redemiſti. *Quid ultra debuiſti facere, & non feciſti?* Nunc transi ex mundo ad Patrem. Reliquiſti nobis carnem in cibum, sanguinem in potum, vestes in operimentum, merita in pretium, Sacramenta in pharmacum, teipsum in pretium. *Quid ultra debuiſti facere, & non feciſti?* Creasti animam nostram ad imaginem tuam, corpus de luto terræ formasti, dediſti Angelos nobis in miniſtros, animantia in usum, totam terram in domicilium, cœlum in regnum. Claude jam oculos, morere tandem. *Quid ultra debuiſti facere, & non feciſti?* Sudasti ut agonizans, comprehensus es ut fur, cæsus ut mancipium, velatus ut pseudopropheta, accusatus ut seductor, conspu-tus ut blasphemus, illusus ut stultus, crucifixus ut latro: *Quid ultra debuiſti facere, & non feciſti?* Præcepiſti soli ut nos illuminaret, terræ ut sustineret, igni ut calefaceret, aquæ ut lavaret, aëri ut resocillaret. *Quid ultra debuiſti facere, & non feciſti?* Requiesce tandem ab universo opere, quod patrasti. Quiescat jam tua justitia in puniendo homine. Sapientia in excogitando quid possit facere homini, misericordia in conando benefacere homini, bonitas in amando. Cum jam nihil supersit ultra quod possis facere pro homine, tandem morere. Itaque Amor ille æternus, cum ultrà non esset quo se proderet, faciendo, vel patiendo, oppresso immenso amoris pondere, quo antea inclinaverat cœlos, & descenderat ad terras, inclinat caput ut descendat ad inferos. Nec sine arcano mysterio id fecit, altoque Sacramento. Primùm, ne post digna æternis suppliciis scelera, putaret

taret mundus JESUM hominibus implacabiliter iratum, offensumque è mundo abire, aversus à cœlo, conversus ad homines, versus terram caput inclinat, antequàm expirat. Deinde spiritum quem jam Patri commendaverat, effusurus in Matrem stantem juxtà crucem, supremum halitum ad illam direxit; ut inde mundus edoceretur, neminem securiùs exire è mundo, quàm qui extremum spiritum dirigit ad Mariam. Ad hæc, inditurus meliorem animam telluri DEUS, pronâ facie spiravit in illam secundò spiraculum novæ vitæ. O JESU, video, hora est ut transeas à nobis ad Patrem; morere ergo vita nostra, morere. Suspensa sunt omnia in cœlo & in terra, summa expectatione mortis tuæ. In te unum jam morientem omniũ oculi, atque ora convertuntur. Expectat Pater tuus apertis manibus, ut spiritum sibi commendatum excipiat: exspectant Angeli, ut tibi de cruenta victoria applaudant, & gratulentur: expectat limbus, ut tuo splendore illustretur: expectant captivæ tot sæculis animæ, ut per te libertati restituantur: expectant peccatores, ut pectora ex dolore percutiant: expectat terra, ut tremoribus concutiatur; petræ, ut scindantur, monumenta ut aperiantur, velum templi, ut scindatur: expectat mundus, ut tua morte renovetur, expectant homines, ut redimantur, denique condita omnia in cœlo, & in terra, totaque rerum universitas mortem tuam, tanquàm rem maximi momenti, infiniti ponderis, ac immensi stuporis, à quo rerum omnium salus dependet, avidissimè expectant. Christus ergo quasi annuens omnium votis & expectationi, inclinat caput, quasi dicat: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* O JESU, priusquàm moreris, leva-

Christi mors omniũ expectatissima.

Luc. 21. 28.

levamus capita nostra ad te, qui inclinas caput tuum ad nos. *Domine inclina aurem tuam, & exaudi nos.* Unum autem jam petimus: dum abis è vita, & è mundo, *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata jam est dies*: ut per te, qui inclinasti cœlos, & descendisti; per te, & mortem tuam, ascendamus ad cœlos.

Luc. 24. 28.

## §. XV.

### *Valedicit omnibus.*

INter alias rationes cur Christus caput inclinet, hæc non est postrema, ut extremum diceret vale toti mundo, & omnibus qui erant in mundo, quasi diceret: Vale terra, quam lachrymis, sudore, sanguine toto ex omnibus venis prodige effuso, toties irrigavi. Vale aër, in te hactenus spiritum duxi, & spiravi, nunc ecce, tempus est ut expirem. Vale populo mi dilecte, & è millibus electe, non feci taliter omni nationi. *Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam. Inveni te in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis: circumduxi te, & docui, & custodivi, quasi pupillam oculi mei.* Sed eheu! *DEVM qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Vale Jerusalem, cujus vicos, & plateas toties in sudore vultus mei obambulavi, in cujus Synagoga, & Templo prædicavi regnum DEI: Jerusalem, *cujus filios toties volui congregare quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti:* Jerusalem, quam olim per Prophetam meum admonui: *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est: quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus.* Imò jam pridem super te ortus fui, quando juxtà muros tuos natus fui in Bethleem. Tunc visitavi te oriens ex alto,

2. Reg. 1. 26.

Deut. 32. 19.

Num. 18.

Matt. 23. 37.

Isa. 6. 1.

alto, sed non cognovisti tempus visitationis tuæ. Jam non amplius super te orietur Dominus sed ecce morietur Dominus tuus. Jam filii tui pupilli erunt absque patre. Vale Jerusalem, quam cùm nuper vidi, flevi, qui flenda brevi patieris. Adhuc enim 40. anni, & tu Jerusalem subverteris. Et tu charissima Mater, extremum vale. Accepi ex te corpus, in te spiritum, illum jam tradam in manus Patris. Vidisti me olim infantem nascentem in præsepio, mediâ nocte; vides jam morientem in patibulo, media die. Ita, Mater, quia sic placitum fuit ante Patrem. Scio, Mater, quia magna est velut mare contritio tua; sed hoc scito, quia non est dolor sicut dolor meus. Vale mater, ecce Filius tuus moritur juxtà te, qui conceptus est de te. O afflicta mulier, quis Medicus vulnera tua curabit! cùm jam ille, qui sanabat omnes, moriatur? O Consolatrix afflictorum? si quidem afflictiones tuæ numerari non possint, quis medebitur tui, cum jam ille, qui est lumen oculorum tuorum, claudat sua lumina, nec te amplius aspiciat? Quis te consolabitur? siquidem ille, cujus causa doles, cujus gratia suspiras, jam expirat? O quale mysterium! videre Filium derelictum à Patre, Matrem derelictam à Filio. Filium inter extremos dolores morientem, Matrem præ extremo dolore, vix viventem? Descendebat ad Matrem sanguis è corpore Filii, ascendebant ad Filium gemitus ex pectore Matris. Illa propter Filium jugiter suspirabat, ille juxtà Matrem miserè expirabat. Hæccinè Regina cœli? Hiccinè Rex cœli, & terræ? Siccinè audes sperare cœlum ô Christiane, tam dissimilis Christo? Illi in capite spinæ, tibi in capite rosæ: ille inter pœnas, tu inter delicias: illi in ore fel & acetum, tibi mel & vinum: ille cru-

Pati hic necessarium.

entus in torculari, tu marcidus in lupanari: ille inter contumelias & opprobria, tu inter plausus & gratulationes. Erras à via, qui à tam longe sequeris eum, qui est via. Oportuit Christum pati: pati? imò & mori, ut intraret in gloriam suam. Et tu refugis pati, ut intres in gloriam alienam? Sed quem oportuit pati, jam est passus: supereſt, ut qui pro nobis voluit pati, velit & mori. Scio morieris tu, Rex sæculorum immortalis, ut vivam ego vitam immortalem. Imò jam moreris: quia ut video, inclinatum est caput, & clauduntur oculi, & riget corpus, & vita deficit. Vale mi Creator, vale Redemptor, vale gaudium cordis mei. Tempus est ut abeas ex hoc mundo ad Patrem. Sed dum jam abis, *petitionem unam parvulam ego deprecor à te; obsecro ne confundas faciem meam.* Repete hæc pauca verba coram Patre post mortem, quæ dixisti Patri ante mortem: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum.*

3. Reg. 2. 20.

Ioan. 17. 24.

## §. XVI.

### *Moritur.*

TAndem aliquando post diuturnam per 40. sæcula, cœli, terræque expectationem, adest dies ille expectatissimus, atque hora felicissima, omnium maxima, atque sacratissima, in qua primum ac summum omnium mysteriorum ab orbe condito, ad infinitam usque æternitatem peractum, & consummatum est. Dies jam adest quasi criticus, & decretorius mundi jam animam agentis, ut in statum florentissimum restauretur. Dies, & hora placabilis Domini, quâ cogitans cogitationes pacis, & non afflictionis, mundum tacitis clamoribus invocantem, cum universitate omnium creaturarum exaudivit. Stabat ad dexteram

ram crucis Misericordia cum oliva; ad sinistram Justitia cum romphæa, ut tandem Christi morte, dirempta lite, inita pace se invicem osculentur. Christus ergo ut vidit jam illud infiniti momenti adesse momentum, quod ab omni retro æternitate, in arcano SS. Trinitatis Concilio fuerat delectum, & præfixum, ut hominem perditum redimeret. Anno ab orbe condito quando in principio creavit DEUS cœlum & terram 4086. Imperii Romani 81. Tiberii Augusti 20. B. Virginis 49. Olympiade 203. orbe jam toto Patri reconciliato, debellato peccato, subacto dæmone, institutis sacramentis omnibus, affixo jam Cruci chirographo decreti illius fatalis, omnibus jam consummatis, quæ de ipso vel præfiguraverant Patriarchæ, vel prædixerant Prophetæ, vel à Patre ejus fuerat constitutum, omnibus ritè expletis ad salutem mundi necessariis, æterni Patris unigenitus Filius, quem inæstimabilis charitas, & in pereuntes homines amor, traxit in terras, qui propter nos homines, & propter nostram salutem, factus est homo, hora à meridie tertia, in monte Calvariæ, factus Patri obediens usque ad crucem, ut eidem obediret usque ad mortem Crucis, pro salute mundi, & humani generis redemptione, JESUS Christus, incarnatus DEI Filius, inclinato capite tradidit spiritum. Mortuus est DEUS, & adhuc lubet vivere? Ille, cui omnia, & per quem omnes vivunt, desiit vivere, quis hoc audiens non moriatur? Quis adhuc ducat spiritum, dum ille, ex quo, & in quo, & per quem omnes spirant, tradidit spiritum? Filius DEI expiravit, & Filius hominis adhuc peccabit? Nunc per omnes terrarum regiones, immenso clangore, longè, lateque instar sonori classici, circumsonet vox illa Pauli, ut ab

omnibus ubique gentium hominibus percipiatur: *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno.* 2. Cor. 6

Id enim certo est certius, & vero verius: omni quod potest concipi jure, omnibus qui fingi possunt titulis, omnibus quæ allegari possunt nominibus, potest nos Christus sibi tanquam suos vindicare, & cuilibet homini injectâ manu dicere, quod Israëli dixit apud Isaiam: *Meus es tu.* Isa. 43. Postquàm pro te inclinato capite tradidi spiritum, jam infinitis titulis, *meus es tu*, jam desiisti esse tuus, quia *meus es tu.* Ego te venditum redemi, perditum servavi, captivum liberavi, mortis reum vitâ donavi; ergo *meus es tu.* Meritò ergo clamat Divus Paulus: *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno.* Non est homo qui potest concipere, sed solus DEUS potest intelligere, quàm sit immensa magnitudo hujus pretii. Sed ut possitis illud cæca saltem conjectura, si non certa scientia assequi; audite, & stupete. Si credimus variis Sanctorum revelationibus, Christus, ut nos redimeret, profudit sexagies, & bis mille lacrymas: guttas sanguinis cùm in horto sudaret, 305. supra nonagies ac septies millenas. In flagellatione sexies mille 666. ictus excepit: alapas 110. ictus in collo 120. in capite 85. in ventre 38. in humeris 62. in brachiis 40. *Empti estis pretio magno.* Necdum finis. Videte quid in facie pertulerit: 32. in faciem ejus sordida sputa conjecta sunt: os illi trigesies contusum: instar canis pedibus abjectus centies septuagies: ter decies profusus, & solo afflictus: capillis trecenties tractus, barba illi evulsa; aut hinc inde implicata manu distracta, quinquagies octies. *Empti estis pretio magno.* Necdum finis pretii. In coronatione 300. vulnera à spinis impressa: ob nostra peccata, pro nostrâ salute nongenties

Pretio magno emptus est homo. *Barri blandit. p. 260.*

ties gemuit, & suspiravit : tormenta quæ poterant ei præsentem mortem inferre, 162. subiit: supremo in agone, quasi jam moriturus, decies ac nonies fuit. A Pilati prætorio usque ad montem Calvariæ portando crucem 321. passus confecit. An non ergo *empti estis pretio magno*? Et tamen post tot debita ex parte tua, post tot beneficia ex parte Christi, nonne tibi ingrata anima meritò posset exprobrare Salvator tuus quod apud Isaiam: *Oblita es DEI Salvatoris tui, & fortis adjutoris non es recordata*? O Christe! quid aliud jam tibi offeram pro omnibus pœnis quas passus es, nisi me pro quo passus es? Hoc mihi jam certum, quia tu mortuus es pro me, mori mundo, mori mihi, mori omnibus quæ sunt mundi, ut tibi soli deinceps vivam, ô vita mea! Adrepo ergo manibus, & pedibus per montem Calvariæ, ad tuam Crucem, tanquàm miserorum asylum; ad te crucifixum, non jam fulmine armatum, sed plagis multis vulneratum, & exclamo contritus, & gemens: Parce mihi Domine, quia tu non pepercisti, ut parceres mihi: quia ut me sanares, vulneratus es; ut ego viverem, mortuus es; ut ego declinarem à malo, & facerem bonum, atque ita obtinerem summum bonum, declinarem summum malum, inclinato capite tradidisti spiritum. *Isa. 7.*

## §. XVII.

### *Signa post mortem.*

CUm inter cœli obscurati cæcas tenebras, & caliginem, solis deficientis pallorem, noctis diurnæ silentium, inter frigora, & sævientium ventorum turbines, inter hostium suorum ludibria & scommata, sexcentis cruciatibus exhaustis medio in aëre Christus spiritum Patri reddidisset, repen-

repentè, velut è cœlo, signo dato, cœlum & terra cœperunt simul pati, ubi desierat pati is, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra. Sol in cœli statione medium cursum tenebat, cùm ecce extinctis omnibus luminaribus, densa, atra, spissa, & Ægyptiaca nox incubuit mundo: totus aër tenebricosâ caligine inhorrere: terrarum machina imis quassata sedibus, omnibus concussis cardinibus tremefacta nutare, ac fluctuare, sepulchreta moveri, tumuli aperiri, mortui à funere excitari, velum Templi ab imo ad summum scindi, ac in binas partes disrumpi, elementa omnia tumultuari, natura universa quasi in antiquum chaos resolvi, condita omnia cum suo conditore velle interire. Si fors inquiras, propter quem tempestas hæc grandis venit super mundum? Intelliges ubi audieris, quæ sequitur, historiam. Olim cùm Amalecita quidam juratum Davidis hostem Saulem occidisset, venit ipse concito gradu ad Davidem, ut hoc ipsi quasi præclarum facinus annuntiaret: narravitque modum, quo Saulem interemerat. *Tunc* (inquit Sacra Regum historia) *apprehendens David vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt, & jejunârunt usque ad vesperam super Saul. Dixitque David ad juvenem qui nuntiaverat ei: Vnde es tu? Qui respondit: Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum. Et ait ad eum David: Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideret Christum Domini? Vocansque David unum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, & mortuus est. Et ait ad eum David: Sanguis ejus super caput tuum, os enim tuum locutum est super te, dicens: Ego interfeci Christum Domini.* Adite jam tacitis cogitationibus Jerosolymam. Civitas in armis est universa: populus stat attonitus, tota

2. Reg. 1. 11.

terræ

terræ facies atra eclipsi obnubitur, cœlum gemit, lapides dissiliunt, natura tota trepidat, stat erectum in Golgothæo monte funestum crucis theatrum. Cur tam insolentibus moribus tota rerum universitas turbatur? Unde hæc tam fœda tempestas? Ah! propter me tempestas hæc grandis venit super mundum. Propter te? Quid ergo feciſti? Ah! quid petis digna æterno sepeliri silentio? Quid feciſti? Heu! frustra fileo, quia peccatum meum contra me est semper, Frustra abscondo, quia nihil absconditum quod non reveletur. Quid feciſti? Ah! confusio cooperuit faciem meam: timor, & tremor venerunt super me. Quid feciſti? Ah! noli petere, quod vel scelus est dicere. Circumfusus cœli, jam propter me obscurati terrifico horrore, quia inter homines non vixi ut homo, deseram hominum cœtus, deserta, & solitudines petam, saxa & rupes, & antra, & cavernas, & spelæa, & belluarum lustra luci impervia incolam. Hæc requies mea sine requie. Ibi inter specus & antra in loco horroris, & vastæ solitudinis, adjuro te ô Echo, meis mœroribus, ejulatibus, & amaris vociferationibus respondе, & cùm totâ intentione voces istas doloris mei testes ingeminavero, nimirum, *pereat dies, in qua* peccavi: dies ille vertatur in tenebras; quia ecce propter peccatum meum tenebræ factæ sunt super universam terram. Has tu voces Echo sæpius ingemina. Quid feciſti? Ergone prodibit ex ore meo vox illa, ad quam tinnient ambæ aures omnium hominum? Vox illa, ad quam obstupescent cœli, contremiscet terra, pavebit mare? Vox illa, quâ prolatâ, clamabunt contra me omnia vindictam? Ad cujus sonitum concutietur DEI tribunal? Ah! tonitruanti voce undique contra me fulmi- *Iob. 3. 2.*

fulminant, & contra me clamant, cœlum, terræ, DEUS, & super omnia, conscientia mea. Quid feci-sti? Dicam tandem, sed priusquàm dicam, obtestor, & obsecro, fugite Angeli, fugite dæmones, fugite homines: ah! nulla sit quæ hanc meam detestandam, & perennibus lachrymis, ac æternis gemitibus deplorandam vocem repetat Echo. Dicam, sed cum rugitu leonis, cum ejulatu, singultu, planctu. Accipite funestam vocem impii parricidæ, ac dein æternum silebo, *EGO INTERFECI CHRISTVM DOMINI.*

2. Reg. 1. 11.

## §. XVIII.

### *Conversio Centurionis & aliorum.*

POst cœli, terræque horrifica illa portenta, aliud non minus sequitur admirandum; nam *Centurio, & qui cum eo erant custodientes IESVM, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius DEI erat iste.* Expendebant secum taciti insolentia cœli, terræque prodigia, quæ spectaverant, ac potissimum terræ motum. Non dubium, quin mons Calvariæ, & vicina huic Jerosolymæ civitas contremuerint. D. Anselmus testatur, lapidem, cui superposita erat crux Christi, disruptum tunc fuisse. D. Hieronymus asserit, superliminare templi, infinitæ magnitudinis fractum, atque divisum fuisse: itemque Angelos præsides auditos fuisse dicere: *Transeamus ex his sedibus.* Deinde videntes sepulchra disjectis terræ motu aut fissis marmoribus, quibus tegebantur, aperta: diffissionem petrarum, solis deliquium; JESU patientiam, ac pietatem, denique moribundi vastum clamorem: his omnibus ritè expensis, *timuerunt valde*, ne ob scelus admissum in innoxium DEI Filium, immineret ipsis vindicta divina. Prætereà

Matt. 21. 34.

L. de Pass. Dom. In cap. 27. Matth.

omnes,

omnes, qui ex morte venerant ad supplicii spectaculum, percutiebant pectora sua in signum pœnitentiæ; testante hoc Evangelista: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur.* Hoc non est mirum, illos percussisse sua pectora, post tot commissa scelera, post tot visa in cœlo, & terra prodigia: plus miror me tot inusitatis naturæ portentis, non magis commoveri, cùm hæc omnia propter mea scelera contigisse fide certissimâ credam. O cœlum! ô terra! ô creata omnia! Si authorem quæritis naturæ sic perturbatæ, præsto sum; in me fulmina & ignes, in me procellæ & undæ, in me cœlum & terra, in me elementa omnia conspirent: in me bestiarum furor, canum rabies, leonum rictus, tigridum ungues, ursorum dentes, taurorum cornua, avium rostra, draconum linguæ armentur, & sæviant. Me, me, adsum, qui feci, in me convertite tela, & iras, & quidquid iræ horridum, inimicum, crudele, asperum, exitiale suggerunt. O dolores! qui usquam & unquam fuistis, in me irruite. En cor meum totum, & penitus vobis in prædam cedo. Dividite illud, discindite, discerpite, fodicate, laniate, urite, in fumum & cineres redigite; quia quem ego interfeci, *vere Filius* DEI *erat ipse.* Nam DEUS est charitas: in illo autem sive audias loquentis verba, sive inspicias cogitationes, aspicias opera, omnia singula, universa, nil spirant nisi charitatem, ita ut Paulus verè appellaverit *Charitatem nimiam, qua dilexit nos.* Sufficiebat pro salute totius mundi unicum suspirium; voluit subire crucis supplicium: Satis erat si stillâsset è divinis oculis lachrymula; voluit quidquid fluebat per venas sanguinis, cum copia instar aquæ effunde-

*Ephes.* 2. 4.

re. Sa-

re. Satis erat pro nostra Redemptione movisse semel pedem; voluit currere per urbes, pagos, castella, regiones, per alta montium, per humilia vallium, per plana camporum. Satis erat pro omnium vita, apud Patrem unico perorâsse verbo; voluit non tantum multa pro nobis loqui, sed & plurima pati, ac denique mori: Charitate nimiâ dilexit nos. *Vere ergo Filius DEI erat iste.* DEUS Charitate nimiâ dilexit hominem, homo verò crudelitate nimiâ eum interfecit. Deberet ex doloris magnitudine propter tam detestandum facinus, totum corpus, uti terra contremiscere pectus, uti monumenta, aperiri; cor, uti petræ findi; imò uti velum Templi in medium scindi: sed qui charitate nimiâ dilexit nos, putat hoc nimium: nil à nobis exigit pro totâ illâ, ac tam luctuosa tragœdiæ, quam exhibuimus, scena, pro tot illi inflictis vulneribus, pro exhausto sanguine, pro laceratis ejus membris, pro morte denique illata, nihil aliud cupit quàm ut exemplo vel Publicani in Templo, vel Centurionis in monte percutias cum dolore pectus; percusso pectore, absolveris à crimine. Fateor, ô JESU, hoc esse pectus, quod commisit scelus, propter quod tu à Patre percussus es; nam testatur Pater tuus: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Hoc est illud pectus, in quo latet cor illud pravum, de quo exierunt *cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes* &c. Hoc ergo pectus quanto possum maximo dolore percutio, ut possim aliquando in cœna illa tua magna cum dilecto tuo Discipulo, post sæpius percussum pectus meum, recumbere super pectus tuum.

*Isa.* 53. 8.

*Matt.* 15. 19.

§. XIX.

## §. XIX.

### *Aperitur lanceâ pectus.*

OMnis consummationis vidi finem, canit David; & omnis consummationis vidit finem JESUS Filius David; sed qui in finem dilexerat suos, etiã post vitæ finem non destitit diligere, in cujus signum voluit sacratissimum suum latus aperiri, ut ad illud velut ad Arcã columbæ seductæ revolarent. Quare *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua.* Psal. 118. 96. Ioan. 19.

Ecce lanceâ apertum latus Christi, & in latere cor illud, quo nos omnes tanquam fratres, à primo quo conceptus est momento, fuit complexus immenso amore. Silet jam ejus lingua, quia caret vitâ: sed cor ejus ex hoc monte excelsissimo, quasi tuba exaltat vocem suam. Toties audivimus in vita vocem divinissimi ejus oris, nunc audiamus post mortem vocem amabilissimam cordis. Clamat cor ejus ad omnes socordes, & vecordes: *Redite, redite prævaricatores ad cor.* Nos ergo excordes, ut redeamus ad cor, inspiciamus sacratissimum illud cor, in quo abscónditi sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ DEI. Si quæras cur Filius DEI talia, tam multa, tam indigna nostri causâ sit passus; singulorum causas in corde hoc expressas invenies. Sic ergo cum mutum sit illi os, loquitur tibi ejus cor. Angustias tuli, ut te ab angustiis mortis liberarem: timui, ut te securum redderem: vigilavi, ut te à peccati somno excitarem: oravi, ut tibi dona impetrarem: sudavi, ut putridum tui peccati humorem à te expellerem: comprehensus sum, ut te ad Ezech. 18. 32.

me traherem, & tu bravium comprehenderes : ligatus, ut te solverem: vili pretio venditus, ut te redimerem: negatus à Petro, ut te coram Patre confiterer; derelictus ab Apostolis, ut me individuum tibi præstarem comitem : accusatus, ut te excusarem; velatus facie, ut illam tibi in cœlo cum summa gloria revelarem: nudatus vestibus, & iterum indutus, ut te veteri Adamo spoliarem, & novo induerem homine qui secundum Deum est: flagellatus, ne te Pater flagellaret peccatorem multis flagellis: damnatus ab iniquis judicibus, ut damnatum ad æternam mortem absolverem: ejectus extra civitatem Jerusalem, ut te in cœlestem Jerusalem admitterem: bajulavi crucem, ut pondus peccatorum à tuis humeris in meos transferrẽ: corona spineâ redimitus, ut pararem tibi coronam gloriæ: sitivi, ut te potarem torrẽte voluptatis: clavis confixus, ut te expectarem: extendi brachia, ut te amplecterer: inclinavi caput, ut tibi præberem osculum pacis: denique mortuus, ut tu viveres, vulneratus lanceâ, ut te vulnerarẽ charitate. Habes hic omnium, quæ passus est, compendium, & cur passus est, causas quid post omnia dicam accommodatius ad percipiendum ex his omnibus fructũ, quam cum Eusebio Gallicano: *Magnum quidem est de* DEO, *quod esse me sentio opus suum, sed multo plus est, quod transisse ipsum video in pretium meum ; quandoquidem tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo* DEVM *valere videatur.* Scitè hic interrogat, attonitus tanti debiti magnitudine Salvianus : *Quid pro se dignum Domino repensabit, qui ipsum* DEO, *à quo redemptus est,* DEVM *debet ?* Cave ne tuus Redemptor aliquando exprobret tibi illa, quibus Divus Augustinus inducit Christum peccatorem

*Hom. 6. de Pasch.*

*Ad Eccl. 2.*

*Serm. 81. 19.*

torem alloquentem. *Cum essem impassibilis, pro te pati dignatus sum: sed tu despexisti in homine* DEVM, *in infirmo salutem, in via reditum, in cruce vitam, in supplicijs medicinam.* Antequam Filius Dei erat incarnatus, hic mundus erat quasi Probatica piscina; in qua, teste D. Joanne, *jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.* Petit DEUS ab Adamo, idem quod ab illo infirmo Christus: *Vis sanus fieri?* Respondit Adam infirmus. cum illo infirmo: *Hominem non habeo.* Quid igitur? ne deesset homo, DEVS homo factus est, & factus est medicus, quia ejus *livore sanati sumus*, ait D. Petrus. Jam dicit tibi Medicus, quod illi infirmo: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* A planta pedis usque ad verticem capitis non erat in te sanitas. *Ecce sanus factus es*; cæcus eras, vides, claudus, & ambulas; surdus, & audis; mutus, & loqueris; leprosus, & mundatus es; mortuus, & vivis. *Ecce sanus factus es.* Quid jam sequitur? *Jam noli peccare.* Post tot salutis præsidia, post 7. instituta à Christo Sacramenta, post tot pro te tolerata tormenta, post tot in te exhibita amoris argumenta, post tot collata in te beneficia, promissa tibi præmia, post tã gravia intentata supplicia, *jam noli peccare.* Post abolitum peccatum, destructam mortem, devictum dæmonem, apertum æternitatis aditum, *jam noli peccare:* post fractos ejus oculos, laniatam cutem, laceratos humeros, terebratas manus, contrita ossa, contusos artus exinanitum omnem sudorem, effusas lachrymas, exhaustum sanguinem amissam vitam, *jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat:* ne Christi Incarnatio sit animæ tuæ damnatio: ne ipsius passio, sit tua perditio: ne tibi contingat, quod minatur Paulus: si

Ioan. c. 5.

1. Pet. 2. 24.

1. Cor. 6.

*quis non amat Dominum nostrum IESVM Christum, sit anathema:* quo uno verbo omnia, quæ timeri possunt, est complexus. Sed meliora jubet nos sparare sanguis tuus, ô JESV, pro nobis tam copiosè profusus: ille sanguis cum clamore valido clamat ad justitiam gladium suum vibrantẽ, quẽ Adami prævaricatio prmò eduxit è vagina: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Ille clamat ad Patrem; *Pater dimitte illis:* ille clamat ad dæmones: *Nolite tangere Christos meos.* Hic sanguis effusus super terram, clamat ad Angelos: *Nolite nocere terræ.* Denique ille sanguis, ne perdat mercedem suam, clamat: *Ne perdas cum impiis Deus animam meam,* Venisti enim ut quæreres ovem quæ perierat: dixisti *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Salva ergo nos, quia es Salvator & salus nostra, ut impleatur sermo tuus: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

Ioan. 18, 11.

Psal. 104. 15.

Apoc 7. 3.

Ps. 25. 9.

Luc. 9. 56.

Ioan. 18. 6.

## *Epilogus tragœdiæ.*

IDem mihi erit dicendi finis, qui fuit principiũ, videlicet JESVS Christus, qui est principium, & finis. Primùm accipite totius sacræ tragœdiæ succinctam anacephaleosim, ex D. Chrysostomo.

Tom. 3. Serm. 6.

*Pax cœli traditur doli osculo: tenetur tenens omnia: alligatur omnium nexus: ducitur, attrahens universa: à falso veritas accusatur. Sistitur cui assistunt omnia: Iudæi gentibus tradunt; reddunt gentes Iudæis. Herodi mittit Pilatus, remittit Herodes Pilato: sicque commercium sit impietatis, Pietas. Sanctitas in mundinam crudelitatis perducitur. Flagellatur remissio: condemnatur Venia: illuditur Majestas: irridetur virtus: perfunditur largitor imbrium sputis: clavis cœli strator affigitur: mel-*

lis

*lis dator cibatur felle. Propinator fontium, potatur aceto: & cum jam nihil restet ex pœnis, mors refugit, mors moratur; quia nihil ibi suum esse sentit.* Sic ipse de Christo; Nunc quid Christus ad nos, audite ex Divo Chrysologo.

*Nolite timere, Crux hæc non meus, sed mortis est aculeus: clavi non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altius charitatem. Vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in pœnam. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prærogatur in pretium. Venite ergo, redite, & vel sic probate Patrem, quem videtis pro malis bona, pro injuriis amorem, pro vulneribus tantis tantam reddere charitatem.* Serm. 108. Tu interim, ô anima! pro qua posuit Christus suam animam, accede ad hoc, quod in medio terræ erectum est theatrum Amoris. Conscende hanc arborem, carpe inde fructus; ne metuas, non obstupescent inde dentes tui, sunt fructus vitæ: erunt igitur dulces gutturi tuo. Contemplare vitam pro te amore mortuam. Vide ut amor lancea aperuit latus, caput spinis, manus & pedes clavis, membra omnia flagellis. Voluit patere omnibus totum Christi corpus, ne lateret membra, quantum Pater dilexerit mundum, qui Filium suum unigenitum, non tantum nobis dedit, sed pro nobis occidit. Ad tantum amoris excessum, stupet ipse amor, imò ipse stupor. Cùm Christus venisset ad monumentum, excitaturus quatriduanum Lazarum à funere, *lachrymatus est* JESVS: qui circumstabant Judæi, stupentes tantum Christi in Lazarum amorem, quem lachrymis prodebat, attoniti dicebant: *Ecce quomodo amabat eum.* Ioann. 11. 35. Dicite ô dæmones, qui homini invidetis: dicite ô

Angeli, qui homini servitis: dicite procreata omnia, quæ hominis causa estis condita: *Ecce, quomodo amabat eum.* Dum amor clausit os illius, qui prodivit ex ore Altissimi; dum clausit oculos, geminos illos soles, quorum alter terram Gratiæ, alter cœlum gloriæ illustrat radiis: dum amor sustulit è corpore animam, illam vitam vitæ nostræ: dum expressit è divinissimis ejus venis, & omnibus membris, quidquid à Spiritu sancto infusum est Sanguinis, jam dicite: *Ecce, quomodo amabat eum.* Dum aperit brachia, ut venientem amplectatur hominem, dum inclinat caput, ut eum osculetur osculo oris sui; dum clavis ita pedes infixit cruci, ut non possit ab ea fugere; dum in meridie amoris cubans, ita amore languet, ut expiret: dicite: *Ecce, quomodo amabat eum.* Petit nunc amor noster pro nobis crucifixus, quod à Petro: *Homo, amas me,* Ecce quomodo ego amavi te? Tu homo amas me, pro quo ego factus sum homo? homo, cui nunquam nocui, semper benefeci? homo, cui tantum dedi, quantum potui, me, & mea? homo, pro quo tanta pertuli, quanta potui? homo, quem tantum diligo, quantum possum, *amas me? Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia diligo te.* Et quia diligo, dolui super te, frater mi JEsu, dolui super te, cum doleres tu, gaudium nostrum. Sed nunc quia hyems transiit imber abiit, & recessit: quia jam Pater absterset omnem lachrymã ab oculis tuis, & quia mors ultrà non erit; mors enim ultra tibi non dominabitur, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia Deus convertit plãctum tuũ in gaudium, & circumdedit te lætitiâ: gaudeo super te frater mi Jesu, gaudeo super te, nunc enim partâ victoriâ, video te audire sub nostris

Ioan. 11. 17

Ibidem.

ſtris pedibus in cavernoſo illo ſpecu,& ſubterraneo carcere,in Tartari ſuburbiis,in limbo Patrũ inſolentem quendam tumultum:res magna geritur iſtic : audio confringi vectes ferreos,elevari portas æternales: video, & interſum, & fruor. Progreditur tandem,poſt diuturnum tot annorũ ſquallorem, cum tota captivorum tuba primus omnium parens Adam:qui videns jam deletum illud decreti contra ſe ſcripti chirographũ, *morte morieris*. Gen. 2. Cruci affixum,ſuumque diu expectatum Meſſiã mortem moriendo deſtruxiſſe, modulatur illo Davidico metro;ſibique ac poſteris omnibus gratulatur, dicens , *Dextera Domini fecit virtutem,dextera Domini exaltavit me : non moriar , ſed vivam.* Pſal. Chriſtus pro nobis omnibus eſt mortuus *non moriar Vbi eſt mors victoria tua? non moriar.* 1. Cor. 15. O Chriſte convoca nunc omnes Angelos , & dic ut Pater prodigi:*Manducemus,& epulemus* , quia *filius meus* (Adam) *mortuus erat, & revixit.* Luc. 15. O Angeli,congratulamini jam mihi, quia non moriar,ſed vivam. Interim ad te, cujus morte ego vivo, & æternum, ut ſpero , vivam, me converto.Unum illud per tuam deprecor mortem , ut moriar mihi,vivam tibi. Hæc enim eſt tua voluntas, hæc una pro robis moriendi cauſa , quam expreſſiſti verbis ſervitui Pauli: *Vt qui vivunt, jam non ſibi vivant , ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt.* 2. Cor. Hæc eſt tua morientis intentio, hic finis eſt omnium eorum, quæ uſq; ad finem vitæ paſſus es malorum,*ut qui vivunt,jam non ſibi vivant*;id eſt, nullus actus propter ſe , propter commoditatem,propter delectationem , propter honorem perducant;ſed omnia cogitata, omnia verba , omnia facta,omne illud tandem quod vivunt ad te referãt,qui pro ipſis mortuus es,ac ita ſibi mo-

ti discant,& tibi vivere. Da mihi sic mori,ne moriar;da mihi sic vivere,&tum lætus clamabo cum
Gal. 2. 20. Paulo tuo:*Vivo autem,jam non ego, vivit verò in me Christus*. Hoc si fiat,& ab omnibus fiat, tum demum finem suum obtinebit,& Christus,qui est passus, & homo, propter quem est passus. Denique nulli erit ad exitium, omnibus ad salutem (ut iisdem verbis finiam hanc tragœdiam, quibus incepi) PASSIO DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI.

# INDEX RERUM.

## Numerus indicat paginam.

### A.


Accusant varii in variis Christum. 179
Adversitas divini amoris est pignus. 59
est crux homini, ideo libenter perferenda. 325
à DEO immittitur. 77
est necessaria ad salutem. 356
Æternitas pœna, apex omnium malorum. 82
Amamus omnia præter Christum. 187
Christum non amari à nobis, prodigiorum maximum. 238
Amor Christi in Apostolos. 24
Auris dextra, multis cum Malcho abscissa. 76


### B.


Barabba effigies graphice expressa. 188
Beneficia DEI in homines. 319
Blasphemia, enorme crimen. 116


### C.


Cæcitas hominum in eligendis bonis, & reprobandis malis. 193
Calvariæ mons, est locus terribilis. 312
Illic salus. 314
Calumniarum præsidium bona conscientia. 112
Caro concupiscit contra spiritum. 32
Christus passus est, ut pro omnibus sic pro singulis. 3
Passus pro nobis, & à nobis. 4
Ejus in nos beneficia. 67. 275
Vis verbi ejus. 70
Idē qui passus est Ierosolymæ. est in Eucharistia. 4
Ejus silentium ad falsa testimonia. 111

*Silentium coram Herode.* 216
*Coram eo accusatur.* 216
*Illuditur.* 230
*Nudatur.* 233
*Ligatur ad columnam.* 229
*Omnium sententia reus est mortis.* 118
*Ejus facies clarè visa felicitatis est vertex.* 124
*Ab eo esse remotum, est exitio esse propinquum.* 127
*Illum varii variis modis negant.* 137
*Pro eo ligari, summa gloria.* 156
*Ab eo bona omnia.* 189
*Christi actio minima, quanti valoris.* 249
*Christi in nos amor.* 180,250
*Omnia sua, ut prodigus, hic dissipavit.* 263
*Dolor immensus.* 269
*Clementia.* 270
*Ejus timor.* 10
*Christum non amari à nobis prodigiorum maximum.* 238
*Innocentia.* 271
*Dignitas.* 274
*Oportet eum aspicere, & inspicere.* 331
*Initium, & finis vitæ ejus, sunt parallela.* 333
*Ignominiam sui studiose affectavit.* 333
*Ejus mors omnibus expectatissima.* 389
*Christum omnibus postponimus.* 191
*Ille nos omnibus præposuit.* 191
*Christo omnia negamus.* 385
*Christiani nomen, consonet cum operibus Christi.* 337
*Conscientiæ bonæ testimonium, certum contra contumelias præsidium,* 112
*Conscientiæ malæ terrores.* 160
*Conversio non differenda.* 370
*Crucis gloria.* 297

Crucis Christi multi inimici. 291
Eam ferre summa gloria. 302
Per eam acquiritur nomen immortale. 304
Crucis bajuli pauci. 307
Eam multi abhorrent. 310
Crucis faber, est DEVS. 309
Ejus triumphus. 330
Crucis titulus indicat Christi humanitatem, & Divinitatem. 336

D.

DAmnati solatio, & auxilio destituti. 375
Desperare de DEI clementia, est ultima malitia 175
Detractio quàm gravis. 321
Patienter ferenda. 322
DEVS clarè visus, est hominis ultima salus. 124. 125
Vult omnes salvos fieri. 288
DEVM non videre peccata, stulte sibi persuadent peccatores. 123
Deo servire ubi quis statuerit, ab omnibus impetitur. 148
DEI causa fortiter defendenda. 153
Dies ultimus Christi, omni ex parte magnus. 147
Doctrina Christi omnium utilissima. 92. Aliarum omnium Princeps. 96
Dormiendi hic non est locus, nec tempus. 35

E.

EBrioſi cogunt Christum sitire. 378
Ecclesia quantùm Christum honoret, & astimet præ Synagoga. 199
Excusant plerique sua scelera. 343
Exemplo malo ad peccatum allicere, malorum pessimum. 51

F.

FIdes erga Christum in Eucharistia. 140
Fidei actus. 246
Fides mirabilia revelat. 366

Fiducia in hominibus vana. 166
Finis aliquus in meditatione Passionis præfigendus. 2
Fœmina cuivis periculosa. 130
Hinc omnibus timenda. 131

G.

GAudium summum, videre IESVM. 208
Gaudium è rebus vanis, est vanum. 210
Gaudium verum in quo consistat. 211
Gloriam suam omnes manifestant, ignominiam celant. 334

H.

HErodis impietas. 206
Homo pretio magno emptus. 394
Honor omnis debetur Christo. 224

I.

INgratitudo hominis in DEVM. 319
Injustitia ubiq; dominatur. 294
Inimicis ignoscendum. 340
Iudæorum in DEVM ingratitudo, & hominum in DEVM. 291
Iudæi iniquiores in Christum, quàm gentiles. 181
Inimici diligendi. 61
Injuriæ patienter ferendæ. 101
Innocentes passim affliguntur. 152
Iudæ luctuosissimus casus, 53
Iudas agnoscit sua scelera. 158
Ejus vana pœnitentia. 162
Ab omnibus desertus desperat. 168.169
Suspendit se. 173

L.

LEges mundi faciunt homines exleges Christi. 280

M.

MAria juxta crucem. 355
Ejus dolor juxta mensuram amoris. 358
Omnibus in Matrem data. 360
Valedicit Filio morienti. 362
Misericordia Dei prompta ad remittenda peccata. 164
Mortis hora quàm terribilis. 45
Tunc omnes, & omnia à nobis fugiunt. 80
Tunc à mundo nullū expectandū solatium. 168
In hora mortis, omnes quibus adhæsimus vanitates nos condemnabunt. 281
Morientem omnia derelinquunt. 374
Quisq; moriens dicet ut Christus: Consūmatum est cum dolore impii, cum gaudio justi. 382
Mundi status miserrimus, cum Christus pateretur. 20
Ejus perfidia. 54
Ejus prosperitas summa adversitas. 58
Ejus amicitia carò constat, Christi vero vili. 64

N.

NVditas animæ quomodo tegenda. 235
Nudi omnes post mortem. 255
Nudus affectu mundi, major est mundo. 317

O.

OBlatio sui Christo. 275
Oblivio DEI maxima est inter homines. 350
Oculi Christi quàm potentes. 144
Oculi caute aperiendi. 143
Oratio boni latronis ad Christum. 349

P.

PAti hic necessarium. 391
Pauci Christi comites in Passione. . . . . 8
Peccator quilibet, Christi est traditor. 293
Longe est à Christo. 48
Longe est à DEO. 25

In

*In pectãdo pertinacia, ultima malitiæ linea.* 72
*Peccatorem creata omnia clamant reum mortis.* 119
*Peccatores varii variis modis Christum cruciant.* 201
*Peccati gravitas.* 249
*Ea cognoscitur ex Christi passione.* 257
*Ejus damna.* 22
*Peccatis absolvi facile.* 65
*Peccati venialis gravitas.* 108
*Peccata dæmon prius extenuat, postea exaggerat.* 159
*Gradus ad peccatum & exitium.* 171
*Peccatum est aversio & conversio.* 196
*Petri in Christo defendendo audacia.* 74
*Christum à longè sequitur.* 126
*Ejus dolor ob suam à Christo fugam.* 128
*Christum negat.* 129
*Ejus pœnitentia.* 141
*Placuisse hominibus, nocebit in morte.* 285
*Placere DEO soli summa felicitas.* *ibid*
*Præcepta Christi, Christiano sunt vincula.* 157
*Prosperitas periculosa est.* 208

R.

*RAtio factorum in judicio reddenda terribilis.* 186
*Regnum Christi æternum, mundi momentaneum.* 185. 285
*Respectus humani quàm pernicioſi.* 284
*Rex nobis sit Christus.* 277
*Ad Religionem vocari quid sit* 215

S.

*SAnguinis Christi in horto effusi causa.* 41
*Sanguinis Christi exigui fructus.* 261
*Scientia profana quanto labore acquiritur.* 89
*Spes sumenda è Christi meritis.* 38.249
*Spes nostra tota est Christus.* 114
*Spei actus.* 176
*Silentium, innocentiæ est patrocinium.* 217

*Silere ad convitia est Christum accusatum defendere.* 184
*Somnium uxoris Pilati.* 287
*Spiritus sancti opus est ope ad omne opus bonum.* 6
*Status vitæ ut prudenter eligatur, spernendus est respectus humanus.* 148.149

T.

IN templo Christus negatur, dum quis irreverenter illic segerit. 138
In Templo Christus spernitur. 224
*Quot illic ei fiant injuriæ.* 196
Timor Christi, & ejus causa, 10
Timendum nobis ob pericula interitus. 13
Tristitia Christi, & ejus causa. 15
Tristitia maxima concipienda ob peccatum minimum. 17.43

V.

VAnitas omnium rerum. 81
*Vindictam injuriæ requirit mundus.* 101
*Vindicare injuriam, est Christi infligere alapam.* 104
*Virtutes omnes prius abnegantur, quàm Christus.* 133
*Voluntati hominum se tradit Christus.* 38

FINIS.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Stanislaus

Actus patien

Th
2873

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN